BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
D
6
NAPOLI

112
C
33

Digitized by Google

DISSERTATIO
HISTORICA
DE
SUMMO
APOSTOLICÆ SEDIS
IMPERIO
IN URBEM
COMITATUMQUE
COMACLI.

ANNO MDCCIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

DISSERTATIONIS
SYNOPSIS.

ITaliâ à Longobardis occupatâ Stephanus III. opem adverſùs eoſdem à Pipino Gallorum Rege expoſcit. Fœdus perpetuum inter Apoſtolicam Sedem, & Francorum gentem ſancitur, in quo multarum provinciarum dominium Romanæ Eccleſiæ promittitur. Num. I. CV. & CVI. *Pipinus ademptas Aiſtulpho Longobardorum Regi viginti Exarchatus, & Pentapoleos urbes, inter quas Comaclum, Romanæ Eccleſiæ largitur.* II. *Pentapoleos limites deſignantur.* III. *Stephanus III. eas urbes Sergio Ravennati Archiepiſcopo gubernandas tradit.* IV. *Sergio rebellante, Cardinalis Legatus cum Rectore eiſdem urbibus præficitur. Gubernatores à Summo Pontifice in ſingulis urbibus conſtituti. Sergii ad obedientiam reverſi auctoritas minuitur.* V. *Deſiderius Rex Comaclum, & alias Exarchatus, & Pentapoleos urbes occupat.* VI. *Carolus Magnus Pipini donationem confirmat, & everſo Longobardorum Regno, Provincias Romanæ Eccleſiæ ablatas, unâ cum Comaclo reſtituit.* VII. *Leone Archiepiſcopo Ravennæ, qui Exarchatum, & Pentapolim, atque Comaclum occupavit, in ordinem redacto; earum Provinciarum plenum dominium Pontifices ante reſtitutum ab ipſis Imperium obtinent.* VIII. & ſeq. & CXV. *Continuata ejuſdem dominii poſſeſſio poſt reſtitutum Occidentis Imperium.* X. & XI. *Comaclenſes à Joanne VIII. deficiunt.* XII. *Veneti Comaclum à Romano Pontifice poſtulant. Mox eandem Vrbem, pulſo Marino Comite, occupant.* XIII. *Carolus Craſſus factas Eccleſiæ Romanæ donationes approbat. Deficientibus Imperatoribus ex Caroli Magni proſapia, inteſtinis bellis vexatur Italia. Exarchatus, & Pentapoleos Vrbes ab Apoſtolica Sede partim deficiunt, partim à Spoleti, & Forojulii Ducibus, de Imperio contendentibus, occupantur. Vrbs Comaclum à ſuis Magiſtratibus interdum gubernata. Formoſi, Joannis IX. & Joannis X. conatus pro recuperanda Eccleſiæ Romanæ ditione.* XIV. & ſeqq. *Lambertus, & Berengarius Imperatores donationes anteceſſorum Eccleſiæ Romanæ confirmant.* XVII. *Comaclum à Venetis expugnatur.* XVIII. *Berengario Italiæ Regi paret.* XIX. *Joannes XII. Ottoni Germaniæ Regi imperium offert. Otto Imperator factus, ademptum Regi Berengario Exarchatum unâ cum Comaclo Apoſtolicæ Sedi reſtituit.* XX. XXI. & CXXXVII. *Ottone defuncto, Italia tumultuatur. Eccleſia Romana denuò Exarchatum amittit. Ravennates, nec Summis Pontificibus, neque Archiepiſcopis parent.* XXII. *Hi à Pontificibus primùm, deindè ab Imperatoribus opem implorant pro recuperanda poteſtate, quam in Exarchatum Apoſtolica Sedes ipſis conceſſerat. Joannes XV. & Gregorius V. Comaclum Ravennati Eccleſiæ condonant, quod Adelais Imperatrix ab Apoſtolica Sede, donec in vita eſſet, accepit.* XXIII. & ſeq. *Archiepiſcopi Ravennates cum Exarchatus dominium Pontificum auctoritate recuperare non poſſent, Imperatorum tanquam Eccleſiæ Romanæ advocatorum opem implorant.* XXV. *Do-*

nationem à Joanne Papa Ravennati Eccleſiæ factam, Otto III. addito Ferrariæ Comitatu, cur confirmaverit. XXVI. & ſeq. Henricus II. Eccleſiæ Romanæ privilegia renovat. XXVIII. Arnaldus Archiepiſcopus Ravennas, à Pontifice deficiens, Exarchatus inveſtituram primus omnium ab eodem Henrico II. accipit. XXIX. & ſeq. Arnaldi ſucceſſores ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis redeunt. Exarchatus urbes nonnullæ Summis Pontificibus fidelitatem, ac ſubjectionem profitentur. XXXI. & ſeq. Henricus IV. Exarchatum, atque Comaclum, inter alia, Henrico Ravennæ Archiepiſcopo ab Apoſtolica Sede excommunicato confirmat. XXXIII. Guibertus antipapa Comaclum Eccleſiæ Ravennati aſſerit. XXXIV. Gelaſius II. aliique Pontifices eidem Eccleſiæ ob diuturnam Archiepiſcoporum rebellionem, Archiepiſcopali dignitate à Paſchali II. privatæ, priſtinum honoris gradum, atque Exarchatum denuò concedunt. XXXV. & ſeq. Federicus I. Exarchatum occupat, ac deindè Apoſtolicæ Sedi reſtituit. Ejus privilegium Comaclenſibus conceſſum in falſitatis ſuſpicionem adducitur. XXXVII. & ſeqq. Henricus VI. Comaclum cur Ferrarienſibus conceſſerit. XL. & ſeq. & CXLIV. Privilegia Eccleſiæ Romanæ confirmat. Ducatum Ravennatem Marcualdo largitur; ſed morti proximus, Eccleſiæ Romanæ reddi jubet. XLII. Innocentius III. mortuo Henrico, univerſam Eccleſiæ Romanæ ditionem recuperat. Exarchatum Archiepiſcopis, & Prætoribus Ravennatibus gubernandum, ſub Apoſtolicæ Sedis Legato, relinquit. XLIII. & ſeq. Ferrarienſes, & Ravennates dominium Comacli inter ſe partiuntur. XLV. Otto IV. ditionem ſuam Eccleſiæ Romanæ confirmat; mox eandem occupans, excommunicatione percellitur. Federicus II. eidem ſufficitur, qui ſupremum Eccl. Romanæ dominium, Summis Pontificibus non ſemel ſuis diplomatibus aſſerit. Imperii Principes ſub Innocentio III. & Honorio III. ejus factum ratum habent. XLVI. & ſeqq. Simeon Archiepiſcopus Ravennas à Federico II. & Honorio III. ejuſque ſucceſſor Theodericus à Gregorio IX. privilegiorum Eccleſiæ Ravennatis confirmationem obtinent, in quibus Comaclum, inter alia, eidem Eccleſiæ conceditur. XLIX. Comaclum Ravennatibus, ac Ferrarienſibus ſubjicitur. L. Federici II. diploma pro Comaclenſibus ſuppoſitionis arguitur. LI. Gullielmus Imperator Apoſtolicæ Sedi Exarchatum, atque Comaclum confirmat. Id ipſum Eccleſiæ Ravennati præſtitit Alexander IV. Federicum II. morti proximum pœnitet ablatorum Eccleſiæ Romanæ. LII. Comaclenſes fidelitatem, ac ſubjectionem Ravennatibus profitentur. LIII. Rodulphus Romanorum Rex, miſſo Lugdunum Ottone Præpoſito Spirenſi, Ottonis IV. & Federici II. privilegia confirmat. LIV. Idem anno ſequenti ipſemet Lauſannæ facit. Ab Rodulphus Imperialis Aulæ Cancellarius juramenta fidelitatis ab Exarchatus urbibus exigit. Gregorii X. Innocentii V. Joannis XXI. & Cardinalium, vacante Sede, poſt Joannis XXI. obitum, eâ de re querelæ. LV. & ſeq. Nicolao III. acriùs inſtante, Rodulphus Rex Fr. Conradum Minoritam, pro irritandis memoratis juramentis, & ad reſtituendum Apoſtolicæ Sedi Exarchatum, atque Pentapolim Romam ablegat, qui delegato munere fungitur. LVII. & ſeq. Nicolaus III. à Rodulpho Rege ulteriùs poſtulat, ut caſſatis nominatim ſingulorũ locorum juramentis, & recenſitis ſingu-

lis

lis quibuſque urbibus, inter quas Comaclum, novo diplomate ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium in Exarchatum, atque Pentapolim confirmet. LIX. & LXI. *Rodulphus ad id agendum Gottifridum Præpoſitum Solienſem ablegat.* LX. *Nicolaus interim Giffridū Anagninum, & Joannem Viterbienſem in Exarchatum mittit pro recipiendis, Apoſtolicæ Sedis nomine, ab ejus urbibus juramentis fidelitatis. Cur in Pontificiis ea de re literis, nec Ferrariæ, neque Comacli mentio fiat.* LXII. *Gottifridus Præpoſitus Solienſis Rodulphi I. Legatus, juramenta indebitè ab Exarchatus Urbibus exacta, expreſſè revocat.* LXIII. *Exarchatus Urbes, miſſis Pontifici procuratoribus, fidelitatem, ac ſubjectionem ſtatim Apoſtolicæ Sedi pollicentur: Ravennatibus privilegia confirmantur.* LXIV. *Nicolaus III. Fr. Conradum ad Rodulphum Regem mittit pro confirmandis, quæ tam ipſe, quàm Gottifridus Præpoſitus egerat, & ut Rodulphus novo diplomate, cum ſingularum Urbium enumeratione, Exarchatum Romanæ Eccleſiæ reſtitueret. Latinus Cardinalis Exarchatus, & adjacentium locorum Legationem obit.* LXV. & ſeqq. *Singula Exarchatus loca, adeòque Comaclum fidelitatem, ac ſubjectionem jurant Apoſtolicæ Sedi.* LXVIII. *Giffridus Anagninus, unà cum Gottifrido Præpoſito, in Germaniam mittitur pro obtinenda omnium à Gottifrido geſtorum confirmatione. Rodulphus, & Germaniæ Principes Pontifici morem gerunt.* LXIX. & ſeqq. *Bertholdus Urſinus Exarchatus Rector, Ravennæ poſſeſſionem capit. Comaclenſes modo Ravennatibus, modo Ferrarienſibus ſubjecti.* LXXIV. *Albertus, & Henricus VII. Imperatores privilegia Apoſtolicæ Sedis, & Rodulphi I. de eiſdem conſtitutiones confirmant* LXXV. & ſeq. *Eſtenſium Principum inter Italiæ Regulos maxima dignatio.* LXXVII. *His, tamquam Ferrariæ Apoſtolica auctoritate dominantibus, Comaclenſes ſubduntur.* LXXVIII. *Venetos Ferrariæ dominatum affectantes Clemens V. coërcet. Comaclenſes ad Ravennatum obedientiam reverſi.* LXXIX. *Robertus utriuſque Siciliæ Rex Ferrariam, atque Comaclum, unà cum reliquo Exarchatu, Apoſtolicæ Sedis nomine regit.* LXXX. *Eſtenſes Ferrariam occupant. Mox, ut à cenſuris abſolverentur, reſtituunt.* LXXXI. *Iterum à Sede Apoſtolica deficientes, Ferrariam, Adriam, atque Comaclum invadunt. Ludovico Bavaro adhærent. Sacrum adversùs eoſdem bellum indicitur.* LXXXII. *Comacli cives, inſcio Pontifice, Eſtenſes in Dominos an tunc elegerint, dubitatur.* LXXXIII. *Ad Eccleſiæ obedientiam reverſi Eſtenſes, Ferrariæ vicariatum à Joanne XXII. obtinent. Comaclum in ejus conceſſione comprehenditur.* LXXXIV. *Carolus IV. Rodulphi, & aliorum Imperatorum donationes approbat.* LXXXV. & ſeq. *Romani Pontifices ſummam poteſtatem in Exarchatum, atque Comaclum exercent.* LXXXVII. *Sigiſmundus, & Federicus III. Imperatores conſtitutiones Rodulphi, & aliorum Imperatorum de ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio confirmant.* LXXXVIII. *Julius II. Alphonſum Ferrariæ Ducem ſal apud Comaclum colligere vetat. Alphonſus Galliæ Regis Parlamentum, non autem Cæſareum Tribunal appellat.* LXXXIX. & ſeq. *Alphonſo, ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam redeunti, ejuſque ſucceſſoribus, ne ſal in Comacli vallibus propria auctoritate colligant, à ſummis Pontificibus ſupremi dominii jure Imperatoribus nunquam repugnan-*

gnantibus,interdicitur. XCI. & ſeq. *Clemens VIII. caducitatis jure Ferrariā, atque Comaclum ad Sedis Apoſtolicæ demanium revocat. Rodulphus II. Pontifici favet.* XCIII. *Paulus V. poſt Clementem VIII. Comaclum in Bulla Cœnæ Domini aliis Eccleſiaſticæ ditionis Urbibus, abſque Provinciis adjungit, ac Rodulphi II. de reddendo Eſtenſibus Comaclo poſtulata rejicit.* XCIV. *Sequentibus annis, lis inter Cameram Apoſtolicam, & Eſtenſes de quibuſdam Comacli Vallibus, aliiſque bonis allodialibus agitur. Sub finem Pontificatus Urbani VIII. Eſtenſes Comaclum, atque Ferrariam ſibi reſtitui incaſſum poſtulant. Sub Alexandro VII. de cunctis Eſtenſium juribus in allodialia bona, tranſigitur.* XCV. *Diſſertationis Epitome.* XCVI. & ſeqq. *Objecta adversùs Apoſtolicæ Sedis jura in Comaclum recenſentur, atque confutantur.* IC. & ſeqq. *Comaclum ſemper Exarchatûs urbs fuit. Cur Pipinus Italiæ Rex militum præſidium ibi collocaverit. Exarchatus à Ravennæ Comitatu diverſus.* CII. & ſeq. *Exarchatus non Ravennatibus Archiepiſcopis, ſed Apoſtolicæ Sedi à Carolo Magno conceſſus.* CIV. *Fœdus perpetuum inter Apoſtolicam Sedem, & Francorum Nationem, cujus cauſā Exarchatus integer Romanæ Eccleſiæ à Pipino, & Carolo Magno donatur. Romani Pontifices ejus poſſeſſione, antequam Imperium reſtituerent, ſumma cum poteſtate fruuntur. Aliæ Provinciæ variis temporibus à Carolo Magno Beato Petro donatæ recenſentur. Cur donationes illæ vocatæ ſint reſtitutiones. Eas pleno jure Pontifices tenent.* CV. & ſeq. *Ludovici Pii diploma de confirmatis Eccleſiæ Romanæ Pipini, & Caroli Magni donationibus perperam ſuppoſitionis arguitur.* CVII. & ſeqq. *Pipinum, Carolum Magnum, & Ludovicum Pium ſummam in donatis Eccleſiæ Romanæ rebus poteſtatem ſibi nequaquam reſervaſſe monſtratur.* CX. & ſeqq. *Carolum Magnum, Patritiatus prætextu ſeſe electionibus Ravennatum Archiepiſcoporum ingerentem, Adrianus I. reprehendit.* CXIV. & ſeq. *De tentata à Leone Ravennate Archiepiſcopo adversùs Apoſtolicam Sedem rebellione narratio. Cur de coërcendo eodem Leone apud Carolum Magnum egerit Adrianus. Italici Regni cauſæ Adriano I. interdum à Carolo Magno delegatæ. Cur juramenta ſervandæ tantummodo fidelitatis Pontifices à ſubjectis Eccleſiæ Romanæ populis Pipino, & Carolo Magno interdum præſtari mandaverint.* CXV. & ſeqq. *Alia argumenta de ſummo Pontificum imperio in Exarchatum, & reliquam Romanæ Eccleſiæ ditionem, ante reſtitutum per eoſdem Imperium.* CXVII. *Caroli Magni eximia pietas erga Eccleſiam Romanam. Romanos Pontifices poſt renovatam Imperii Occidentis dignitatem, ſumma cum poteſtate ditionem ſuam gubernaſſe, oſtenditur. Diviſio Regnorum Caroli Magni. Italia pro Longobardia.* CXVIII. *Ludovicus Pius, Lotharius, & Ludovicus II. ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium agnoſcunt, atque confirmant.* CXIX. & ſeq. *Carolus item Calvus, & Ludovicus Balbus, unà cum tota Natione Gallicana.* CXXI. *Pontificum offenſores pro reis Majeſtatis habiti, ob eorumdem ſupremum dominium.* CXXII. *Diluuntur varia argumenta, quibus Imperio ſummam poteſtatem in Eccleſiæ Romanæ ditionem aſſerere conantur. Italiæ univerſæ, & Romanæ Urbis ſtatus initio Imperii Caroli Magni. Pontificum Romanorum eo tempore conditio* CXXIII. *Electiones eorundem Pontificum in-*

terdum

*terdum indicatæ Cæſaribus,ad populi tumultum,& ſchiſmata vitanda.*CXXIV *Romani fidelitatem , ac ſubjectionem electis Pontificibus , ſtatim juramento promittunt .* CXXV. & ſeq. *Cur Imperatoribus fidelitatis tantùm , non ſubjectionis , juramenta, interdum juſſu Pontificum præſtita fuerint .* CXXVII. *Imperatores impertiendæ Beato Petro , & Eccleſiæ Romanæ defenſionis debito, non ſummæ poteſtatis jure , Miſſos pro variis negotiis per Eccleſiaſticam ditionem , petentibus ſummis Pontificibus, ablegabant.* CXXVIII. & ſeqq. *Capitularia Imperatorum à ſummis Pontificibus , Senatuque Romano ſponte ſuſcepta .* CXXXII.*Ob fœdus cum Apoſtolica Sede initum nonnulla Imperatoribus in Eccleſiaſtica ditione Pontificum aſſenſu licebant .* CXXXIII. *Marchiones in confinio Pontificiæ ditionis , utpotè Imperio nequaquam ſubjectæ , à Cæſaribus diſpoſiti,multa Eccleſiæ Romanæ mala inferunt . Ad Marchiones iſtos coërcendos Joannes VIII. Miſſos ab Imperatore eorumdem Domino ablegari poſtulat .* CXXXIV. *Summis Pontificibus non poſtulantibus , injuſta cenſetur Miſſorum Auguſtalium delegatio .* CXXXV. *Monetæ à Romanis Pontificibus ſupremi dominii jure cuduntur,interdum ſine Imperatorum nomine,ac effigie.*CXXXVI. *Poſt Caroli Craſſi obitum Italia continuis bellis vexatur . Lambertus , & Berengarius Auguſti anteceſſorum donationes confirmant. Ad Italiæ bella ſedanda Otto Germaniæ Rex advocatur . Mox Imperator factus , ſummum in Eccleſiaſticam ditionem imperium , edito novæ donationis diplomate , Romanis Pontificibus aſſerit .* CXXXVII. *Otto Imperator ablata Eccleſiæ Romanæ reſtituit.* CXXXVIII. *Poſt Ottonis Magni obitum ob populorum rebellionem , favoremque ipſis ab Imperatoribus præſtitum,Pontifices liberam plenamque ditionis ſuæ poſſeſſionem ſæpè non obtinent;nulla tamen inde præſcriptio adversùs ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium inducta fuit.Henricus II. ſimile Ottonis Magni donationi diploma edit . Id ipſum quonam pacto ejus ſucceſſores , uſque ad Innocentii III. tempora præſtiterint .* CXXXIX. & ſeq. *Innocentius III. ſummam poteſtatem in Eccleſiæ Romanæ ditionem , nunquam præſcriptam , recuperavit, eamque Otto IV. & Federicus II. cum omnium Germaniæ Principum aſſenſu Pontificibus confirmarunt .* CXLI. *Federicus II. ſummum Romanorum Pontificum imperium agnoſcit .* CXLII. *Nicolaus III. hoc ipſum à Rodulpho I. & Germaniæ Principibus obtinet .* CXLIII. *Comaclum in Ferrarienſi diſtrictu comprehenſum fuiſſe pluribus oſtenditur .* CXLIV. & ſeqq. *Comaclum ſtatuto Ferrarienſis Urbis regitur .* CXLIX. & CLIX. *Argumenta in contrarium adducta diluuntur .* CL. & ſeqq. *Cur in Ferrarienſis Vicariatus bullis expreſſa Comacli mentio non fiat .* CLI. *Cur Pontifices Romani Comaclenſium fidejuſſionem pro Eſtenſibus Principibus admiſerint .* CLII. *Clemens V. in Ferrariæ Vicariatus bullis Comaclum Eccleſiaſticæ ditionis urbem appellat.*CLIII. *Comitatus , ac territorii vocabula pro ſynonymis ſæpe habentur .* CLV. *Marchiones Eſtenſes plurium Civitatum , adeòque Comacli , ſe Apoſtolicæ Sedis Vicarios eſſe profitentur .* CLVI. *Comaclenſes cenſum piſcium non Eſtenſibus Principibus , ſed Ferrarienſibus , in antiquæ ſubjectionis ſignum perſolvunt .* CLVII. & ſeqq. *Ferrariæ Duces diù poſt exortam inter Julium II. & Alphonſum I. controverſiam de ſuprema in Comaclum poteſtate, titulum Domini*

ejuſdem

ejuſdem urbis uſurpare incipiunt. *Quomodo legitimè illo uti potuerint*. CLX. & ſeqq. *Alia argumenta adverſùs Apoſtolicæ Sedis ſupremum dominium in urbem Comaclum adducta ſolvuntur*. *Summi Pontifices qualiacunque erant Eccleſiæ Ravennatis jura, abſque alterius cujuſpiam præjudicio, ſuis in Bullis præſervabant*. CLXIV. *Comaclum etiam ſi Ferrariæ diſtrictûs pars non eſſet, Urbis tamen Ravennatis ratione, ad ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium ſpectabit*. CLXV. *Lotharii, & Ludovici II. privilegium de Comaclo Othoni Eſtenſi tradito, ſuppoſitionis arguitur*. *Ducatus, Patritiatus, & Comitatus concedendi antiqua formula*. CLXVI. & ſeq. *Almerici cujuſdam Eſtenſis teſtamentum ſuppoſititium eſſe oſtenditur*. CLXVIII. *Aſſertæ auguſtales Comacli inveſtituræ à Caroli IV. ævo uſque ad hæc tempora expenduntur, & quonam pacto ab Eſtenſibus perperam obtineri potuerint*. CLXIX. & ſeq. *Nulla præſcriptio per aſſertas haſce inveſtituras, etiam ſi veræ eſſent, adverſùs Apoſtolicam Sedem induci potuit*. CLXXI. & ſeqq. *Auguſtales Comacli inveſtituræ haud immeritò incertæ fidei eſſe cenſentur*. CLXXVI. *Nunquam ante Iulii II. bellum cum Alphonſo I. memoratæ*. *Nec ab ipſo Alphonſo I. juridicè allegatæ: ſupremum verò Comacli dominium ab Apoſtolica Sede ſemper aſſertum, Imperatoribus nequaquam reclamantibus*. CLXXVII. *Apoſtolicæ Sedis jura in Comaclum non obſoleta, ſed quò antiquiora, eò validiora*. CLXXVIII. *Controverſia de Comacli ſupremo dominio ex antiquorum potiſſimùm temporum ſtatu definienda*. CLXXIX. *Summis Pontificibus injuſtè Vicariorum Imperii nomen affingitur*. CLXXX. *Eccleſiæ ob Præſulum facta dominiis ſuis ſpoliari non debent*. CLXXXI. *Pipinus, Carolus Magnus, aliique Imperatores re vera, non ſpecie tenus tot Provincias Eccleſiæ Romanæ donarunt*. CLXXXII. *Semel Eccleſiis donata nullo unquam pacto auferri poſſunt*. CLXXXIII.
Brevis in tota diſſertatione dictorum epilogus.

DISSER-

DISSERTATIO HISTORICA DE SUMMO APOSTOLICÆ SEDIS IMPERIO IN URBEM COMITATUMQUE COMACLI.

OCcupata jam Longobardorum armis Italiâ propemodum universâ, cum ingens periculum eſſet ne Urbs quoque æterna in Aiſtulphi ferociſſimi eorundem Regis ſervitutem redigeretur, Stephanus III. Gregorii III. ac Zachariæ prædeceſſorum ſuorum exemplo, Pipinum, qui Francorum Regnum favore memorati Zachariæ Pontificis, ac populorum aſſenſu recens adeptus fuerat, in Galliis convenit, multiſque precibus, ac beneficiis ab eodem Rege, conſentientibus cunctis Francici Regni Proceribus in Brennacenſi, & Cariſiacenſi conventibus, anno DCCLIV. impetravit, ut Apoſtolicæ Sedis, & Romanorum, qui excuſſo ob Iconoclaſtarum hæreſim, atque tyrannicam gubernandi rationem, duriſſimo Græcorum Imperatorum jugo, Summis Pontificibus à Gregorii III. temporibus ſeſe ſubdiderant, non tutelam modò, ac defenſionem ſuſciperet, verùm etiam Romanam Eccleſiam ampliſſimis Provinciis, à Longobardorum tyrannide vindicandis, locupletaret. Provinciæ iſtæ in diplomate, quo perpetuum fœdus eo tempore inter Apoſtolicam Sedem, & inclytam Francorum gentem ictum fuit, ab Anaſtaſio Bibliothecario, ſeu potiùs à coævo Auctore, qui Adriani I. vitam deſcripſit, hoc pacto per deſignationem confinium enumerantur, *Ideſt à Lunis cum*

Vide Append. noſtram Actorum veterum num. 1.

Anaſt. Bibliothec. in Vita Adr. I. pag. 156.

Inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardone, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, & exinde in Mantua, atque Monte Silicis, ſimulque univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiarum, & Iſtriam, nec non & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum.

II. Pipinus, quod Stephano III. factis etiam Deo, & B. Petro ſolemnibus votis, ſpoponderat, impleturus, bis in Italiam cum validiſſimo exercitu advenit, & primâ quidem vice Aiſtulphum anno DCCLIV. Papiæ obſeſſum, ad promittendum ſe traditurum Eccleſiæ Romanæ Civitatem Ravennatium, cum aliis diverſis Civitatibus Exarchatus, atque Pentapoleos, exacto ſacramento, receptiſque obſidibus, adegit. Cum verò Aiſtulphus nil promiſſorum exolviſſet, quinimò collecto exercitu Romanam Urbem ſequenti anno obſidione vallaſſet, Pipinus denuò Alpes tranſgreſſus, eundem, ab Urbis obſidione ſtatim regreſſum, Papiæ iterum obſedit, & ad reſtituendas Eccleſiæ Romanæ, quas in priori pacto ſpoponderat Civitates, anno DCCLV. adegit, *Addens, & Caſtrum*, ut Anaſtaſius Bibliothecarius ait, *quod cognominatur* COMIACIUM. Pipinus poſtmodum relicto Fulrado Abbate, qui earumdem poſſeſſionem Apoſtolicæ Sedis nomine acciperet, in Gallias remeavit. *Prænominatus autem Fulradus Ven. Abbas, & Presbyter*, ut ait Anaſtaſius Bibliothecarius, *Ravennatium partes cum Miſſis jam fati Aiſtulphi Regis conjungens, & per ſingulas ingrediens Civitates, tàm Pentapoleos, quàm & Æmiliæ, eaſque recipiens, & obſides per unamquamque auferens, atque Primates ſecum unà cum clavibus portarum Civitatum deferens, Romam conjunxit, & ipſas claves, tàm Ravennatium Urbis, quàm diverſarum Civitatum ipſius Ravennatium Exarchatus, unà cum ſupraſcripta donatione de eis à ſuo Rege emiſſà, in confeſſione Beati Petri ponens, eidem Apoſtolo, & ejus Vicario Sanctiſſimo Papæ, atque omnibus ejus ſucceſſoribus Pontificibus perenniter poſſidendas, atque diſponendas tradidit, ideſt, Ravennam, Ariminum, Piſaurum, atque Fanum, Cæſenas, Senogallias, Eſium, Forum Pompilii, Forum Livii cum Caſtro Suſſubio, Montem Feretri, Acerragio, Montem Lucari, Serram, Caſtellum S. Marini, Bobium, Urbinum, Callium, Luceolos, Eugubium, ſeu* COMIACLUM, *nec non & Civitatem Narnienſem, quæ à Ducatu Spoletino à parte Romanorum per evoluta annorum ſpatia fuerat invaſa.* Narrationem hanc antiqui Annalium

Anaſt. Bibliothec. in Steph. III. pag. 126.

lium Francicorum Scriptores comprobant, qui Exarchatum Ravennæ, atque Pentapolim, ad quas Provincias Urbes illæ pertinebant, Romanæ Eccleſiæ à Pipino donatas fuiſſe clarè teſtantur.

III. In Exarchatu Ravennate, præter Ravennam totius ditionis caput, & ei adjacentes Urbes, atque Oppida, continebatur Æmilia, atque Pentapolis. Æmilia, ut Hieronymi Rubei doctiſſimi Ravennatis Hiſtoriæ Scriptoris verbis loquar, à Foro Cornelii incipiens, ea continebat, quæ proficiſcentibus Bononiâ, Mutinâ, Regio Lepidi, Parmâ, & Placentiâ per viam Æmiliam uſque ad Padum ab Appennino conſpiciuntur. Pentapolis hodiernum Urbini Ducatum cum Anconitana Marchia, uſque ad Muſonis Fluvium complectebatur. Hanc Provinciam Gregorius III. Decapolim appellavit, & Adrianus I. duas Pentapoles agnoſcit, quarum initium in Ariminenſi, finem in Eugubina urbibus collocat, adſtipulantibus ſubſcriptionibus Synodicæ Agathonis Papæ ad Eccleſiam Græcam in vulgatis Conciliorum tomis. Quidquid autem terrarum ab Arimino Adriam uſque, Orientem verſùs reliquum erat, propria Ravennatis Metropoleos Provincia cenſebatur.

Rubeus Hiſt. Rav. lib. 4. in fine.

Greg. III. ep. 1. ad Leonem Imp. Adrian. I. ep. 51. in Cod. Carolino. Synodica Agath. Papæ in tom. 6. Concil. Labbei col. 705.

IV. Non omnes itaque, ſed viginti tantùm Exarchatus, ac Pentapoleos civitates Eccleſiæ Romanæ tradidit Aiſtulphus. Inter has autem fuiſſe Comaclum patet, quam ut & reliquas decem, & novem Civitates Stephanus III. Sergio Archiepiſcopo Ravennati Apoſtolicæ Sedis nomine, atque auctoritate gubernandas commiſit, ut conſtat ex Adriani I. epiſtola ad Carolum Magnum anno DCCLXXIV. data adversùs Leonem Ravennatem, liberum ſibi Exarchatus dominium arrogantem, de quo hiſce verbis conqueritur. *Etenim illud, quod antefatus nefandiſſimus Archiepiſcopus aſſerit* (ideſt, Leo) *præponens occaſionem, in ea poteſtate ſibi Exarchatum Ravennatium, quam Sergius Archiepiſcopus habuit, tribui, nos, Excellentiſſime Fili, quemadmodum tempore Domni Stephani Papæ, qui illuc in Franciam profectus eſt, cui & ipſe Exarchatus traditus eſt, ita & noſtris temporibus eum ſub noſtra poteſtate diſponere, atque ordinare volumus; & omnes in hoc cognoſcere poſſunt, qualem poteſtatem ejus Beatitudo in eandem Ravennenſem Urbem, & cunctum Exarchatum habuit, qui etiam Archiepiſcopum Sergium exinde abſtulit, dum contra ejus voluntatem agere ſpiritu ſuperbiæ nitebatur. Etenim ipſe noſter prædeceſſor.*

In Cod. Carolino epiſt. 54.

cunctas actiones ejuſdem Exarchatus ad peragendum diſtribuebat, & omnes Actores ab hac Romana Urbe præcepta earumdem actionum accipiebant; nam & Judices ad faciendas juſtitias omnibus vim patientibus, in eadem Ravennatium Urbe reſidentes, ab hac Romana Urbe direxit, Philippum, videlicèt, illo in tempore Presbyterum, ſimulque & Euſtachium quondam Ducem; & ut pleniùs de hoc ſatisfacere Chriſtianiſſima Excellentia Veſtra poteſt, dignetur advocare prædictum Philippum Epiſcopum, eoque de hujuſmodi re inquiſito, certiſſimè veritatem agnoſcere poterit, quia omnia ita ſunt, quemadmodum innotuimus.

V. Hinc apud Agnellum Presbyterum Ravennatem, qui ſuorum Archiepiſcoporum vitas rudi confuſoque ſtylo conſcripſit, in Sergii vita hæc legimus. *Judicavit Sergius à finibus Perticæ totam Pentapolim, & uſque ad Tuſciam, & uſque ad menſam Valani, veluti Exarchus, ſic omnia diſpoſuit, ut ſoliti ſunt modò Romani facere.* Has Ravennatum Archiepiſcoporum vitas Agnellus anno DCCCXXXIX. ſcribere aggreſſus, poſt annos circitèr XI. abſolvit eâ mente, ut Ravennates Archiepiſcopos ad renovandum ſchiſma, & uſurpandum rurſus plenum Exarchatus dominium, damnando Sergii, atque Leonis Archiepiſcoporum exemplo, incitaret. Bino hocce Adriani I. & Agnelli Presbyteri teſtimonio clarè comprobatur Sergium Exarchatus Urbes uſque ad Volani, quem vocant, portum, atque etiam Comaclum ipſum, vicaria Romani Pontificis poteſtate gubernaſſe. Prætereà ex laudata Adriani I. epiſtola conſtat, Stephanum III. poſt caſtigatam Sergii Archiepiſcopi Ravennatis arrogantiam, totius Exarchatus gubernacula aſſumpſiſſe, ejuſque Urbium Gubernatores, Comites tunc temporis, Duceſque vocatos, ad populorum poſtulata, ſuis diplomatibus munitos deputaſſe, & Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem cum Rectore primariæ nobilitatis viro in Ravennate Metropoli poſuiſſe, qui totius Exarchatus regimini incumberent; licet Paulus I. Stephani III. ſucceſſor, ſi non plenam, ut antea, minorem ſaltem eidem Sergio, in Apoſtolicæ Sedis gratiam reſtituto, auctoritatem delegaverit.

VI. Deſiderius, qui Aiſtulpho Anno DCCLVI. obeunti in Longobardorum Regno, Stephani III. & Pipini Francorum Regis favore ſucceſſit, reliquas Exarchatus, & Pentapoleos Civitates, non adhuc Eccleſiæ Romanæ traditas, Faventiam, nempe, cum Caſtro Tiberiaco, totum Ferrariæ Ducatum, Imolam, Bononiam, Auximum, & Anco-

Anaſt. Bibliot. in Steph. III. pag. 127.

Anconam, poſt multas tergiverſationes in Stephani III. & Pauli I. poteſtatem redegit; at mox Græcis Apoſtolicæ Sedis, & Francorum Regni hoſtibus fœderatus, plures Exarchatus, & Pentapoleos Urbes, inter quas Comaclum, armis occupavit anno DCCLXXII. ſub ipſis initiis Pontificatus Adriani I. cum jam novus Pontifex ſuos ad eundem Deſiderium Legatos, pro componenda inter ipſum, & Apoſtolicam Sedem pace, miſiſſet; quibus in itinere poſitis, apud Peruſiam nuntiatum fuit, *Quòd jam fatus Deſiderius*, ut Anaſtaſii Bibliothecarii verbis loquar, *abſtuliſſet Civitatem Faventiam, & Ducatum Ferrariæ, ſeù* COMACLUM *de Exarchatu Ravennate, quas ſanctæ memoriæ Pipinus Rex, & ejus filii Carolus, & Carlomannus Excellentiſſimi Reges Francorum, & Patritii Romanorum Beato Petro concedentes obtulerunt*; in priori, ſcilicet, donatione, quam Pipinus Stephano III. in Galliis degente, ediderat. Clarè itaque patet Pontificiæ ditionis uſque ad annum illum fuiſſe Comaclum. *Anaſt Bibl in Adriano I. p. 144.*

VII. Carolus Magnus Pipini Regnorum æquè, ac pietatis hæres, injurias à Deſiderio Apoſtolicæ Sedi illatas, armis vindicaturus, eundem Papiæ obſedit anno DCCLXXIV. cumque obſidio in longum protraheretur, Romam orationis causâ venit. Ea occaſione Adrianus I. ut Anaſtaſius Bibliothecarius refert, *Carolum deprecatus eſt, ut promiſſionem illam, quam ejus ſanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex, & ipſe præcellentiſſimus Carolus cum ſuo germano Carlomanno, atque omnibus Judicibus Francis fecerant Beato Petro, & ejus Vicario ſanctæ memoriæ Domno Stephano Juniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diverſis Civitatibus, ac Territoriis iſtius Italiæ Provinciæ, & contradendis Beato Petro, ejuſque omnibus Vicariis in perpetuum poſſidendis, adimpleret in omnibus; cumque ipſam promiſſionem, quæ in Francia in loco, qui vocatur Cariſiacus, facta eſt, ſibi relegi feciſſet, complacuerunt illi, & ejus Judicibus omnia, quæ ibidem erant adnexa, & propriâ voluntate, bono ac libenti animo, aliam donationis promiſſionem, ad inſtar anterioris, ipſe antedictus præcellentiſſimus, & re vera Chriſtianiſſimus Carolus Francorum Rex adſcribi juſſit per Etherium religioſum, & prudentiſſimum Cappellanum, & Notarium ſuum, ubi conceſſit eaſdem Civitates, & Territoria Beato Petro, eaſque præfato Pontifici contradi ſpopondit per deſignationem confinium, ſicut in eadem donatione contineri monſtratur; ideſt, à Lunis cum Inſula Corſica, deinde in Suriano,* *Anaſt. Bibliothec. p. 156 & 157 in Adriano I.*

deinde in Monte Bardone, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, & exinde in Mantua, atque Monte Silicis, ſimulque & univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiarum, & Iſtriam, nec non & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum. Carolo poſtmodum ad continuandam Papiæ obſidionem reverſo, deletoque penitùs Longobardorum Regno, antequàm cum captivo Deſiderio Rege in Gallias reverteretur, *miſſis Comitibus*, ut Annaliſta Petavianus ait, ad annum DCCLXXV. *per omnem Italiam, lætus Sancto Petro reddidit Civitates, quas debuit, diſpoſitiſque omnibus alacriter venit in Franciam*; eoque pacto reſtitutæ fuerunt Apoſtolicæ Sedi Exarchatus, atque Pentapoleos Provinciæ, in quibus Comaclum continetur.

Annal. Franc. tom 2. Duchesſnii pag. 8.

VIII. Vix Italia Carolus Magnus diſceſſerat, cùm Leo Archiepiſcopus Ravennas, cui Exarchatum gubernandum Adrianus I. de more commiſerat, abſolutum ejuſdem Provinciarum, & nominatim Comacli, ſibi dominium arrogavit, eo prætextu, quod Carolus Magnus Exarchatum non Romanæ, ſed Ravennati Eccleſiæ donaſſet. Rem totam hiſce verbis narrat Adrianus I. in epiſtola, quam Carolo Magno per Anaſtaſium Cubicularium Legatum ſuum direxit, cum intellexiſſet Leonem Archiepiſcopum Legatos itidem ſuos Carolo Magno, ad aucupandum ejuſdem favorem miſiſſe. *Pervenit ad nos*, ait Adrianus, *quòd protervus, & nimis arrogans Leo Archiepiſcopus Ravennatium Civitatis ſuos ad veſtram Excellentiſſimam benignitatem, ad contrarietatem noſtram falſa ſuggerendo, direxit Miſſos. Etenim, præcellentiſſime magne Rex, poſtquam veſtra Excellentia à Civitate Papia in partes Franciæ remeavit, ex tunc tyrannico, atque procaciſſimo intuitu rebellis Beato Petro, & nobis extitit, & in ſua poteſtate diverſas Civitates Æmiliæ detinere videtur, ſcilicet, Faventiam, Forum Populi, Forum Livii., Cæſinas, Bobium*, COMIACLUM, *Ducatum Ferrariæ, ſeu Imolas, atque Bononias, aſſerens, quòd à veſtra Excellentia ipſæ Civitates unà cum univerſa Pentapoli illi fuiſſent conceſſæ*. Hic autem obiter notandum venit, Adrianum Æmiliæ nomine Exarchatum appellaſſe, quòd nonnullas Æmiliæ propriè dictæ Provinciæ Urbes complecteretur. In ſequentibus de Pentapoli quòque à Leone occupata conqueritur, ſubditque, *Nam prænominatas Civitates, ut dictum eſt, Æmiliæ ipſe nefarius Archiepiſcopus in ſua poteſtate detinens, ibidem Actores, quos voluit*

Codex Carolinus ep. 54.

con-

conſtituit, & noſtros, quos ibidem ordinavimus, projicere viſus eſt. Sed & cunctas actiones infra Civitatem Ravennatium ipſe ordinavit, & ecce, quod nunquam ſperavimus, in magnam humilitatem Sancta ſpiritalis Mater tua Romana Eccleſia veniſſe dignoſcitur, & nos etiam in nimiam deminorationem, atque deſpecti eſſe videmur, dum ea, quæ poteſtativè temporibus Longobardorum detinentes ordinare, ac diſponere videbamur, nunc temporibus veſtris à noſtra poteſtate impii, atque perverſi, qui veſtri, noſtrique ſunt æmuli, auferre conantur. Nil clarius afferri poteſt ad oſtendendum penes Apoſtolicam Sedem uſque ad iſta tempora Comacli, & totius Exarchatus pleniſſimum dominium manſiſſe. In ſequentibus Adrianus Stephani III. geſta adversùs Sergium Leonis prædeceſſorem deſcribit, quibus recenſendis abſtinemus, cum de iis in præcedentibus actum ſit.

IX. Simili habet Adrianus in alia epiſtola ad Carolum Magnum data menſe Novembri ejuſdem anni DCCLXXV. paulò poſt reditum Leonis Archiepiſcopi ex Caroli Magni aula; in qua epiſtola primùm conqueritur, quòd Leo audacior tunc factus, nullo modo ſuis, ut antea, præceptis obedire voluerit, quinimò militibus Imolam, atque Bononiam occupatam detineret, ſubditque, *Codex Carolin. ep. 51.* *Nam, & Dominicum, quem nobis in Eccleſia Beati Petri tradidiſtis, atque commendaſtis, Comitem conſtituimus in quandam breviſſimam Civitatem Gabellenſem, præceptum ejuſdem Civitatis illi tribuentes; ſed minimè illum permiſit ipſum actum agere, ſed dirigens exercitum, vinctum eum Ravennam deduxit, & ſub cuſtodia habuit. Nam & de aliis Civitatibus Æmiliæ, ideſt Faventia, Ducatu Ferrariæ,* COMIACLO*, & Foro Livii, & Foro Popilii, Cæſina, & Bobio, & Tribunatu Decimo, nullum hominem exindè ad nos pro ſuſcipiendis præceptis actionum, advenire permiſit; nam illi omnes parati erant ad nos conjungere. De reliquis verò Civitatibus utrarumque Pentapoleos ab Arimino uſque Eugubium, omnes more ſolito ad noſtri advenerunt præſentiam, & præcepta actionum de ipſis Civitatibus à nobis ſuſceperunt, & in noſtro ſervitio, atque obedientia fideliter cuncti permanent; niſi ſolummodo ipſe Archiepiſcopus in ſua ferocitatis ſuperbia exiſtit. Sed petimus te coram Deo vivo, Præcellentiſſime Fili, ut nullo modo hoc tibi placeat, ut ea quæ ſanctæ memoriæ genitor tuus, & tu ipſe Beato Petro conceſſiſtis, atque obtuliſtis, quod abſit, temporibus veſtris auferantur, & Eccleſia Beati Petri per malignos homines,*

nes, qui iniqua immittunt, humilietur, ſed magis ſemper per vos exaltata permaneat. Videatur alia Adriani epiſtola ad Carolum Magnum data die XXVII. Octobris ejuſdem anni, in qua Leonem de eiſdem criminibus accuſat, cujus petulantiam Carolus Magnus auctoritate ſua ſtatim confregit.

Codex Carolin. ep. 52.

X. Quæ hactenùs à nobis commemorata ſunt, ea dilucidè oſtendunt, Romanos Pontifices, antequàm Imperatoria dignitas in Occidentis regionibus dudum extincta, Leonis III. auctoritate reviviſceret, Exarchatum univerſum, ipſumque Comaclum ſummo cum imperio legitimè poſſediſſe. Sed & poſt reſtitutum Occidentis Imperium eâdem poteſtate Romanos Pontifices potitos fuiſſe, non minus clarè monſtratur. Ludovicus Pius in eo diplomate, quod *Pactum confirmationis* vocat, utpotè quo omnes Pipini, & Caroli Magni donationes ratas habuit, Comacli quoque ſummum Imperium Apoſtolicæ Sedi aſſeruit his verbis. *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali Summo Pontifici, ac univerſali Papæ, & Succeſſoribus ejus in perpetuum, ſicut à Prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis, Civitatem Romanam cum Ducatu ſuo, &c. Necnon & Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum Urbibus, Civitatibus, Oppidis, & Caſtellis, quæ piæ recordationis Dominus Pipinus, ac bonæ memoriæ genitor noſter Carolus Imperator Beato Petro Apoſtolo, & Prædeceſſoribus veſtris jam dudum per donationis paginam reſtituerunt, hoc eſt, Civitatem Ravennam, & Æmiliam, & Bobium, Cæſenam, Forum Popilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam*, COMACIUM, *& Hadriam, & Gabellum, cum omnibus finibus, Territoriis, atque Inſulis in terra, marique ad ſupradictas Civitates pertinentibus*.

XI. Ludovico Pio imperante Paſchalis I. anno DCCCXIX. Bullam edidit Rubeo, atque Ughello relatam, qua Ravennatis Eccleſiæ privilegia confirmans, pœnam ſtatuit librarum quinque auri obryzi, hoc eſt, puri, adversùs eos, qui conſtitutionem ſuam violaſſent. Hoc autem pœnæ genus ab iis, qui imperio potiuntur infligi ſolet. Agnellus quoque Presbyter Ravennas loco jam indicato, de Sergio Archiepiſcopo Ravennate Apoſtolicæ Sedis rebelle loquens, ait, ipſum judicaſſe totam Pentapolim, & uſque ad Tuſciam, & uſque ad menſam Valani, ſic omnia diſpoſuiſſe,

Ughel tom. 2. Ital. Sac. pag. 344. 345.

quem-

quemadmodum Romani, hoc eſt, Pontifices Maximi, tempore, quo ipſe ſcribebat, facere conſueverant. Propria Agnelli verba ſuprà retulimus, cujus auctoris, utpotè anno DCCCL. viventis teſtimonio clarè confirmatur, Romanos Pontifices, tàm ante, quàm poſt reſtitutam à Leone III. Occidentalis Imperii dignitatem, pleniſſimum dominium in Exarchatu, & in ipſo Comaclo, cis Volani portum ſito, habuiſſe.

XII. Hoc ipſum inſigni Joannis VIII. facto comprobatur. Rogaverat Joannes VIII. Berengarium Foro Julii Ducem, ut Comaclenſes rebelles compeſceret, & ad ſolvendum quotannis conſuetum Apoſtolicæ Sedi cenſum adigeret. Pontificiis monitis nequaquam parente Berengario, Joannes, miſſo Petro Epiſcopo, & Joanne Duce, fortaſſe Ravennæ, ab ipſo iterum poſtulavit, ut faveret Stephano Epiſcopo, *Quem nos*, ait Pontifex, *in* COMIACLO *ordinavimus, quatenus veſtro auxilio adjutus, Eccleſiæ Jura & Poſſeſſiones, atque ipſius curam Ducatus retineret ſecurus*. Solebant enim tunc Romani Pontifices loci Epiſcopis Comitatus, & Ducatus ditionis ſuæ gubernandos plerumque committere. Stephano Epiſcopo adeſſe noluit Berengarius, quamobrem Pontifex die tertio Aprilis anno DCCCLXXIX. per literas ipſum denuò rogavit, ut ſuis poſtulatis morem gereret, vel ſaltèm ſubditos ſuos coërceret, ne Comaclenſibus opem ferrent, cum eos ad parendum Apoſtolicæ Sedi armis cogere aggreſſus eſſet. *Rogamus*, ait Pontifex, *nobilitatem tuam, ut tale jam dicto Epiſcopo noſtro adjutorium faciatis, per quod ſuam Eccleſiam, & miniſterium ſibi commiſſum ſecuriter retinere, atque diſponere valeat. Et ſi fortè, quod non credimus, veſtra eſt circà nos voluntas mutata, ut audire nos de hoc non cupiatis, petimus, ut pro amore Dei, & noſtro, omnes veſtros homines prohibeatis aliquam ibi noſtris contrarietatem facere, ut abſque illorum impedimento nobis illos liceat ſecundùm noſtram poſſibilitatem caſtigare, veluti rebelles noſtræ Apoſtolicæ juſſioni; ne cenſum, quem bis annis tranſactis duobus exindè perdidimus, & iſtius anni perdamus*. Clara adeò ſunt Joannis VIII. verba, ut in meridiana luce cæcutire velle videatur, qui inficias iverit, eundem Pontificem æquè, ac ſuos prædeceſſores, ſummo imperio uſum fuiſſe in Urbem Comaclum, cui Gubernatorem dederit, & à qua cenſum, quod certiſſimum ſubjectionis inditium eſt, quotannis acceperit. Supervacaneũ itaque arbitror alia argumenta recenſere, quæ ad probandum Apoſtolicæ Sedis dominium in toto

Joan. VIII. epiſt. 167.

Exar-

Exarchatu ex ejuſdem Pontificis epiſtolis ulteriùs deſumi poſſunt.

XIII. Legimus in Andreæ Danduli ſcripto Chronico rerum Venetarum, Joannem Patritiacum Urſi I. Venetorum Ducis ſucceſſorem, anno DCCCLXXXI. Romam miſiſſe Baduarium fratrem, ut Comacli inveſtituram ab Apoſtolica Sede poſtularet, cum ejuſdem Urbis Comes Marinus infenſo erga Rempublicam Venetam eſſet animo. Danduli verba hæc ſunt. *Joannes Patritiacus Dux ſolus ducare cœpit Anno Domini Noſtri Jeſu Chriſti* DCCCLXXXI. *Hic mortuo patre, Baduarium fratrem ſuum Romæ delegare propoſuit, ut à Joanne Papa* COMITATUM COMACLI *obtinere poſſet; quod Marinus loci Comes præſciens, hunc in crure vulneratum in itinere cepit, & poſt modicum relaxavit, cogens eum, ut ſacramento ſuo promitteret, non petere commendam in jure* (lege, emendam injuriæ) *vel damni ſibi illati ullo tempore. Qui Venetias rediens, ex vulnere ſibi illato illico mortuus eſt, ob quam cauſam Dux cum navali exercitu* COMACLUM *pergens properans, Urbem bellando cepit, & dimiſſis ibi ſuo nomine Judicibus, & Ravennatibus damnis illatis, qui de captione fratris conſcii fuerant, Venetias rediit.* Dandulus, qui anno MCCCXLII. Venetam Rempublicam regere cœpit, narrationem ſuam ex vetuſtiori incerti Auctoris Chronico Veneto adhuc inedito, & in anno MIV. in quo ſcriptum fuit, deſinente, mutuatus eſt; in eo enim ſic legitur. *Joannes Dux* COMACLENSEM COMITATUM *ex Romani Pontificis largitate acquirere cupiens, Baduarium ſuum fratrem Romam direxit, qui dum Ravennam adiret, Marinus Comaclenſium Comes ſuper eum viros armatos miſit, & ibi vulneratus in crure captus eſt. Tunc prædictus Comes, ne hanc injuriam requireret, ſacramento eum conſtrinxit, atque dimiſit; ſed reverſus ad Venetiam, ſtatim vitam finivit. Propter quam Dominus Joannes Dux navali exercitu* COMACLENSE CASTRUM *properans, ejuſdem populum requiſivit, & ordinatis ibidem ſecundùm ſuum velle Judicibus, ad Palatium rediit, & morte fratris ulciſcenda Ravennates deprædari juſſit.* Non erat profectò cur Comaclum Veneti ab Apoſtolica Sede peterent, niſi certò ſciviſſent ad Romanos Pontifices ſummi imperii jura in eandem urbem ſpectaſſe.

Andr. Dand. Chron. m.ſ. in Bibliotb. Vaticana.

Chronicon Venetum m.ſ. in Bibliotb. Vaticana.

XIV. Carolus Craſſus, confirmatis de more, anteceſſorum ſuorum donationibus Eccleſiæ Romanæ factis, ut ex Epiſt. CXXVI. Joannis VIII. colligitur, ad Imperii culmen evectus fuit; quo defuncto die XIV. Januarii anno DCCCLXXXVIII. inteſtinis bellis æſtuavit Italia: nam Wido Spoleti, & Berengarius Forojulienſium Duces

ces

ces de gentis imperio certantes, omnia ſuſque deque vertebant. In tanta autem rerum perturbatione Longobardiæ quidem Urbes, atque oppida in alterutrius ditionem ceſſere, majoribus non paucis, atque munitioribus Urbibus exceptis, quæ ſuis fretæ viribus, neutri parebant. Idipſum in Eccleſiæ Romanæ ditione accidit, cujus quidem pars à Widone occupata fuit; alia verò pars, nec Widonis, nec Romani Pontificis imperium verebatur. His adnumerandum videtur Comaclum, quod à ſuis Magiſtratibus poſt Marini obitum gubernatum fuiſſe videtur.

XV. Formoſus Papa anno DCCCXCIII. itemque Longobardiæ Primates ad Arnulphum Germaniæ Regem Legatos ſuos miſere, *Enixè deprecantes*; verba ſunt Appendicis Annalium Fuldenſium, *ut Italicum Regnum, & res S. Petri ad ſuas manus à malis Chriſtianis eruendum adventaret, quod tunc maximè à Widone tyranno affectatum eſt*. Advenit ſecunda vice Arnulphus anno DCCCXCVI. & acceptâ Imperii coronâ, cum poſt breve tempus in Germaniam reverſus eſſet, Italiæ Regnum æquâ lance diviſum Berengarius Dux Forojulienſis, ac Lambertus Imperator Widonis Spoleti Ducis, & Imperatoris filius obtinuerunt.

Annal. Fulden. tom. 2. Ducheſn. pag. 581.

Panegyr. Bereng. lib. 3. Herman. Contracti Chron. an. 896.

XVI. Joannes IX. partium ſtudio, & in Stephanum IV. anteceſſorem ſuum odio ductus, Lamberto Widonis Imperatoris Filio Imperii dignitatem, eidem in Synodo Romana à ſe confirmatam, Arnulpho adhuc vivente, aſſeruit in altero Concilio, quod anno DCCCXCVIII. Ravennæ habuit, in quo de confirmandis Eccleſiæ Romanæ prædeceſſorum ſuorum donationibus in hæc verba ſancitum fuit; *Ut privilegium S. Rom. Eccleſiæ, quod primis temporibus per piiſſimos Imperatores conſtitutum eſt à vobis firmetur*. Et infrà; *Ut pactum, quod à veſtro Genitore, & à vobis piiſſimis Imperatoribus ex antiqua conſuetudine factum eſt, renovetur, & inviolatum ſervetur*. Quanta autem eſſet eo tempore Eccleſiæ Romanæ calamitas ex hoc ipſo Concilio diſcimus, in cujus fine Pontifex, cœterique Præſules ità Lambertum alloquuntur. *Et quoniam S. Rom. Eccleſia eò inopiæ eſt redacta, ut pecuniæ, quæ pauperibus pro incolumitate veſtri Imperii diſtribui ſolebant, unâ cum ſtipendiis Clericorum exhauſtæ ſint, his ad ſtabilitatem Imperii veſtri unâ cum fidelibus veſtris proſpicite*.

Conc. Raven. tom. 9. Labbei col. 508. & apud Sigon. de Regno Ital. lib. 6.

XVII. Lambertus Imperator morte præventus, obiit enim, eodem anno DCCCXCVIII. Eccleſiæ Romanæ opem ferre non potuit, quemadmodum nec Ludovicus Boſonis Arelatenſis Regis

filius,

filius, qui à Berengarii Ducis Forojulienſis hoſtibus accitus, Italiæ Regnum obtinuit, & mortuo Arnulpho Imperatore die XXIX. Novembris anni DCCCXCIX. ad Imperii culmen à Benedicto IV. in ultimis ejuſdem anni diebus evectus fuit. Ludovicus enim iſte poſt biennium, anno, ſcilicèt, DCCCCII. à Berengario Duce captus Veronæ, oculiſque orbatus, in Provinciam reverſus eſt, ubi infelicem diuturno tempore vitam duxit. Berengarius Ludovici Auguſti deſtitutione totius Longobardiæ compos factus, Imperator quòque in Paſchali feſto anni DCCCCXV. à Joanne X. ſalutatur. Ea ipſa die Berengarius, recepto dudum more, donationes ab antecedentibus Imperatoribus Romanæ Eccleſiæ factas confirmavit. Anonymus enim auctor coævus, vel paulò recentior, qui Berengarium carmine laudavit, de eo Vaticanam Baſilicam ad coronationem ingrediente unâ cum Joanne Papa, ſic cecinit.

Panegyr. Berengar. lib. 4. pag. 54. 55.

Ante fores ſtant ambo domus, dum vota ſucceſſit
Rex, etenim ſe cuncta loco vovet ultrò daturum,
Quæ priùs almifici ſacris ceſſere Tyranni.
Ilicet his verbis volvuntur cardine poſtes
Extollitque ſacer laudes per templa miniſter.

Iterato etiam actu poſt ſuſceptam coronam, idipſum præſtitiſſe Berengarium, laudatus Poeta teſtatur his verbis.

. . . . . . ſed facta ſilentia tandem,
Lectitat Auguſti conceſſos munere pagos
Præſulis obſequio gradibus ſtans Lector in altis;
Cæſare quò norint omnes data munera, prædo
Ulteriùs paveat ſacras ſibi ſumere terras.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 27.

Malè autem opinantur, qui Berengarium putant pagos tantùm aliquos Eccleſiæ Romanæ donaſſe, ut ejus Panegyriſtes metri legibus arctatus ait; nam in laudatis antecedentibus carminibus dixerat, Berengarium ſe ultro daturum Eccleſiæ Romanæ promiſiſſe,

Quæ priùs almifici ſacris ceſſere Tyranni.

Hoc eſt, aliorum Imperatorum ampliſſimas donationes confirmaſſe. An Berengarius Romanam Eccleſiam in tot calamitatibus poſitam ſublevaverit, non eſt ab antiquis memoriæ proditum, & fortaſſe id agendi facultatem non habuit; nam anno DCCCCXXII. rebellantibus Longobardiæ Proceribus, ſeſeque Rodulpho Transjuranæ Burgundiæ Regi dedentibus, neceſſe fuit Berengario Veronæ confugium facere, ubi anno DCCCCXXIV. vel, ut Sigebertus refert, anno CMXXV. à ſuis miſerè occiditur.

Flodoardus, & Sigebertus in Chron.

Be-

XVIII. Berengario Imperatore vitâ functo, Imperium quidem per XL. ferè annos vacavit, non verò Longobardiæ Regnum, quod, rejecto Rodulpho, Hugo Provinciæ Comes Procerum omnium favore obtinuit an. CMXXVI. Huic poſtmodum ab eiſdem Proceribus depoſito ſucceſſit anno CMXLV. Lotharius filius, quem anno CMXXX. ſibi Italici regni collegam deſignaverat. De Comaclo his temporibus ita ſcriptum habetur in laudato vetuſtiori Veneto Chronico. Cum anno DCCCCXXXII. *Comaclenſis Inſulæ homines quoſdam Veneticos temerè compræhendiſſent, Urſus II. Patritiacus Dux tanti dedecoris injuriam non ferens, miſſo illuc exercitu, ipſorum caſtrum igne combuſſit, quoſdamque illorum interficiens, reliquos utriuſque ſexus ad Venetiam duxit, ibique tamdiù ipſos detinuit, donec ſeſe ſuæ ditioni ſacramentorum fide ſubderent, & ut proprii ſibi deinceps in omnibus obtemperarent.* Eadem paulò diverſis verbis repetit in ſuo Chronico Andreas Dandulus: ſed Venetos poſt aliquot annos non habuiſſe ampliùs in ſua poteſtate Comaclum, ex dicendis patebit.

Flodoard. in Chronic. Luit. prand. lib. 5. cap. 13. & 14.

Chron. Venetũ deſinens an. MIV. m. ſ. in Bibl. Vatic.

XIX. Obeunte Lothario anno DCCCCL. Berengarius Adalberti filius Eporejæ Marchio, Berengarii Imperatoris ex filia nepos Longobardiam occupavit, & unâ cum Adelberto filio, quem ſequenti anno Regni conſortem fecit, adeò ſuperbè, ac tyrannicè gubernavit, ut omnibus odio eſſet, ac præcipuè Apoſtolicæ Sedi, cui Exarchatum anno DCCCCLIII. violenter abſtulit, & in ipſa Ravenna Regni ſui ſedem collocavit. Comaclum quòque à Berengario, & Adelberto unâ cum Ravenna occupatum fuiſſe, colligi poteſt ex actis Concilii Ravennatis ſub eiſdem Regibus anno CMLIV. habiti, quibus præter Archiepiſcopum, alioſque Antiſtites, Duces quoquè nonnulli, interque eos JOANNIS CONSUL COMACLENSIS, ſubſcripſere, uti Rubeus teſtatur in eorumdem actorum epitome, ex vetuſtis Ravennatis Eccleſiæ monumentis deprompta, quod certo argumento eſt, Comaclum à ſuis magiſtratibus ſub Adelberto, & Berengario rectum fuiſſe.

Rubeus Hiſt. Raven. lib. 5. pag. 257.

XX. Joannes XII. qui Agapeto II. ſucceſſit anno DCCCCLVI. ut Italiæ Regnum, ac ditionem ſuam à Berengarii tyrannide vindicaret, Ottonis Germaniæ Regis opem imploravit. Hic filium Liudulfum eodem anno in Italiam miſit, qui expulſo Berengario, priſtinam populis libertatem, & ablatas Eccleſiæ Romanæ Provincias reddidiſſet, ni ſequenti anno mortuus eſſet. Cum itaque in Italiam reverſus Berengarius acriori, quàm antea tyran-

Reginon. Chronici continuatio. Annal. Heildensheimen.

nide populos opprimeret, & ſuâ Romanam Eccleſiam ditione ſpoliare pergeret, Joannes XII. miſſa iterum legatione, Ottonem, à Longobardiæ quòque proceribus expetitum, ad capeſſendum imperium anno DCCCCLX. invitavit, eâ inter alias conditione, ut ablatas turbulentiſſimis illis temporibus Romanæ Eccleſię Civitates, atque Provincias, ab iniquis earum occupatoribus armis repeteret. Otto quidquid de terra S. Petri in ſuam poteſtatem perveniſſet, Summis Pontificibus ſe redditurum promiſit, edito eâ de re ſolemni ſacramento, quod videri poteſt apud Card. Baronium in Annalibus ad annum DCCCCLX. Cum autem poſt biennium Otto in Italiam veniſſet, *Quod cuicunque proprium fuit reſtituit*, ut Luitprandus ait, *dehinc Romam ſimilia facturus adiit, ubi miro ornatu, miroque apparatu ſuſceptus, ab eodem Summo Pontifice, & univerſali Papa Joanne unctionem ſuſcepit imperii; cui non ſolùm propria reſtituit, verùm etiam ingentibus gemmarum auri, & argenti muneribus ipſum honoravit.* Extat cum apud alios Scriptores, tum in Annalibus Eccleſiaſticis anno DCCCCLXII. Ottonis diploma ex autographo in ſcriniis Adrianæ Molis aſſervato, in quo præcedentium Imperatorum donationes clarè confirmat, & Comaclum inter Exarchatus Urbes ad Apoſtolicam Sedem pleno jure pertinentes recenſet: ſupervacaneum autem arbitror Ottonis I. verba referre, cum eadem ſint, ac illa, quę ſupra ex Ludovici Pii privilegio retulimus. Poſt quinquennium, anno, ſcilicèt, CMLXVII. Romam iterum venit Otto, & punitis debita pœna civibus Joanni XIII. rebellibus, Ottonem filium Imperii diademate redimiri curavit, qui donationem, à patre quinquennio ante Eccleſiæ Romanæ factam, & ipſe ratam habuit. Mox Otto Magnus cum Joanne XIII. Ravennam adiit, &, ut cum coævo Reginonis Chronici continuatore loquar, *Plurimos ibi ex Italia, & Romania Epiſcopos coadunavit, & habitâ Synodo, multa ad utilitatem Sanctæ Eccleſiæ adinvenit, & Apoſtolico Joanni Urbem, & terram Ravennatium, aliaque complura, multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata, reddidit, cumque inde Romam cum magna lætitia remiſit.*

Luitprand. Hiſtor. lib.6. c.6.

Chron. Heildensheimen. Lãbert. Schafnaburgen & Sigebertus.

XXI. In hac Ottonis Magni reſtitutione comprehenſum fuiſſe Comaclum, ambigi nequit. Siquidem in Collectaneis veterum monumentorum ex Archivo Eccleſiæ Ravennatis à Dominico Rainaldo Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto Clementis VIII. tempore compilatis, extat Joan. XIII. bulla, in qua Curtem Firminia-

Ex tom. I. rerum Ravennatium in Arch. ſecreto pag.90.

minianam Ferrariæ propinquam Ariberto Archiepiſcopo concedit anno DCCCCLXVII. *ea, videlicet, ratione, ut ſemel in anno tribus diebus, cunctis ad legem faciendam Nuncii S. Ravennatis Eccleſiæ occurrant*, ſubditque, *Si quis verò temerario auſu hæc infringere tentaverit, niſi ſatisfaciens reſipiſcat, ſciat ſe compoſiturum trecentas libras auri Sacro noſtro Lateranenſi Palatio.* Hieronymus quoque Rubeus aliam bullam refert, ab eodem Pontifice *Rubeus Hiſt.*
datam anno CMLXXII. in quâ Maſſam Fiſcaliam in territorio Fer- *Raven. lib. 5.*
rarienſi, & Maſſam Campiliam in Gabellenſi territorio propè *pag. 267. 273. & 313.*
Adriam, ſitas, Ravennati Eccleſiæ conceſſit, cum omnibus piſcationibus, & venationibus, cum omni tributo, cenſu, ſeù diſtrictu, & judicandi poteſtate, & cum pecuniaria pœna librarum centum auri à privilegii ſui violatoribus Lateranenſi Cameræ ſolvenda. Cum autem id pœnæ genus ſummi imperii inditium ſit in Romanorum Pontificum bullis, clarè conſtat Comacli Comitatum, qui Ravennæ, Comitatu Adrienſi, ſeù Gabellenſi, propinquior eſt, in Romanæ Eccleſiæ ditione tunc temporis extitiſſe. Idem quòque Rubeus, qui omnia Ravennatium Archivorum ſcrinia diſcuſſit, in eis ſe reperiſſe teſtatur plura Honeſti Archiepiſcopi diplomata, quibus vetera Eccleſiæ Ravennatis jura, renovatis tabulis, repetere ſatagebat, & inter ea unum fuiſſe refert, quo in Januario menſe anno CMLXXVII. tribuit Leoni de Urſone de Gregorio Piſcinam piſcariam, quæ Auguſta vocabatur, in territorio Comaclenſi juxtà Padorenum, Pirginiſem, & Padum. Auguſta, quæ hic vocatur, non alia eſt, quàm Foſſa Auguſta, quæ unâ cum Padoreno, aliiſque foſſis, Inſulam Pereum, Monaſterio ab Ottone III. in S. Romualdi gratiam inibi ędificato percelebrem, conficiebant, ut Rubeus alibi nos docet. Piſcinas autem hujus generis, earumque proventus, publicî juris eſſe, &, ab iis tantummodo, qui imperium habent, concedi poſſe nemo ambigit.

XXII. Videntur itaque Romani Pontifices recuperatum Ottonis Magni operâ Exarchatum, atque adeo Comacli comitatum, Archiepiſcopis Ravennatibus de more gubernandum tradidiſſe. At Ravennates cæteris Italiæ populis leges dare ſoliti, cùm Ravenna diuturno tempore Exarchorū Orientis Imperii ſedes extiterat, Archiepiſcopis, aut Romanę Eccleſię Legatis, ut antea, parere ſubſequentibus Ottonis Magni obitum temporibus recuſarunt, eorumque exemplum ſecutæ aliæ Exarchatus urbes à propriis

magiſtratibus regi voluerunt, poſthabito ſępe ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio, utpote quæ verebantur, ne Romanorum Pontificum auctoritate, Archiepiſcoporum dominio, quos nomine tenus pro dominis habebant, iterum ſubderentur. Sed nec Imperatorum majeſtatem reverebantur, niſi vi ac neceſſitate coactæ, aut cum eorundem favore, & auxilio adversùs inimicas Urbes, aut legitimos dominos Romanos Pontifices indigebant. Ad hoſce populos in ordinem redigendos ſatis virium Summis Pontificibus non ſuppetebat, deficiente, ſcilicèt, Imperatorum auxilio, qui licèt Romanæ Eccleſiæ, cujus Advocati, & Defenſores erant, jura tueri debuiſſent; nihilominus rebelles Apoſtolicæ Sedi urbes in Imperii clientelam non raró ſuſceperunt; ita tamen, ut earum dominio ſæpe ſæpiùs exciderint, cum urbes illæ modò Imperatorum, modò Romanorum Pontificum, modò neutrorum partes ſequerentur.

XXIII. In hoc perturbatiſſimo rerum ſtatu Archiepiſcopi Ravennates, ut poteſtatem ſibi in toto Exarchatu ab Apoſtolica Sede dudum conceſſam recuperarent, à Romanis primùm Pontificibus, quos legitimos Exarchatus Dominos eſſe ſciebant, deindè ab Imperatoribus, utpotè Romanæ Eccleſiæ Advocatis, opem implorarunt, cum, nempè, Sedis Apoſtolicæ auctoritate nil proficiebant; licèt ne ſic quidem ob populorum pervicaciam ſemper voti compotes facti fuerint. Joannes Papa, quem ejus nominis decimumquintum eſſe conjicio, quique anno CMXCV. defunctus eſt, in ea bulla, qua Ravennatis Eccleſiæ privilegia inſtauravit, Comitatum Comacli, Maſſamque Fiſcaliam, in Ferrarienſi Comitatu ſitam, inter alia multa, eidem Eccleſiæ conceſſit, cujus Pontificiæ largitionis mentio habetur in Ottonis III. diplomate dato anno CMXCIX. de quo infra locuturi ſumus. Binas in eandem rem bullas edidit Gregorius V. unam datam Joanni Archiepiſcopo Ravennati die XXVIII. Januarii anno DCCCCXCV. alteram Gerberto ejuſdem ſucceſſori die XXVIII. Aprilis anni ſequentis. In priori, quam Rubeus in epitomen redegit, nos verò integram reperimus inter bullas ineditas à Margarino collectas, ſic ait Pontifex. *Concedimus, atque confirmamus* (Eccl. Ravennati) *Maſſam, quæ vocatur Fiſcalia, cum omni judiciali poteſtate, & publica functione. Confirmamus quoque omnem judiciariam poteſtatem in loco, & plebe, quæ vocatur Cornu Cervinum &c. Necnon omnes reſidentes, & colonos præfatæ Ravennatenſis Eccleſiæ, tàm in Comitatu*

Vide noſtram Append. Actorum vet. n. 2.

mitatu Hadrienſi, quàm in Ferrarienſi, & Comaclensi commorantes, ut immunes ab ulla publica, & angaria maneant functione, ſed jugiter tibi, tuiſque ſucceſſoribus Archipræſulibus in perpetuum omnem functionem, & angariam exigant; & quod eis ab Actoribus Ravennatis Eccleſiæ fuerit injunctum &c. Præterea à flumine Punctari cum palude Argentæ, & omnibus pertinentibus piſcariis, terris, aucupationibus, venationibus, utraſque ripas, cunctis ædificiis in prædicto flumine ſitis uſque ad portum maris; necnon portum Volanæ uſque ad locum, qui dicitur Cervia, cum omnibus litoribus ſuis, ſylvis &c. confirmamus. Res etiam omnes, lapides, & petras tàm ſupra terram, quàm ſub terram extrà opus in publicis ædificiis poſitas, veſtræ Ravennati Eccleſiæ largimur: denique pœnam xxx. librarum auri tranſgreſſoribus imponit. Quæ ſanè omnia ad Regalia pertinent totius provinciæ Exarchatus, & nominatim Comitatus Comaclenſis, inter Cerviam, & Volani portum ſiti, quæ Ravennati Eccleſiæ, addita præſertìm pecuniaria pœna, nullo pacto condonare Pontifex potuiſſet, ſi Comaclum, cum univerſo Exarchatu non fuiſſet ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio ſubjectum.

XXIV. In altero Gregorii V. diplomate, nulla facta Maſſæ Fiſcaliæ mentione, ait Pontifex, Gerbertum Archiepiſcopum præfati Joannis ſucceſſorem alloquens, *Ex gratuita largitione noſtra poſt mortem Adeleidæ Imperatricis Auguſtæ donamus tibi, tuæque Eccleſiæ diſtrictum Ravennatis Urbis, Ripam integram, monetam, teloneum, mercatum, muros, & omnes portas Civitatis. Si verò alia privilegia aliquibus facta apparuerint S. Eccleſiæ obnoxia, & huic noſtro privilegio contraria, auctoritate Dei, & S. Petri ad nihilum redigenda illa judicamus, & hoc quod facimus, ſtabilimus, & intactum permanendum jubemus. Donamus etiam tibi, tuæque Eccleſiæ Sanctæ* Comaclensem Comitatum *poſt mortem Adeleidæ Imperatricis Auguſtæ, ut tu, tuaque Sancta Eccleſia, tuique Succeſſores illum cum omnibus inibi pertinentibus liberè teneant, & ordinent in perpetuum*. In ſequentibus Ravennati Eccleſiæ donat Cæſenam cum omnibus inibi pertinentibus, & poteſtate Apoſtolica jubet, *ut de ſubtus ſtrata uſque ad mare nullus audeat diſtrictum, aut venationem ullam exercere*, præterquam Archiepiſcopi Ravennates; quæ itidem omnia certo argumento ſunt, Comaclum à nullis Comitibus tunc temporis poſſeſſum fuiſſe, & ad Romanos Pontifices, tàm ejuſdem Comacli,

Greg. V. Bulla apud Ughell. tom. 2. pag. 349 & alios.

quàm Ravennæ, & reliqui Exarchatus ſummum imperium ſpectaſſe. Porrò ex duobus iſtis Gregorii V. diplomatibus haud inani conjectura deducitur, Gregorium ipſum Adelaidi, cum qua arcto conſanguinitatis vinculo jungebatur, Comacli Comitatum conceſſiſſe. Multa ſiquidem prædia in Comaclenſi territorio ſita, non autem Comaclum ipſum, Adelais ab Ottonis I. ejuſdem mariti in Italiam adventu poſſidebat, quæ unà cum Monaſterio Pompoſiano, alteri Monaſterio S. Salvatoris, in urbe Papia poſito, donavit, ut donationis diploma anno DCCCCLXVII. editum legenti patebit. Cum itaque Gregorius V. in priori bulla, Comaclum in Adelaidis poteſtate fuiſſe non dicat, nec ex alio quopiam veteri monumento hoc ipſum appareat, in poſteriori verò bulla Comaclum Archiepiſcopis Ravennatibus poſt Adelaidis obitum concedat, veroſimile admodum eſt, paulò ante datam poſteriorem bullam Adelaidem Comacli poſſeſſionem ex conſanguinei Pontificis largitione adeptam fuiſſe, alioquin, tam Adelais in donatione Papienſi Monaſterio facta, quàm Pontifex in priori bulla, ejuſdem comitatus, tanquam proprii Adelaidis mentionem feciſſet. Cæterum quæ ad inſimulandam falſitatis poſteriorem Gregorii V. bullam à nonnullis excogitata fuerunt, levis adeo momenti ſunt, ut nil opus ſit in iis confutandis tempus terere. Et hæc quidem Romanos Pontifices ſub Ottonum imperio feciſſe legimus; deinceps verò Benedictum VIII. ſimilia præſtitiſſe antè annum MXIV. conſtat ex veteri monumento apud Rubeum, de quo infrà ſermo erit.

Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 52.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 30. 31.

XXV. Conceſſiones iſtæ Pontificum Romanorum cum ſatis non eſſent Ravennatibus ad priſtinam ſubjectionem revocandis, ac præterea Archiepiſcopi ditionem ſuam non recuperare modo, ſed & latiùs extendere niterentur, privilegia ab Imperatoribus impetrarunt, non quòd ſummam Imperatorum poteſtatem in Exarchatum, quem ab Apoſtolica Sede obtinuerant, agnoſcerent; ſed ut eorundem, tamquàm Romanæ Eccleſiæ Defenſorum, & Advocatorum patrocinio, & auctoritate urbes, ac oppida totius regionis in Romanæ æquè, ac Ravennatis Eccleſiarum devotione faciliùs detinerent, eo prorſùs pacto, quo laudatus jam Berengarii Imperatoris Panegyriſta, Joannem X. ſummum Pontificem Romanæ Eccleſiæ privilegia ab eodem Berengario confirmari curaſſe ait, ut *Prædo*.

Ulteriùs paveat ſacras ſibi ſumere terras,

XXVI. Hinc apud Gulielmum Vallam legas Ottonis III. diplo-

diploma datum Leoni Archiepiſcopo die XIX. Decembris anno DCCCCXCIX. in quo ait, ſe Eccleſiæ Ravennati confirmare bona omnia, quæ unquam per chartas antiquas, privilegia atque præcepta ad eandem Eccleſiam pertinebant, nec non ea, *Quæ anteà*, inquit Otto III. *à Joanne Papa ad ipſam Eccleſiam ſunt oblata, & perpetualiter donata*; quæ verba de Joanne XV. intelligenda ſunt, niſi quis potiùs ea referat ad conceſſionem illam, quam Joannem XIII. anno DCCCCLXXII. Eccleſiæ Ravennati feciſſe monſtravimus. Inter bona autem Ravennatis Eccleſiæ Otto III. recenſet COMITATUM COMACLENSEM *cum ripa, & piſcariis ſuis, Comitatum Ferrariæ cum ripa, & piſcariis ſuis, nec non diſtrictum Ravennæ cum portis, ripa, & portubus, muris, publicaliis omnibus, & moneta &c.* Cæteris Comitatibus, Ravennati Eccleſiæ dudum ab Apoſtolica Sede conceſſis, Ferrariam Imperator ad captandam Archiepiſcoporum benevolentiam adjunxit, quam urbem, utpotè in Eccleſiæ Romanæ fidelitate ſemper conſtantem, Summi Pontifices Ravennatibus Archiepiſcopis nunquam tradere voluerunt, licèt tam ipſi Archiepiſcopi, quàm Ravennates ejuſdem urbis adipiſcendæ cupiditate flagrarent. Alio etiam diplomate apud laudatum Gulielmum Vallam, idem Otto Imperator in Federici Archiepiſcopi gratiam Ravennati Eccleſiæ prętер Ferrarię Comitatum, ea omnia confirmavit, quę in memorato diplomate continentur, ut novum privilegium cum antiquis Romanorum Pontificum conceſſionibus penitus conveniret. Datum hoc diploma die XXIV. Novembris anno MI. recognitumque ab Heriberto Cancellario vice Petri Epiſcopi Cumani Archicancellarii. Quamobrem pro ſuppoſititio habendum eſt tertium diploma Ughello editum, quo juriſdictionem omnem in terram S. Apollinaris eumdem Imperatorem permutaſſe cum Abbatia Pompoſiana propè Comaclum ſitâ, affirmatur; nam hoc diploma datum, recognitumque fuiſſe dicitur non ab Heriberto, ſed ab Hippolyto Cancellario die XXII. Novembris, hoc eſt, biduò antè præcedentis diplomatis promulgationem. Quis autem credat tam brevi temporis intervallo Cancellarium ab Ottone III. mutatum fuiſſe, præſertim cum conſtet Heribertum Cancellarium commoratum fuiſſe apud Ottonem III. uſque ad ejuſdem obitum, qui accidit die XXIII. Januarii ſequentis anni.

Valla de Exarchatu m. s. in Biblioth. Vaticana.

Ughell. tom. 2. pag. 357.

Lambertus in vita S. Heriberti Archiep. Colon. cap. 3. apud Bolland. die 16. Martii.

XXVII. Ignotum Ottoni III. eſſe nequaquam poterat, quod ab ejus patre, avoque in ipſa auguſtalis diadematis ſuſceptione

Deo,

Deo, & B.Petro promiſſum fuerat. Vero ſimillimum quòque eſt ipſum Ottonem III. quadriennio ante, cum Imperator Romæ ſolemniter ſalutatus fuit, ratum habuiſſe, quod pater, avuſque aliorum Imperatorum exemplo ſpoponderant: quamobrem ne ipſum perjurii, ac violatæ Romanis Pontificibus fidei reum faciamus, dicere oportet, noluiſſe Eccleſiam Romanam ſuâ ditione ſpoliare, ſed potiùs Ravennatibus Archiepiſcopis, tanquam Romanæ Eccleſiæ Advocatum, opem ferre, quò rebelles Exarchatus populos ſuo faciliùs dominio ſubdere poſſet. Sanè Otto III. in memorato diplomate Ravennatibus Archiepiſcopis ea confirmat, quæ Summi Pontifices Ravennati Eccleſiæ tam ante, quàm poſt reſtitutum ab Apoſtolica Sede Occidentis Imperium conceſſerant. At hoc ipſum non approbare, ſed rejicere potiùs, atque damnare Otto Imperator debuiſſet, ſi tantam de rebus Imperii diſponendi facultatem Romani Pontifices injuſtè ſibi arrogaſſent. Quòd ſi quis contendat, Ottonem Imperii jure talia privilegia edidiſſe, oportet etiam fateatur, factum iſtud pro injuſta, illicitaque uſurpatione habendum eſſe; cùm certo certius ſit, Summos quidem Pontifices pleniſſima poteſtate uſos fuiſſe in gubernando toto Exarchatu, ipſoque Comaclo, ſivè per ſe, ſivè per Archiepiſcopos Ravennates, à Pipini Gallorum Regis ævo, & anno DCCLV. uſque ad Joannis VIII. Pontificatum, & annum DCCCLXXVII. Ottonem verò Majorem, atque Minorem, ac ipſum quòque Ottonem III. renovatis aliorum Imperatorum privilegiis, ſummum imperium in univerſam Eccleſiæ Romanæ ditionem Pontificibus confirmaſſe.

XXVIII. Cum pro accipienda Imperii corona Henricus II. Ottonis III. ſucceſſor anno MXIV. Romam adveniſſet, poſtulavit ab ipſo Benedictus VIII. ut aliorum Imperatorum donationes, ac privilegia de more confirmaret. Extat apud Cardinalem Baronium, alioſque Auctores, Henrici II. diploma illi planè ſimile, quod in eandem rem Ludovicus Pius, & Otto Magnus edidere, cum diſerta Exarchatus, atque Comacli mentione; cujus diplomatis verba illa ipſa ſunt, quæ ſupra ex Ludovici Pii donatione retulimus. Nec de ejus authentia, atque ſinceritate dubitare fas eſt, quandoquidem in pervetuſto Chronico Reicherſpergenſi privilegium hocce ex parte inſertum legitur; integrum verò habetur in multis antiquiſſimis codicibus, quorum nonnullos Cardinalis Baronius invicem contulit; nec non in collectione inedita

Baron. ann. 1014.

Cano-

Canonum Cardinalis Deusdedit, atque etiam in libro cenſuum S.R.E.quem Cencius Camerarius compilavit, antequam Honorii III.nomine aſſumpto, Pontifex fieret. Denique ejus apographum juſſu Benedicti XII. à Joanne de Amelio confectum in Adrianæ Molis Archivo aſſervatur.

XXIX. Ad hæc uſque tempora Archiepiſcopi Ravennates excuſari fortaſſe poterint, quod neceſſitate quadam coacti, bonoque animo ad Imperatorum opem pro conſervanda Eccleſiæ ſuæ dignitate, atque ditione confugerint. At nunquam ſatis dignâ vituperatione damnandus Arnaldus, qui anno MXIV. poſt obitum Ottonis III. & poſt undecim annorum interpontificium in Ravennate Archiepiſcopatu Federico ſuffectus, ſtatim adversùs Apoſtolicam Sedem, à qua tot privilegiis aucta, tot urbium dominio Ravennas Eccleſia locupletata fuerat, perniciosiſſimo aliquibus ſuis ſucceſſoribus exemplo, rebellavit. Nam licèt à Benedicto VIII. confirmationem Eccleſiæ ſuæ privilegiorum obtinuerit; nihilominus ab Henrico II. non modò confirmationem aliam, ſed & inveſtituram Exarchatus, quod à nemine ſuorum anteceſſorum factum fuerat, in ſui Archipræſulatus initio poſtulavit, ut Imperatoriâ protectione ſuffultus malè partum dominium ſibi conſervaret.

XXX. Henricus itaque Legatos ſuos Ravennam miſit, qui die XV. Februarii anno MXVII. coram urbis Magiſtratibus, acceptâ ex eorum manibus virgâ, traditaque Arnaldo, eundem, ac Ravennatem Eccleſiam de ea ditione inveſtiverunt, quam *Per præcepti paginam Benedicti*(hoc eſt,VIII.)*aut anteceſſorum,aut per anteriorem donum,aut inveſtitionem Domini Henrici*, Eccleſia Ravennas obtinebat, ut legitur in veteri quodam monumento,quod Hieronymus Rubeus evulgavit: quibus utique verbis originem dominii ejuſdem Eccleſiæ, utpotè Imperio Occidentis vetuſtiorem, ab Imperatorum largitate nequaquam arceſſendam eſſe, clarè ſatis innuitur; & conſequenter non ſua, ſed Romanæ Eccleſiæ ablata, Henricum II. Archiepiſcopis Ravennatibus dediſſe, ex ipſorum met Imperii miniſtrorum, qui monumentum illud ediderunt, confeſſione dignoſcitur. Cumque à nobis oſtenſum ſit eundem Henricum triennio ante, in ipſo ſuſcipiendi auguſtalis diadematis actu, confirmaſſe prædeceſſorum ſuorum donationes, Eccleſiæ Romanæ factas, eaſque Summis Pontificibus integras, ac illibatas ſe conſervaturum fore, Deo, ac B. Petro ſolemni Sacramento

Hier. Rub. lib. 5. pag. 275.

mento promiſiſſe; quiſnam ſibi non perſuaſerit, hoc Henrici factum improbandum, proque injuſto, ac iniquo habendum eſſe?

XXXI. Archiepiſcopos Ravennates, qui Arnaldum anno MXIX. vita functum exceperunt, ad priſtinam Romanæ Eccleſiæ ſubjectionem reverſos fuiſſe, certiſſimo argumento eſt, quòd Apoſtolica Sedes non modò eiſdem communionem ſuam impertiverit; verum etiam ſeſſionis locum in Synodis ſuprà omnes Italiæ Archiepiſcopos anno MXL. confirmaverit: Quin & eoſdem Romam conſecrationis causâ veniſſe, ſimulque obedientiæ, & fidelitatis juramentum Summis Pontificibus præſtitiſſe, teſtis eſt Gregorius VII. in literis ad Firmanos, Ravennates, & Tuſcos, in quibus eos hortatur, ut Guibertum Ravennatem, qui anno MLXXX. Schiſma in Dei Eccleſiam, arrogato ſibi Clementis III. nomine, invexerat, Archiepiſcopatu dejicerent, *Quippe qui*, ait Pontifex *perjurium de inobedientia, & infidelitate committere non timuit, quique contra ipſam Apoſtolicam Sedem, cui pejeraverat, conſpirare pro minimo habuit*. Idem Pontifex in epiſtola ad Guidonem Comitem Imolenſem, datâ die prima Junii anno MLXXIII. antequam Guibertus ſchiſma excitaſſet, eumdem Guibertum accuſat, quòd Imolenſes, qui fidelitatem, ac ſubjectionem Apoſtolicæ Sedi juraverant, ad præſtandum ſibi fidelitatis juramentum, tanquam Imolæ Domino, compelleret. *Quidam Imolenſes*, ait Pontifex, *noſtram adeuntes preſentiam conquerendo nobis indicavere, quòd confrater noſter Guibertus Archiepiſcopus Ravennas eos contra honorem S. Petri, cui fidelitatem juravere, ſuę omnino ditioni ſubigere, & ad juranda ſibi fidelitatis attentet ſacramenta compellere*. Miratur deinde Pontifex, talia auſum fuiſſe Guibertum, *Neque enim*, ait Gregorius, *credere poſſumus, tam prudentem virum, ita aut naturæ, aut dignitatis ſuæ loci oblitum eſſe, ut qui Apoſtolorum Principi fidelitatem ipſo jurejurando promiſit, neglecto periculo ſuo, alios, qui idem fecerunt, ad perjurium nitatur per exquiſita ab eis ſacramenta pertrahere*. Guidonem denique monet, ut cives illos à Guiberto, & quibuslibet aliis defenderet, qui ab ipſis fidelitatis Sacramenta extorquere tentarent, donec Apoſtolicæ Sedis Legati, ad Guibertum coërcendum in partes illas venirent. Fidelitatis juramentum ab Imolenſibus præſtitum cum eo comparat Pontifex, quod Guibertus conſecrationem accepturus emiſerat. Conſtat itaque Guibertum Apoſtolicæ Sedi fidelitatem, ac ſubjectionem promiſiſſe non Epiſcopalis tantum-

Clementis II. bulla apud Ughell. tom. 2. Ital. ſac. pag. 360.

Gregor. VII. epiſt. 12. lib. 8.

Greg. VII. lib. 1. epiſt. 10.

tantummodò dignitatis ratione, ut cæteri Archiepiſcopi facere ſolebant, ſed etiam ob dominium illud, quod per Exarchatum, Apoſtolicæ Sedis munificentia, Archiepiſcopi Ravennates obtinebant.

XXXII. Ex hac etiam Gregorii VII. epiſtola lucidè apparet, Summos Pontifices non ita ob Arnaldi Archiepiſcopi rebellionem ſummum Exarchatus dominium amiſiſſe, ut nullæ in ea regione urbes eſſent, quæ debitam Romanæ Eccleſiæ fidelitatem conſervaverint: quandoquidem Imolenſes Arnaldi quòque Archiepiſcopi ævo, fideles Apoſtolicæ Sedi fuiſſe veroſimillimum eſt, nec dubitare ſubit, quin aliæ quòque illius regionis urbes Imolenſium conſtantiam imitatæ fuerint; licet ob veterum monumentorum penuriam factum ſit, ut de hac re, æquè ac de aliis pleriſque, eo tempore geſtis, nihil comperti habeamus. Præterea Ferrariæ Comitatum in Romanæ Eccleſiæ poteſtate circa ejuſdem Arnaldi rebellionis tempora permanſiſſe, patet ex literis Benedicti Papæ, ab Honorio III. anno MCCXXI. confirmatis: in iis enim Benedictus, quem ejus nominis Octavum Arnaldo coævum fuiſſe arbitror, Clericis, Laiciſque Maſſæ Fiſcaliæ prope Ferrariam ſitæ remittit, atque condonat, *Omnem donationem, ſeu functionem publicam, ea videlicet ratione*, ait Pontifex, *ut ſemel in uno quoque anno, tribus diebus ad legem faciendam Nuntios noſtros cuſtodire debeant; & ſingulis quibuſque indictionibus penſionis nomine dent S. Romanæ Eccleſiæ bovum par unum*. Denique pecuniariam pœnam, Apoſtolico Palatio pro medietate ſolvendam, ſtatuit adversùs eos, qui privilegium ſuum perfringere auſi fuerint; quod utique ſupervacaneum extitiſſet, ac præterea non potuiſſet Pontifex ſingulis annis Nuntios ſuos ad jus dicendum illuc mittere, ſi Ferrariæ Comitatum tunc temporis Apoſtolica Sedes nequaquam poſſediſſet. Videntur enim Archiepiſcopi donatam à Joanne XIII. Eccleſiȩ Ravennati Maſſam Fiſcaliam, ne ab Apoſtolicæ Sedis fide diſcederent, renitentibus Ferrariæ civibus, nullatenus obtinuiſſe.

Honorii III. literæ in Appendice noſtra Actorum veterum.

XXXIII. Cadolaus interea Parmenſis Epiſcopus anno MLXI. adversùs Alexandrum II. legitimum Pontificem à Theutonicis in Antipapam electus fuit, cui cum adhæſiſſet Henricus Archiepiſcopus Ravennas, ideoque excommunicatus fuiſſet, privilegium pro Eccleſia ſua obtinuit ab Henrico IV. Imperatore, qui nunquam non infenſo erga Romanam Eccleſiam animo fuit. In hoc privilegio Henrico Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus Impe-

Cap. Audivimus 24. q. 1.

rator

rator bona & jura Eccleſiæ Ravennatis, quotquot erant, die 24. Junii anno MLXIII. confirmavit, præſertim integrum portum Volanæ, & litus uſque ad portum Cervienſem, varios inſuper Comitatus, ac inter eos COMACLENSEM *cum ripa, & piſcariis ſuis, itemque Comitatum Ferrariæ cum ripa, & piſcariis ſuis, nec non & diſtrictum Ravennatenſem cum portis, & ripa, & portubus, publicaliis, & omnibus teloneis, & moneta publica &c.* Ferrariæ Comitatum aliis Comitatibus à Ravennate Eccleſia dudum poſſeſſis Henricus IV. adjunxit, non quòd illum in ſua poteſtate retineret, aut ad Imperium ſpectaret; ſed ut Ravennatibus Archiepiſcopis, Ferrariam occupare ſatagentibus, morem gereret, eâque Urbe Romanam Eccleſiam ſpoliaret. Vides itaque Comaclum, ut antea, ita poſt Arnaldi Ravennatis Archiepiſcopi rebellionem à Ravennæ, vel Magiſtratibus, vel Archiepiſcopis leges poſtulaſſe. Vides etiam hocce privilegium ab Henrico IV. datum fuiſſe, quo tempore ſchiſma excitaverat, Romanamque Eccleſiam perſequi cœperat: quamobrem nullum inde argumentum adversùs ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium in Exarchatum, atque Comacli Comitatum deduci poteſt; eò vel maximè, quòd ipſemet in literis, quas anno MLXXIII. Gregorio VII. recens electo, malè geſtorum pœnitens dedit, ultro confeſſus ſit, ſe injuſtè Eccleſiarum bona, inter quæ utique Exarchatus urbes recenſendæ ſunt, uſurpaſſe, cum ait, *Non ſolum enim nos res Eccleſiaſticas invaſimus, verùm quoque indignis quibuslibet, & ſimoniaco felle amaricatis, & non per oſtium, ſed aliunde ingredientibus, Eccleſias ipſas vendidimus, & non eas, ut oportuit, defendimus.*

Apud Ughell. to. 2. pag. 362.

Henrici IV. ep. poſt Gregor. VII. epiſt. 29. lib. 1.

XXXIV. Extincto Cadolao Antipapa anno MLXX. paulò poſt obiit quòque ejuſdem fautor Henricus Archiepiſcopus Ravennæ, cui Guibertus, Henrico IV. Imperatore poſtulante, ab Alexandro II. ſuffectus fuit, cum antea fidelitatem, ac ſubjectionem, ut obſervavimus, Apoſtolicæ Sedi juràſſet. Hic ab eodem Henrico Imperatore, qui Gregorium VII. Alexandri II. ſucceſſorem infenſo odio proſequebatur, Pſeudo-Pontifex factus in conciliabulo Brixinenſi anno MLXXX. licet Ravennam cum toto Exarchatu detineri in Henrici IV. Imperatoris poteſtate pateretur, voluit tamen ſua Ravennati Eccleſiæ privilegia conſervare. Extat enim decretum Conciliabuli, ab ipſo Ravennæ habiti anno MLXXXIII. in quo ſic ait. *Hujus noſtri privilegii auctoritate firmamus, quæcunque in privilegiis Romanorum Pontificum leguntur, Pauli,* Ser-

Apud Ferrettum inter monumenta de Exarchatu Carolo V. exhibita, vide Rubeum pag. 311.

Sergii, Anaſtaſii, Leonis, Hadriani, Eugenii, Marini, Agapiti, Gregorii, & cæterorum. Item præcepta Imperatorum Juſtiniani, Theodoſii, Valentiniani, Ludovici, Caroli, Ottonis, Conradi, Henrici, & aliorum omnes donationes, & conceſſiones illorum, quas Ravennati feciſſe perhibentur Eccleſiæ, tam in Epiſcopatibus, quàm in Abbatiis, Comitatibus, Exarchatu, cæteriſque ſimilibus, quę in privilegiis, & pręceptis pleniùs habentur. Comitatus autem enumerans, Comaclenſem etiam in omnibus Pontificum, & Imperatorum diplomatibus memoratum, proculdubio intellexit; ut dubitari nequeat Comaclum tunc temporis, ad Ravennatis Eccleſiæ dominium ſpectaſſe.

XXXV. Cum poſt Guibertum rebus humanis anno MC. exemptum, tàm alter Antipapa, Maginulfus nomine, electus, quàm Otto in Archiepiſcopum Ravennatem ab Henrico IV. intruſus fuiſſet, Paſchalis II. ut in poſterum Ravennas Eccleſia Romanæ minùs moleſta eſſet, in Synodo apud Guaſtallam anno MCVI. habita, conſtituit, *Ut Æmilia tota cum ſuis Urbibus, ideſt, Placentia, Parma, Regio, Mutina, Bononia, nunquam ulteriùs Ravennati Metropoli ſubjacerent. Hæc enim Metropolis per annos jam pœnè centum contra Sedem Apoſtolicam ſe erexerat, nec ſolum ejus prædia uſurpaverat, ſed ipſam Romanam Eccleſiam aliquandò invaſit Guibertus ejus Metropolis incubator.* Ità coævus Auctor vitæ Paſchalis II. quæ extat apud Cencium Camerarium in libro Cenſuum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & cujus partem Cardinalis Baronius Eccleſiaſticis faſtis inſeruit. Scriptor iſte rebellionis auctorem innuit Arnaldum Archiepiſcopum, quem ab Henrico II. Exarchatus inveſtituram anno MXIV. accepiſſe jam vidimus; ab eo enim tempore ad annum MCVI. centum circitèr anni numerantur. At ejus verba non ita intelligi debent, ut toto hoc annorum curriculo nunquam Archiepiſcopi Rauennates ad Apoſtolicæ Sedis ſubjectionem redierint: oſtenſum enim eſt, Arnaldi ſucceſſores, ipſumque Guibertum nepharii ſchiſmatis architectum, fidelitatem Eccleſiæ Romanæ juraſſe, & in communione Apoſtolicæ Sedis, ut plurimùm, extitiſſe.

Acta Concil. Guaſtallenſis apud Baron. an. 1106. pag. 52. 53.

XXXVI. Henrico IV. vitâ functo, licet in Romanæ Eccleſiæ perſecutione Henricus V. ejuſdem filius non ceſſaret, Eccleſiam tamen Ravennatem, cum defectionis, & ſchiſmatis, Gualtero Archiepiſcopo auctore, pœnituiſſet, in priſtinam Metropoleos per Æmiliam dignitatem reſtituit Gelaſius II. editâ Bulla die VII. Au-

guſti anno MCXIX. in qua cuncta privilegia, à Summis Pontificibus, & Catholicis Regibus eidem Eccleſiæ conceſſa, confirmavit. *Eccleſia ſiquidem Ravennatis*, ait Pontifex, *per multa jam tempora ab Apoſtolicę Sedis unitate diviſa, multas eidem Sedi Apoſtolicę perſecutiones intulit, & Eccleſiis multis perverſi ſchiſmatis fomitem miniſtravit: Quapropter ad ejus nequitiam deprimendam, ſubjectarum ei Eccleſiarum quaſdam ſibi Apoſtolica Sedes aſſumpſit, ut vel ſic eam ad humilitatis, & unitatis tramitem revocaret; ſed cum tandem Divinę Majeſtati beneplacitum fuit, eamdem Ravennatenſem Eccleſiam miſericordię ſuę gratiâ ad unitatem, & obedientiam matris ſuę Romanę Eccleſię revocavit. Iniquitatem namque ſuam illius filii recognoſcentes, delicta patrum corrigere probaverunt, ut qui pręteritis temporibus per tyrannidem Regiam Pręſules Regibus placentes, accipiebant, nunc demùm, ſecundùm Canonicas ſanctiones, Epiſcopum Deo placentem eligerent, & ſchiſmate abdicato, in Catholicę congregationis gremium repedarent.* Deindè Pontifex Gualtero Archiepiſcopo, & per ipſum Eccleſiæ Ravennatium *dignitatem omnem, quam antè illius diviſionis tempora per Romanam Eccleſiam poſſederat*, reſtituit, & *ſalvo in omnibus jure, atque auctoritate Sedis Apoſtolicæ*, denuò ejſdem concedit Epiſcopatus omnes Æmiliæ Provinciæ, necnon, & *Ducatum Ravennæ*, ut videre eſt in ejuſdem Gelaſii II. Bulla apud Rubeum in hiſtoria Ravennate. Calixtus II. anteceſſoris ſui bullam totidem ferè verbis confirmavit die VII. Januarii anno MCXXI idque ipſum præſtitere Honorius II. anno MCXXV. necnon Innocentius II. die XXI. Decembris anno MCXXXIII. qui omnes non Ravennæ Ducatum, ut Gelaſius ait, ſed clariùs Ravennæ Exarchatum, ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio ſubjectum, ſe ejuſdem urbis Archiepiſcopis largiri dicunt his verbis. *Confirmamus vobis Exarchatum Ravennæ, qui Romanæ Eccleſiæ juris eſt*, quo pacto tàm Romanæ, quàm Ravennatis Eccleſiarum jura Summi Pontifices in priſtinum ſtatum reſtitui curarunt. Honorii II. bullam habet Ughellus, Calixti verò extat in ſcripto Codice Vaticano. Innocentii denique bullam exhibet Gulielmus Valla de Exarchatu unâ cum antiquis aliis monumentis ex Archivo Eccleſiæ Ravennatis depromptam.

Rub. Hiſt. Ravennat. lib. 5. pag. 321.

Apud Ughel. tom. 2 pag. 365 & Gul. Vallā de Exarchatu m. s. in Bibl. Vaticana.

XXXVII. Federicus I. poſt Conradi III. obitum Imperator anno MCLIII. ſalutatus, Romanæ Eccleſiæ ditionem invadere, & Apoſtolicæ Sedis dignitatem peſſundare cœpit anno præſertim

MCLIX.

MCLIX. quo Widonem Romanæ Eccleſiæ Diaconum, reluctante Adriano IV. in Ravennatem Eccleſiam perperam invexit. Hic Federici partibus ſemper adhæſit; quamobrem idem Federicus poſt intruſum menſe Octobri ejuſdem anni Victorem Antipapam adversùs Alexandrum III. legitimum Pontificem, die XVI. Aprilis ſequentis anni cum Laude eſſet, auguſtales literas dedit, quibus Ravennati Eccleſiæ confirmat inter alia *Comitatum* COMACLENSEM *cum ripa, & piſcariis ſuis uſque ad portum Cerviæ*, ſine ulla Ferrariæ mentione, licet ab Ottone III. & Henrico IV. Ravennati Eccleſiæ tradita fuiſſet; quia nimirum ejus cives in Apoſtolicam Sedem fideliſſimi, Ravennatibus ſubjici nunquam paſſi ſunt. Diploma iſtud Ughello relatum, Rubeo memoratum, & à me viſum in veteri membrana, quam iidem Auctores præ manibus habuerunt, authenticum nequaquam eſſe patet; quamobrem de ejus ſuppoſitione ſuſpicio nonnulla haberi poteſt. Comaclum, quoque in ſua poteſtate retinuiſſe Federicum I. paulò ante quàm Venetiis pacem cum Alexandro III. ſanciret, nonnulli ex literis colligent, datis ab ipſo Ravennæ die XVII. Maji anno MCLXXVII. in quibus Comaclenſes Piſcatores ſub imperatoria protectione ſuſcepiſſe, eiſque privilegia non pauca conceſſiſſe dicitur, nulla facta Comitis Comaclenſis mentione. Verùm literas haſce à Ferro vulgatas ſuppoſititias eſſe ex earundem ſubſcriptionibus colligitur, quippe quæ longè diſcrepant ab aliis genuinis ejuſdem Imperatoris privilegiis; nam apud Ferrum ità ſe habent, *Ego Philippus Cancellarius Italiæ recognovi. Ego Protonotarius hanc paginam ſcribere juſſi.* In aliis vero diplomatibus, circa eadem tempora editis, quæ falſitatis accuſare nemo jure poterit, Godefridus tantùm Cancellarius, vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopi, & Italici Regni Archicancellarii recognoviſſe dicitur, quam ſubſcriptionem à præcedenti multùm differre, nemo non videt; in aliis verò diplomatibus, in quibus Protonotarii mentio fit, ejuſdem nomen habetur, & ipſum dediſſe literas, non autem ſcribere juſſiſſe affirmatur.

XXXVIII. Verùm enim verò etiamſi memorata diplomata genuina eſſent, tamen Federici I. facta in conſequentiam, ut ajunt, trahi neutiquam poſſunt. Nullus enim ignorat, ipſum acerrimum fuiſſe Romanorum Pontificum hoſtem; eaque diplomata tunc data fuiſſe dicuntur, cum Eccleſiam Dei nephario ſchiſmate lacerabat, & armis inſuper Romanam Eccleſiam perſequebatur, licèt initio imperii ſui *Honorem Papatus, & regalia S. Petri, ſicut*

Ughel. tom 2. Ital. Sac. pag. 370.
Rubeus lib. 6. pag. 344.

Ferrus in Hiſt. Comacl. pag. 268.

Federic. I. Diploma dat. die XVI. Aug. an. MCLXXVII. apud Margarinum in Collect. m 1. ex regeſto Monaſterii S. Georgii Majoris Venetiarū fol. 75. Vide Ughel. tom 5. pag. 63. 751.

 devo-

Acta Concordiæ Federici I. cum Eugenio III. apud Baron. tom. XII. pag. 378.

devotus, & ſpiritualis Advocatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ contra omnes homines pro poſſe ſuo ſervare, & defendere, atque amiſſa recuperare, & recuperata defendere, Eugenio III. ſolemni juramento promiſiſſet. Præterea brevi poſt tempore, quàm Comaclenſes Piſcatores privilegiis ornaſſe dicitur, Venetiis cum Alexandro III. pacem, ſublato ſchiſmate, ſancivit, die, ſcilicèt, ſexta Julii ejuſdem anni, promiſitque ſe redditurum Eccleſiæ Romanæ cuncta, quæ ab ejuſdem ditione ſubtraxerat. Auctor ſiquidem coævus actorum Alexandri III. de poſtremo ejus colloquio, cum Federico I. Venetiis habito, ſcribens, ait, Pontificem ab Imperatore petiiſſe, *Ut regalia S. Petri, & poſſeſſiones Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut per mediatores Cardinales, & Principes apud Anagniam conſtitutum fuerat, & firmatum, ſibi reſtituere faceret. Cui reſpondens Imperator dixit, Regalia S. Petri, & poſſeſſiones alias Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præter terram Comitiſſæ Mathildis, & Brectanorum liberè reſtituam; ſed quia illa mihi videntur ad jus Imperii pertinere, vos eligite de principalibus noſtris tres, & nos de Cardinalibus totidem eligemus ad iſta tractanda, quorum judicio pars utraque irrefragabiliter ſtare debeat. Quod licèt Pontifici grave nimis, & durum fuerit, quoniam & in forma pacis de reſtituenda terra Comitiſſæ Mathildis expreſſum fuerat, ac juratum, & tunc ipſe caſtrum Brectanorium poſſidebat; ne tamen occaſione iſta pax Eccleſiæ turbaretur, voluntati ejus tandem aſſenſum præbuit.*

Contelor. Acta concord. Alex. III. cum Federico I. pag. 192.

Pagius in Critica Baron. an. MCLXXVI. n. 6. ex Arch. Caſtri S. Angeli.

XXXIX. Extant apud Antonium Pagium memorata modò acta concordiæ apud Anagniam die XXI. Octobris anno præcedenti inter Federici I. Legatos, & Alexandrum III. ſancitæ, in quibus conventum fuit, ut Federicus abjurato ſchiſmate, Præfecturam Urbis, & terram Comitiſſæ Mathildis, nec non regalia S. Petri, & alias poſſeſſiones, quas vel ipſe, vel ſui abſtulerant, Eccleſiæ Romanæ reſtitueret, ac reſtitui curaret. Subdit memoratus Auctor geſtorum Alexandri III. Federicum I. ſtatim præcepiſſe Chriſtiano Archiepiſcopo Moguntino, *ut reſtitutionem ipſam infra tres menſes cum integritate perficeret*, Chriſtianus autem Archiepiſcopus unâ cum Raynerio Cardinali, & Greco Subdiacono, ut Romualdus Salernitanus teſtatur, *in Romaniam deſcenderunt pro reſtauratione regalium, quæ Imperator invaſerat, recipienda*. Revocavit itaque Federicus quidquid contra ſummum Romanæ Eccleſiæ imperium perpetraverat, & conſequen-

Romuald. Salern. apud Conteloriũ in Hiſt. Cõcordiæ Alex. III. cum Federic. I. pag. 134.

ſequenter ſi quæ poſteà, tàm circa Comaclum, quàm circa aliquam aliam Eccleſiaſticæ ditionis partem attentavit, ea utique pro irritis, infectis, atque injuſtis haberi debent.

XL. Henricus VI. Federici I. filius & in Imperio ſucceſſor, æque ac pater Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimus hoſtis, poſtulante Salinguerra Torello, qui jam tùm Ferrariæ tyrannidem exercere cœperat, privilegium Ferrarienſibus conceſſit die XII. Februarii anno MCXCI. apud Bononiam, in quo, præter alia multa, eiſdem Comacli Comitatum, Ravennatibus dudum ademptum, confirmavit, ut fideliſſimam urbem ab Apoſtolica Sede alienaret. *Ad hęc*, inquit Imperator, *concedimus prædicto Communi Ferrarienſi juriſdictionem, ſeu diſtrictum in civitate Ferrarienſi, & extra civitatem, à mari uſque ad Tartarum, item uſque ad medium portum Laureti. Item* COMACLUM *cum ſuo Comitatu, ex alio latere Padi uſque ad foſſam de Boſio: ex alio latere Atheſis à Bocca veteri, & Salvaterra, deſcendendo per Atheſim, uſque ad diſtrictum Venetorum, & ex alio latere à flumine veteri in tranſverſum uſque ad diſtrictum Bononienſem*: & paulò poſt. *Item omnia jura, & conſuetudines, quas hactenus intra prænominatos terminos habuerunt Ferrarienſes, eis confirmamus*. Ita autem legitur in apographo ejuſdem diplomatis ab Armanno Ferrariæ tabellione anno MCCXXXI. exarato, cujus verba fruſtra quiſpiam dicat, vel aliter concepta fuiſſe, vel ita corrigenda eſſe, ut legatur, *Ad hęc concedimus prædicto Communi Ferrarienſi juriſdictionem, ipſos recipientes. Statuentes etiam, ut ſupradictus Bannus, ſeu diſtrictum in civitate Ferrarienſi, & extra civitatem à mari uſque ad Tartarum. Item uſque ad medium portum Laureti. Item uſque ad* COMACLUM *cum ſuo Comitatu. Ex alio latere Padi uſque ad foſſam de Boſio. Ex alio latere Atheſis à Bucha veteri &c.* Nam præterquamquod diplomatis ſenſus, ſi ita legeretur, non benè ſibi conſtaret, de tam antiqui exemplaris lectione dubium movere nefas eſt, eô præſertim, quòd Gaſpar Sardius, & Alexander ejuſdem cognominis, atque etiam Jo: Baptiſta Pigna priorem lectionem, utpotè genuinam ſecuti, verba Henrici VI. ita intellexerint, ut Comaclum non pro termino, ſed pro parte Ferrarienſis diſtrictus in eo diplomate habeatur. Sanè Ferrarienſes, hoc diplomate, pręter cætera eorum in Comaclum jura, fretos, ſemper contendiſſe Ferrariæ diſtrictûs partem eſſe Comaclum, eorundem Hiſtoricorum teſtimonio comprobari, vel ii, qui pro Eſtenſibus Principi-

In Cod. m. ſ. Privil. Ferrariæ in Arch. ſecreto.

Oſſervat. ſopra la lettera del Domin. temporale an. 1708. pag. 54.

Gaſpar Sardius Hiſt. Ferrar. l. 1 pag. 33 Alex. Sardius m. ſ. Pigna Hiſt. Princ. Atest. pag. 127. & 161.

 bus

bus ſcripſere, non ambigunt. Dicendum itaque Henricum VI. injuſtè quidem, re vera tamen Ferrariæ civibus Comacli poſſeſſionem confirmaſſe; idque ipſum legitima auctoritate feciſſe Summos Pontifices Innocentium III. & Innocentium IV. teſtis eſt Pigna in Ateſtinorum Principum hiſtoria: quando autem, quave occaſione ab eiſdem Pontificibus hoc factum fuiſſe videatur, dicemus num. XLV.

Pigna Hiſt. Princ. Ateſt. pag. 127. 162.

XLI. Comaclenſes poſt Adelaidis Imperatricis obitum, qui accidit die XVI. Decembris anno CMXCIX. in Ravennatum Archiepiſcoporum poteſtatem juxta Gregorii V. conſtitutionem veniſſe, credere par eſt. In ea autem Italicarum rerum perturbatione, quæ Adelaidis, & Ottonis III. obitum per ducentos ferme annos ſubſecuta fuit, magna inter Ferrarienſes, & Ravennates ob urbium vicinitatem, atque potentiam rivalitas interceſſit. Quamobrem licet Henricus II. Comaclum una cum pluribus aliis Exarchatus urbibus, Archiepiſcopis Ravennatibus ab Apoſtolica Sede dudum contraditis, Arnaldo Archiepiſcopo per inveſtituram anno MXIV. injuſtè conceſſerit; Ferrarienſes tamen, vel quia Comaclum antiquo jure ad ſuam pertinere urbem contenderent, vel ut de Ravennatibus Archiepiſcopis ulciſcerentur, qui Ferrariam Imperatorum auxilio atque auctoritate in ſuam ditionem, invitis, ut num. XXVI. & XXXIII. obſervavimus, Romanis Pontificibus, redigere conabantur, frequentia cum eiſdem Ravennatibus bella feliciter adeo geſſerunt, ut Comaclenſes, vel armis coactos, vel Ravennatum dominationis pertæſos in ſuam poteſtatem redegerint. Memoratum itaque privilegium Ferrarienſes ab Henrico VI. poſtularunt, ut Comacli dominium, quod favore Summorum Pontificum, qui illud Ravennatibus Archiepiſcopis antiquitus conceſſerant, aliquo modo retinere non poterant, Imperatoria auctoritate ſibi conſervarent.

XLII. Poſt duos menſes à dato Ferrarienſibus privilegio Romam veniens Henricus VI. à Cæleſtino III. die XV. Aprilis ejuſdem anni Imperii diadema ſuſcepit, præſtito priùs ante Vaticanæ Baſilicæ fores juramento; *Quòd ipſe Eccleſiam Dei, & jura Eccleſiaſtica fideliter ſervaret illibata, quòd rectam juſtitiam teneret, & quòd patrimonium B. Petri, ſi quid inde ablatum eſſet, in integrum reſtitueret*; quo juramento, ſi quid Romanæ Eccleſiæ juribus in concedendo Ferrarienſibus Comacli Comitatu nocere potuit, penitùs delevit. At nihilominùs Româ diſcedens Henricus,

Rogerius Hoveden. inter Anglicarū rerum Scriptores per Savilliū pag. 689.

cus, bellum Tancredo ſtatim indixit, ut ipſi utriuſque Siciliæ Regnum, quod ab Apoſtolica Sede obtinuerat, auferret. Alia inſuper non pauca adversùs Romanam Eccleſiam perpetravit, ob quæ tandem anathemate à Cæleſtino III. percuſſus fuit anno MCXCV. *Baron. anno 1195.* Pontificias, ut videtur, cenſuras ulturus Imperator Henricus, inveſtituram Ducatus Ravennatis, eo ipſo anno Marcualdo Dapifero ſuo injuſtè conceſſit. *Concordia inter Marcualdum, & Ravennates apud Rubeum lib. 5 pag. 361.* Verùm biennio poſt morti proximus cuncta, quæ Romanæ Eccleſiæ abſtulerat, ac præſertim Ravennæ Ducatum, eidem reſtitui in ultimi teſtamenti ſui tabulis mandavit, cujus partem ad verbum refert antiquus Auctor vitæ Innocentii III. in qua Henricus ita ſancivit, *Inſuper præcipimus Marcualdo Seneſcalco noſtro, ut Ducatum Ravennatem, terram Brictinorii, Marchiam Anconæ recipiat à Domino Papa, & Romana Eccleſia, & recognoſcat etiam ab eis Medeſinam, & Argelatam cum eorum pertinentiis; de quibus omnibus ſecuritatem ei juret, & fidelitatem faciat, ſicut Domino ſuo. In morte verò, ſi ſine hærede deceſſerit, Ducatus Ravennæ, & terra Brictinorii, & Marchia Anconæ, Medeſina, & Argelata cum earum pertinentiis in dominio Eccleſiæ remaneant.* *Vita Innoc. III cap. 27. Vide ejuſdem regeſti lib. 1. ep. 230. & lib. 7. ep. 228.*

XLIII. Objit Henricus VI. die XXIX. Septembris an. MCXCVII. & paucos poſt menſes Innocentius III. die, ſcilicèt, octava ſequentis anni electus eſt Pontifex. Hic in ipſo præſulatus ſui exordio majorem ditionis Eccleſiæ Romanæ partem à Federico I. & Henrico VI. injuſtè occupatam, & Theutonicis inſtar Imperii Provinciarum in feudum traditam, feliciſſimo eventu recuperavit. *Vita Innoc. III cap. 9.* Marcualdus tunc temporis in Piceni Provincia, ſibi ab Henrico VI. Imperatore contradita, degebat, Ravennâ ab ipſis, ut videtur, civibus expulſus. Hunc Pontifex regionem illam deſerere, & in Neapolitanum regnum ſecedere compulit. Piceno recepto, ac Ferraria ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam jam antea ſponte reversâ, mox de Exarchatu ad plenam Apoſtolicæ Sedis ſubjectionem redigendo agere cœpit Innocentius. At Archiepiſcopus Ravennas, licèt eò inopiæ ob populorum inobedientiam, & ob frequentes Imperatorum occupationes redactus eſſet, ut Innocentio III. opus fuerit ejus ſucceſſorem à Romano itinere pro accipiendo pallio, paucos poſt annos non modò excuſare, ſed & ſacra eidem indumenta dono mittere, quibus divina myſteria celebrare decentiùs poſſet; *Innoc. III. Regeſt. lib. 10. ep. 47. & 115.* nihilominùs Apoſtolicæ Sedis Nuntiis impedimento fuit, quò minùs plenam provinciæ poſſeſſionem acciperent,

Vita Innoc. III cap. 12. rent, ut coævus Innocentii III. vitæ auctor teſtatur his verbis. *Miſit pretereà Innocentius Nuntios, & Legatos ad recuperandum Exarchatum Ravennæ, Brictinorium, & terram Cavalca Comitis. Sed Archiepiſcopus Ravennas aſſerebat, Exarchatum antiquitùs fuiſſe conceſſum à Romanis Pontificibus Eccleſię Ravennati, & priuilegia oſtendebat. Brictinorium quòque conceſſum fuiſſe de novo ab Alexandro Papa, dum Venetiis moraretur. Superſedit ergo Dominus Innocentius prudenter ad tempus magis, quàm ſuper hoc vellet aliquid experiri. Permiſit autem, ut Archiepiſcopus Rauennas, ſalvo jure Apoſtolicę Sedis, recuperaret Brictinorium, & teneret.*

XLIV. Conſtat itaque Ravennæ Ducatum, cum omnibus ejus in Comaclum juribus, ex injuſto Marcualdi dominio ad veterem Eccleſiæ Ravennatis, atque adeò ad Eccleſiæ Romanæ, quæ Exarchatum Ravennati conceſſerat, ſubjectionem initio Pontificatus Innocentii III. rediiſſe. Obſervandum tamen eſt Gulielmum Archiepiſcopum Ravennatem non ideò Innocentio III. Exarchatum integrum repetenti, ſeſe oppoſuiſſe, ut debitam Apoſtolicæ Sedi ſubjectionem denegaret; ſed ut ſuæ tantummodò Eccleſiæ jura tueretur, cujus Præſulibus totius Exarchatus gubernationem Summi Pontifices ab eo tempore, quo Romanæ Eccleſiæ à *Rubeus lib. 5. pag. 364. Innoc. III. ep. 27. lib. primo.* Pipino Gallorum Rege donatus fuerat, delegaverant. Hinc apud Rubeum diligentiſſimum Ravennatis hiſtoriæ ſcriptorem legas, eumdem Archiepiſcopum, & Ravennates, omnium primos Innocentii III. ac Romanæ Eccleſiæ partes ſequutos fuiſſe, & eodem Innocentio jubente, ut quibus poſſent militarium copiarum auxiliis Carſendino Subdiacono, & ſuo per Flaminiam, ac Æmiliam Legato adeſſent, obtemperaſſe, eorumque potiſſimùm, ac Bononienſium quòque ope, Cæſenates, & Forolivienſes ad obe- *Innoc. III. Regeſtum ann. 10. epiſt. 116. Vide an. 9. ep. 108.* dientiam Eccleſiæ Romanæ revocatos fuiſſe. Prætereà apud eundem Innocentium III. tanquam ſupremum Exarchatus dominum, lis conteſtata, ac definita fuit inter Archiepiſcopos Ravennates, & Faventinos de juriſdictione, atque dominio in Oppida Lugi, ac Sancti Potiti, & Caſtri Aurioli contendentes, ut ex ejuſdem Pontificis literis liquidò conſtat.

XLV. Intereà bellum Ferrarienſibus cum Ravennatibus gerebatur, ortum quidem iis de cauſis, quas num. XLI. retulimus, continuatum verò ob Henrici VI. conſtitutionem, qua integrum Comacli comitatum Ferrarienſibus addixerat; cum autem per

plu-

plures annos pugnatum eſſet, pax tandem ſancita exeunte Septembri anno MCC. in quâ de Comaclo inter alia decretum fuit hiſce verbis. *Item commune Ferrariæ debet habere in Civitate* COMACLI *omnem illam juriſdictionem, & rationem, quam retro antè inceptam proximam guerram habuerunt. Et commune Ravennæ ſimiliter debet habere in Civitate* COMACLI *totam illam juriſdictionem, & rationem, quam retro antè inceptam proximam guerram habuerunt*. Pacificationem iſtam Rubeo doctiſſimo Ravennatis hiſtoriæ ſcriptori ignoratam, vel præ patriæ amore ſilentio præteritam, Innocentius III. jure ſummi in utramque urbem imperii legitimè confirmaſſe videtur, itaut Comacli Comitatus, Ravennatibus ante Henrici VI. tempora ademptus, diſtrictui Ferrarienſi, hoc etiam nomine adjiceretur, idque ipſum proculdubio ab eodem Pontifice factum fuit anno MCCVI. cum Azoni Eſtenſi confirmavit poteſtatem illam, quam abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate in urbem Ferrariam, perperam ſibi arrogaverat; deque hac Innocentii III. & alia ſimili Innocentii IV. confirmatione loquutus fuiſſe videtur Pigna, cum ait, eoſdem Pontifices unionem Comacli cum Ferrarienſi Comitatu approbaſſe.

Codex Privilegiorum Ferrariæ m.s. in Archiv. ſecr.

Innoc. III. ep. 180. an. 9. apud Rain. an. 1206 num. 38 & ep. 77. in Regeſto an. 14. apud Rain. an. 1211. num. 8.

XLVI. Vacante poſt Henrici VI. obitum Imperio, pars una Germaniæ Principum Philippum Sueviæ Ducem, alia verò Ottonem Saxoniæ itidem Ducem Henrico VI. ſubſtituerunt anno MCXCVIII. Ottonem Apoſtolica Sedes ſuſcepit, rejecto Philippo, utpotè qui ob invaſam, vivente Henrico VI. Romanæ Eccleſiæ ditionem, à Cæleſtino III. anathemate percuſſus fuerat. Otto itaque ſcientibus, atque approbantibus, ut ipſemet teſtatur, Imperii Principibus, diploma unâ cum ſolemni ſacramento edidit Spiræ die XXIII. Martii anno MCCIX. quo provincias cunctas à deceſſoribus ſuis Romanæ Eccleſiæ donatas, vel reſtitutas, ſe Apoſtolicæ Sedi conſervaturum pollicitus fuit, eas præſertim, quas Innocentius III. tunc ab injuſto imperii dominio vindicaverat. *Poſſeſſiones etiam*, inquit Otto, *quas Romana Eccleſia recuperavit ab anteceſſoribus noſtris, ſeù quibuslibet aliis antè detentas, liberas, & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas retinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit, ad recuperandum pro viribus erimus adjutores, & quæcumque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicofano uſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis,*

Apud Innoc. III. in Regeſto Imperii epiſt. 189. & apud Rainaldũ an. 1209.

dis, Comitatus Bertinorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis cum aliis adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis Imperatorum, & Regum à tempore Ludovici, ut eas habeat Romana Eccleſia in perpetuum cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Hanc promiſſionem, in qua Comaclum quòque, utpotè Exarchatus urbs, continetur, ab Ottone IV. renovatam fuiſſe, cum Imperii coronam, die XXIX. Septembris ejuſdem anni Romę ſuſcepit, ambigi nequit.

XLVII. Roma vix diſceſſerat Otto IV. cum Neapolitanum Regnum, omnemque Romanę Eccleſiæ ditionem invadere cœpit, Extat apud Ughellum ejuſdem diploma datum apud S. Miniatum die XXX. Octobris anno MCCIX. in quo ad preces Ubaldi Archiepiſcopi bona cuncta Ravennati Eccleſiæ confirmat, & inter ea recenſet Comitatum Comacli cum ripa, & piſcariis ſuis, Comitatum Ferrariæ cum ripa itidem, & piſcariis ſuis, necnon portum Volani integrè cum piſcariis ſuis, & omni litore maris, & portubus uſque ad portum Cerviæ. At Innocentius III. non modò adversùs eundem Ottonem anathema protulit, cunctaque ejuſdem adversùs Romanam Eccleſiam geſta caſſavit, ſed & Federicum II. Henrici VI. Imperatoris filium ab Imperii Proceribus in Romanorum Regem eligi fecit. Voluit tamen Pontifex, ut Federicus antequam Aquiſgrani coronaretur, quidquid Otto IV. Eccleſiæ Romanæ in ipſo coronationis actu, & antea quòque promiſerat, ſe adimpleturum fore polliceretur. Præſtitit id Federicus II. cum omnium Imperii Principum aſſenſu, atque approbatione, dato diplomate die XII. Julii anno MCCXIII. apud Egram, quod planè ſimile eſt illi, quod Otto IV. ediderat, ut videre eſt apud Bzovium in Annalibus Eccleſiaſticis. Ex diplomatibus, quæ hoc tempore Germaniæ Principes Innocentio III. poſtulante ediderunt, illud reperitur in Adrianæ Molis Archivo, quod Ludovicus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ ſeorſim à cœteris Principibus apud Uormatiam dedit die VI. Octobris Indict. II. hoc eſt eodem anno MCCXIII.

Ughell. Ital. ſacr. tom. 2. pag. 374.

Innoc. III. Regeſt. lib. 15. ep. 84.

Bzov. an 1213. num. 3.

XLVIII. Hoc ipſum à Federico II. renovari curavit Honorius III. Innocentii III. ſucceſſor, cum idem Federicus Romæ ſe imperatorio diademate inſigniri poſtulabat, mortuo jam Ottone IV. die XIX. Maji anno MCCXVIII. Paruit Pontifici Federicus, dato diplomate illi planè ſimili, quod anno MCCXIII. apud Egram emiſerat, præſtitoque iterum ſacramento Haganoæ menſe Septembri

Rainald. an. 1218.

anno

anno MCCXIX. His non contentus Honorius III. ab Imperii quòque Principibus ea omnia denuo rata haberi poſtulavit, paritumque Pontifici die XXVIII. Aprilis, anno MCCXX. edito in ſolemni Curia apud Francfordiam diplomate, cujus hæc ſunt verba. *Nos Principes Imperii &c. quidquid S.R.E. matri noſtræ factum eſt per Dominum noſtrum Fridericum Dei gratiâ Romanorum Regem &c. per privilegia, ſeu etiam ſcripta ſua, pro omni diſcordia ſopienda, & evitanda in poſterum, & pro pace totaliter reformanda pariter, & conſervanda &c. noſtri nomine Principatûs, ſicut olim ad petitiones, & preces, nec non & mandatum prędicti Domini noſtri Regis Friderici, tempore bonę memorię Domini Innocentii III. Papę, pro bono pacis, ad omnia ſcandala evitanda, ipſi Sanctę Romanę Eccleſię ſuper privilegiis ipſius Regis ſibi datis, noſtram tunc voluntatem prębuimus, & conſenſum; ſic nunc eandem voluntatem, & conſenſum noſtrum noviter innovamus, & per omnia approbamus: et ut hęc noſtra voluntas, et approbatio, ſiue innovatio à nobis ipſi Sanctę Romanę Eccleſię in perpetuum obſeruentur &c. hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtrorum ſigillorum munimine roboratum, ſuper omnibus privilegiis ab ipſo Rege uſque nunc ſibi datis, & etiam adhuc dandis, tàm ſuper facto Imperii, quàm ſuper facto Regni Siciliæ, ita quòd Imperium nihil cum ipſo Regno habeat unionis, vel alicujus juriſdictionis in ipſo.* Poſtquam autem tot diplomatibus Apoſtolicæ Sedi cautum fuit, tunc demum Federicus II. die XXII. Novembris, anno MCCXX. iteratis, ut in duplici ſuo juramento anno MCCXIII. & MCCXIX. promiſerat, eiſdem ſacramentis, Imperii coronam ab Honorio III. Romæ ſuſcepit.

Extat authenticum Diploma in Archiv. Caſtri S. Angeli, & lib. 3. Privileg. Eccl. Rom. fol. 19. & 231.

XLIX. Simeon Ravennas Archiepiſcopus, qui ſuorum prædeceſſorum more, nullum non lapidem movebat, ut inobedientes Ravennæ, ac totius Exarchatus populos in ordinem redigeret, Federicum II. Romam euntem, Bononiæ die V. Octobris anno MCCXX. convenit, novumque ab ipſo privilegium, Ottonis IV. privilegio haud diſſimile, obtinuit: poſtmodum verò cum nihil imperatoriâ auctoritate profeciſſet, Honorii III. opem imploravit. Hic die XIV. Martii anno MCCXXIV. bullam edidit, Rubeo relatam, qua bona, ac jura omnia Ravennatis, Eccleſiæ confirmavit, ac nominatim diſtrictum urbis Ravennatis, integram monetam, teloneum, muros, & omnes portas civitatis. Comaclenſem inſuper Comitatum cum honoribus, & pertinentiis ſuis, ſal-

Federici II. privileg. apud Vallam de Exarchatu m. s. in Vatic. Bibl.

Rub. Hiſt. Raven. lib. 6. pag 389.

va

Ughell. Ital. Sacr. tom. 2. pag. 378.

va Sedis Apoſtolicæ auctoritate, licet ex parte ſaltem in Ferrarienſium poteſtate tunc eſſet. Hanc autem Honorii III. conſtitutionem iiſdem ferè verbis Gregorius IX. die x. Decembris anno MCCXXVIII. renovavit.

L. Quo tempore Honorius III. & Gregorius IX. ità de Ravennatis Eccleſiæ bonis ſanciverunt, bellum inter Venetos, ac Ravennates jam ab anno MCCXIX. incœptum vigebat. Huic finis impoſitus die III. Decembris anno MCCXXXIV. ſancito in quinquennium fœdere, eâ inter alias conditione, *Ut prædæ, rapinæ, ac latrocinia, jam inde à* XV. *annis tam Ravennæ*, *&* COMACLI, *in eorumque territorio*, *quàm in ditione Veneta, infra Laureti foveam, Venetias verſùs facta*, *ab utraque parte reſtituerentur*. Hæc Rubeus, qui nactus memoratæ pacis actorum vetus exemplar, eorumdem epitome hiſtoriam ſuam Ravennatem locupletavit, noſque certiores fecit, Comaclum tunc temporis, non cuipiam Comiti, ſed Ravennatibus, ac Ferrarienſibus pariter fuiſſe ſubjectum.

Rub. Hiſt. Raven. lib. 6. pag. 408.

LI. Qui nuper Comaclenſis urbis hiſtoriam conſarcinavit Joannes Franciſcus Ferrus, Federici II. literas protulit, quibus Comacli cives, tanquam Imperii clientes, menſe Januario an. MCCXXXI. variis privilegiis exornat, vigente illo, de quo mox locuti ſumus bello. Verùm hæ literæ, quarum exemplar in eo ipſo codice inſpexi, ex quo illas Ferrus edidit, manifeſtæ falſitatis convincuntur. Datæ enim fuiſſe dicuntur à Federico II. Ravennæ anno MCCXXX. quo tempore idem Federicus in Neapolitano regno morabatur, ut legere eſt apud Riccardum de S. Germano ejus ævi ſcriptorem. Inter diplomatis ejuſdem teſtes recenſentur Archiepiſcopus Magdeburgenſis, itemque Epiſcopi Ratiſponenſis, & Papibergenſis, quod de Bambergenſi Epiſcopo intelligendum videtur. At Epiſcopos Magdeburgenſem, & Bambergenſem die XVI. Januarii ejuſdem anni in Germania fuiſſe, liquido conſtat ex epiſtola XCVI. in regeſto anni IV. Gregorii IX. data die XVI Januarii anno MCCXXXI. in qua duo iſti Archiepiſcopi inter eos numerantur, qui concordiæ, anno præcedenti à Federico II. cum Apoſtolica Sede initæ, vades in Germania fieri debebant. Ratiſponenſis inſuper Epiſcopus, qui Imperialis Aulæ Cancellarius erat, diploma dare vice Imperialis Archicancellarii, cujus mentio præter conſuetum morem omittitur, non inter teſtes collocari debebat. Berardus Archiepiſcopus Panormitanus in hoc diplomate

Ferri Hiſtor. Comaclen. pag. 268.

Riccardus à S. Germano tom. 3. Ital. Sac. Ughelli p. 1005 & ſeqq.

Vide Append. noſtram Actor. Veter. num. IV. Magdeburgenſe Chron. inter Script. Germã. Meibomii to. 3 pag. 330.

te, tanquam præſens, memoratus, in Sicilia tunc temporis degebat. Præterea datum diploma dicitur Indictione v. & anno xii. Imperii Federici II. quæ ſanè cum anno MCCXXXI. conjungi nequeunt; in eo enim anno Januario menſe indictio iv. & annus xi. Imperii Federici II. currebat, quippe qui die xxii. Novembris anni MCCXX. ab Honorio III. imperiales infulas accepit. Denique ommittitur dies menſis, quo datum fuiſſe diploma dicitur, nec in eo referendo, qui pro Eſtenſibus Principibus recens ſcripſere, cum Ferro conveniunt. Cœterum an. MCCXXXIX. menſe Julio Ravennates, qui Federici II. partes ſecuti fuerant, ad Romanæ Eccl. obedientiam Cardinalis Marchiæ Legati opera rediere, quemadmodū Federicus ipſe teſtatur in epiſtola quadam ad Angliȩ Regem, in qua conqueritur, quod idem Legatus à Ravennatibus *ſibi*, *&* *Eccleſiæ tanquā Princeps, & Pontifex ſacramenta ſuſceperit*. Sequenti anno à Gregorio de Monte longo Apoſt. Sedis Legato Ferraria Venetorum auxilio expugnata fuit, Salinguerra ejuſdem urbis tyranno, ac Federici II. fautore, in captivitatem Venetias abducto, & conſequenter Comacli quoque dominium Eccleſia Romana recuperavit.

Pirrus Notit. Eccl. Sicil. to. 1. pag. 146.

Apud Pariſ. in Hiſt. Angl. pag. 521. Vide Riccardum à S. Germano to. 3. Ughel. pag. 1031.

LII. Gullielmus Hollandiæ Comes, poſt Federicum II. ab Innocentio IV. in Lugdunenſi Concilio anno MCCXLV. depoſitum, Imperator electus anno MCCXLVII. ratas & ipſe habuit Romanorum Imperatorum donationes, Apoſtolicæ Sedi factas, à Ludovici Pii temporibus ad ſuam uſque ætatem, extatque adhuc ejus authenticum diploma, datum die XIX. Februarii anno MCCXLIX. quod cum ſimile planè ſit aliis Ottonis IV. & Federici II. diplomatibus, conſequens eſt in Gullielmi quoque Imperatoris donatione comprehenſum fuiſſe Comaclum. Brevi poſt tempore, anno, ſcilicet, MCCLIII. Ravennates ſolemne fidelitatis, ac ſubjectionis obſequium Philippo Archiepiſcopo Apoſt. Sedis Legato v. Kal. Jan. renovarunt, ac propterea Alexander IV. Comaclum iiſdem prorſus verbis, quibus Honorius III. & Gregorius IX. Simeoni ejuſdem Philippi ſucceſſori confirmavit die IV. Octobris anno MCCLV. cum quinquennio ante Federicus II. obiiſſet, die, ſcilicet, XIII. Decembris anno MCCL. edito teſtamento, in quo pœnitentiâ ductus eorum, quæ adverſus Romanam Eccleſiam perpetraverat, hæredibus ſuis diſtrictè mandavit, ut cuncta, quæ Apoſtolicæ Sedi abſtulerat, reſtituerentur; nam in Matthæi Pariſii continuatione à coætaneo ſcriptore edita, ex ejuſdem Federici II. teſtamento, quod præ manibus habuit, hæc referuntur. *Item*

Rainald. an. 1249. & lib. 1. privileg. Eccl. Rom. m. s. in Arch. ſecr.

Alex. IV. bulla in tom. 1. Monumen. Raven. m. s. in Arch. ſecr. Vide Rubeum pag. 430.

Matth. Paris pag. 812. lin. 40.

Rain. an 1250. *relinquo totam terram Eccleſiæ liberam, & volo, quòd jura Eccleſiæ reſtituantur*. Similia leguntur in ea teſtamenti parte, quã ex Baronii ſchedis laudat Rainaldus, & in qua Federicus ſic loquitur. *Non prætermittentes, quin eidem Regi* (hoc eſt, Conrado filio) *injungamus, ut debeat reddere, & reſtituere omnia jura, omneſque rationes Sanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ noſtræ matri, quæ, & quas poſſidemus injuſtè, ſi eidem Chriſtianiſſima ipſa miſericors, & pia, jurè debita facere non ceſſabit*. Quibus utique verbis quidquid toto vitæ ſuæ tempore adversùs Pontifices, eorumque ſummum imperium in Romanæ Eccleſiæ ditionem egit, proprio ore damnavit.

LIII. Poſt Federici II. obitum diu vacavit Imperium, ad annum, ſcilicet, MCCLXXIII. quo anno die ultima Octobris Rodulphus I. electus eſt Imperator. Medio hoc tempore, anno, videlicet, MCCLXIV. mortuo Azone Marchione Eſtenſi, qui poſt expulſum Salinguerram Poteſtas Ferrariæ deſignatus, egregiam in gubernanda Ferrarienſi ditione operam navaverat, Comaclenſes; defectione à Ferrarienſibus factâ, *ſacramentum Ravennatibus dixere, cum Tiſinum Paſqualetti filium legatum Ravennam miſiſſent, qui eorum nomine fidem obſtrinxit Barufaldino Scurlitto Ravennæ Prætori, & Raineria Samaritano Rambertani filio ejuſdem Urbis Præfecto, quem Capitaneum appellabant, Ravennatibuſque Decurionibus, recipiens Comaclenſes perpetuò in fide, & clientela Ravennatium futuros, quemadmodum etiam majores ſui, & ipſi quòque ad eam diem fuerant: eſſe enim, & in perpetuum fuiſſe Urbem* COMACLUM *Ravennatibus ſubjectam: ad hæc pollicitus eſt ab Comaclenſibus, Prætores, præter quam ex Ravennatibus, nullos accipiendos*. Hæc Rubeus totidem verbis ex fide veterum monumentorum, quæ ſuis temporibus in Ravennæ Archivis aſſervabantur, nullâ tamen facta dominii illius mentione, quod ante annum MCXCI. Ferrarienſes in Comaclum, quemadmodum num. XLI. diximus, acquiſiverant, ſibiquè poſtmodum conſervaverant, ut clarè pateat, non credendum eſſe Rubeo, Comaclenſes ſemper fuiſſe Ravennatibus ſubjectos, tam hìc, quàm aliis in locis ad amplificandam plus æquo patriæ ſuæ dignitatem perperam aſſerenti.

Chron. parva. Eſtenſium m. s.

Rub. hiſt. Rav lib. 6. pag. 440.

LIV. Rodulphus ſtatim atque Romanorum Imperator electus fuit, Lugdunum miſit Ottonem Præpoſitum Spirenſem Aulæ Regiæ Cancellarium, ut ſuo nomine obedientiam, ac fidelitatem Gregorio X. ſolemni jurejurando promitteret, ac inſuper rata haberet prædeceſſorum ſuorum, præſertim Ottonis IV. & Federici

rici II. privilegia, in quibus Apoſt. Sedi confirmatur, *Tota terra, quæ eſt à Radicofano uſq; Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Maſſa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam Eccl. pertinentibus.* Præſtitit hæc omnia idem Otto in Conſiſtorio habito Lugduni die VI. Junii an. MCCLXXIV. *Præſentibus, & conſentientibus Principibus, & aliis Prælatis, qui tunc temporis in Concilio ipſo convenerant*, ut idem Pontifex in quibuſdam ſuis ad Rodulphum literis teſtatur; qui quidem Prælati, ac Principes, perpenſis memoratis Ottonis IV. & Federici II. privilegiis, unâ cum eorundem approbatione, ab Imperii Principibus ſub Innocentio III. edita, ut in Appendice noſtra videri poteſt, ea genuina, & authentica eſſe ſcripto faſſi ſunt. Pollicitus eſt quòque idem Otto, Rodulphum poſt ſuſceptam Imperii coronam ea omnia per ſemetipſum confirmaturum fore, atque inſuper curaturum, ut Imperii quoque Principes id ipſùm denuò approbarent.

Vide Append. Actor veterum num. 7.

Gregor. X. Epiſt. apud Rainald. an. 1275. num. 2.

Vide Append. num. 5. & 6.

LV. Sequenti anno MCCLXXV. Rodulphum monuit Pontifex, ut antequam ad recipiendam præfixo tempore coronam Imperii accederet, quæcumque memoratus Otto Cancellarius ejus nomine, & de conſenſu, atque approbatione memoratorum Principum, & Prælatorum Germaniæ, apud Lugdunum promiſerat, plenè perſolveret; ità enim ſibi, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus viſum eſſe. Rodulphus itaque menſe Octobri Lauſannam venit, ubi Gregorius X. morabatur, & die XIX. & XX. ejuſdem menſis coram Pontifice confirmatis prædeceſſorum ſuorum donationibus, & Ottonis Præpoſiti geſtis, ejuſdem Ottonis fidem liberavit, ac præterea pro legitima habuit approbationem illam Imperii Principum, quam in ſolemni apud Francofordiam conventu Honorio III. iterum feciſſe vidimus, cum Federicus II. anteceſſorum ſuorum donationes confirmavit. Diplomata, quæ tùnc Rodulphus edidit, in hujus diſſertationis Appendicem retuli. In iis autem, ut & in aliis Ottonis IV. & Federici II. privilegiis, cùm aliarum omnium ditionis Eccleſiæ Romanæ Provinciarum, tum Exarchatus Ravennatis, cui Comaclum accenſetur, diſerta fit mentio. Noluit tamen Gregorius Rodulpho Imperii diadema conferre, eâ potiſſimùm ratione, quòd Alphonſus Caſtellæ Rex nondum Imperii repetendi animum depoſuerat; idque fortaſſe cauſæ fuit, ut Rodulphus Imperii Cancellarius, & Berengarius Hjeroſolymitanorum Equitum per Alamanniam Magiſter, qui vicariâ Rodulphi Imperatoris poteſta-

Vide Append Actor. vet. n. 8

te in Italica Imperii ditione fungebantur, juramenta fidelitatis, non reluctante, ſed circumvento, ut videtur, Ferrarienſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis per Longobardiam Legato, injuſte exegerint à Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Forolivienſibus, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, Cervienſibus, ac ab hominibus Caſtrorum Montis Feltri, & Brittenorii, aliarumque civitatum, atque locorum ad Exarchatum, atque Pentapolim ſpectantium. At verò Gregorius X. cum Bononiam circà medium Decembrem ejuſdem anni veniſſet, Ferrarienſem Epiſcopum, ac Rodulphum Cancellarium, & Berengarium, quos ad ſe vocaverat, eâ de re acriter increpavit, jubens ut non ampliùs in Romandiolam redeuntes, Imperii negotia in Longobardiæ partibus peragerent; cumque ii, petitâ facti veniâ, delatoque Pontifici totius rei arbitrio, à Romanæ Eccleſiæ ditione receſſiſſent, Gregorius cauſæ cognitionem ad tempus diſtulit, ne ab incœpto itinere deſiſteret; at mox eiſdem Imperii miniſtris promiſſa nequaquam ſervantibus, Ardiconem Cappellanum ſuum in Germaniam miſit, ut de eiſdem conquereretur, quòd Eccleſiæ Romanę ditionem invaſiſſent, & quod Longobardię negotia ſecus ac decretum fuerat, adminiſtrare cogitaſſent. De Comaclenſibus ajunt, ipſos hoc anno vel vi coactos, vel memores ſubjectionis Ravennatibus aliàs exhibitę antequam in Ferrarienſium poteſtatem devenirent, Guidonem Polentanum, qui tunc Ravennam occupaverat, in Dominum elegiſſe, vel de ipſo in Dominum eligendo cogitaſſe.

Vide Append. Act. vet. num. 9. & 10.

Oſſervationi ſopra la lettera &c. pag. 45. Rubeus Hiſt. Rav. lib. 6. pag. 449.

LVI. Obiit Gregorius Papa die x. Januarii ſequentis anni, eique poſt paucos dies Innocentius V. ſucceſſit, qui etiam Rodulpho Imperii coronam denegavit, ni priùs pro jure ſuo Alphonſus Caſtellæ Rex contendere ceſſaſſet, ac ipſe Rodulphus Eccleſiæ Romanę de invaſa ditione ſatisfeciſſet. Intereà Obizo Marchio Eſtenſis, qui tunc Ferrariæ Apoſtolica auctoritate dominabatur, à memorato Rodulpho Imperii Cancellario diverſorum locorum, quæ ab Imperio pendebant, non autem Ferrariæ, neque Comacli inveſtituram obtinuiſſe dicitur, quod certiſſimo argumento eſt, has urbes à ſummo Imperii dominio exemptas eſſe. Mortuo Innocentio die xxii. Junii ejuſdem anni, & Adriano V. ejus ſucceſſore, poſt menſem unum, dieſque novem pariter obeunte, Joannes XXI. eligitur. Hic à Rodulpho poſtulavit, ut injuſtè præſtita à memoratis urbibus ſacramenta expreſsè revocari juberet, ſuaſque de eiſdem revocandis literas daret Bernardo de Caſtaneto electo Albienſi,

Vide Append. Actorum vet. num. 11.

bienſi, qui pro hoc, aliiſque negotiis ad ejus aulam ab Innocentio V. miſſus, adhuc in Germania degebat. Cum autem Rodulphus ſuum, uti Innocentio V. promiſerat, nuncium mittere differret, qui Eccleſiæ de invaſa ejus ditione ſatisfaceret, idem Joannes Pontifex Fratrem Bartholomæum Amerinum Minoritam legatione ad eumdem fungi juſſit; quo inſtante, Rodulphus Romam ablegavit Epiſcopum Tridentinum, de Imperii corona ſibi imponenda, de pace cum Carolo Siciliæ Rege incunda, deque reſtituendo Exarchatu tractaturum: at is mortuo Joanne XXI. die xvi. Maji anno MCCLXXVII. re infectâ, à Romana Curia diſceſſit. Hæc omnia ex una Gregorii X. & duabus ineditis Joannis XXI. literis majore ex parte deprompſimus. Interea longo ſex menſium interpontificio Romana Eccleſia vacavit, quo tempore Cardinales literis à Rainaldo editis, inter alia Rodulphum rogarunt, ut Romanam Eccleſiam de ablatis civitatibus redintegraret.

Extant in Append. num. 9. 12. 13. 14.

Rain. an. 1277. num. 52.

LVII. Nicolaus III. die xxv. Novembris ejuſdem anni MCCLXXVII. Joanni tandem ſuffectus, graviſſimè egit cum Rodulpho Romanorum Rege, ut confirmatis iterum, quæ ipſius nomine in Concilio Lugdunenſi Otto Cancellarius, ac ipſemet Lauſannnæ Gregorio X. ſpoponderat, revocatiſque tot urbium ſacramentis indebitè exactis, ſua jura integra, atque illibata Romanæ Eccleſiæ ſervaret. Delectus ad hoc negotium Bartholomæus Amerinus Minorita, qui ſub Joanne XXI. aliam ea de re legationem obiverat, datæque ipſi literæ ad Rodulphum die xii. Decembris ejuſdem anni MCCLXXVII. in quibus Pontifex, poſtquam hortatus eſt Rodulphum ad pacem cum Carolo Siciliæ Rege ineundam, ita eumdem alloquitur: *Petitionem autem ſuper ejuſdem Eccleſiæ terris, ac ſpecialiter Exarchatu, & Pentapoli, Regali Excellentiæ toties inculcatam, abſque ulteriori procraſtinatione, rogamus, & petimus, efficacis executionis promptitudine adimpleri.*

Apud Rainald. an. 1277. num. 55.

LVIII. Rodulphus Pontificis monitis promptè obſequutus Romam miſit Fratrem Conradum à Tubinga Miniſtrum Minorum Superioris Germaniæ cum literis, datis Viennæ die xix. Januarii anno MCCLXXVIII. quibus ampliſſima eidem facultas dabatur irritandi juramenta fidelitatis ab Exarchatus & Pentapoleos Urbibus injuſtè recepta, ac inſuper approbandi privilegia, quæ cum ipſe, tum eius prædeceſſores Apoſtolicæ Sedi conceſſerant, Conradus itaque Romæ in Conſiſtorio die iv. Maji ejuſdem anni, cuncta, quæ ab Ottone Præpoſito Spirenſi apud Lugdunum, & à Rodul-

Vid. Append. Actor. vet. n. 19. & 20.

pho Imperatore apud Lauſannam geſta fuerant, ejuſdem Rodulphi nomine approbavit. Præterea idem Conradus, quidquid ab Imperatoriis miniſtris in Exarchatu, ac Pentapoli contra Apoſtolicam Sedem perpetrata fuerant, hiſce verbis caſſavit. *Ego Frater Conradus revoco, caſſo, annullo, irrito, & omnibus juribus vacuo quæcumque contra prædicta, vel aliquid prædictorum* (geſta intelligit ab Ottone Lugduni, & à Rodulpho Rege apud Lauſannam) *per ipſum Dominum Regem, ſeu per alios ejus Nuntios, vel Officiales, ſuo mandato, vel nomine, ſeu quemcumque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via, factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; ac volo, & expreſsè conſentio, quòd per hoc nullum jus ipſi Domino meo Regi accreſcat, vel in aliquo Eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quam circa proprietatem. Conſentio inſuper, & concedo, quòd vos, Sanctiſſime Pater, & eadem Romana Eccleſia per vos, & per alios, nunc & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis abſque ulla ipſius Domini Regis, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato, obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, donationibus, recognitionibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta; & promitto, quòd ipſe Dominus Rex per ſe, vel per alium, ſeu alios non impediet vos, vel Nuntios veſtros in prædictis &c.*

In Append. pag. 59.

LIX. Hæc Romæ Conradus, quibus non benè cautum Apoſtolicæ Sedi fuiſſe Pontifex cenſuit; quippe quæ generalibus nimiùm verbis expreſſa eſſent, nec in ea reſtitutione ſingillatim recenſerentur omnia Exarchatus, ac Pentapoleos loca, à quibus juramenta fidelitatis indebitè exacta fuerant. Præterea cum in Ottonis IV. & Federici II. privilegiis, quæ Rodulphus Rex renovaverat, diceretur, ad Romanam Eccleſiam ſpectare totam terram, quæ eſt à Radicophano uſque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitiſſæ Mathildis, Comitatum Brittenorii, Exarchatum Ravennæ, atque Pentapolim, cum aliis adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis Imperatorum, & Regum à tempore Ludovici Pii; Nicolaus III. ad majorem Apoſt. Sedis cautionem, & ad tollendam Imperii Miniſtris quamcumque tergiverſandi, aut ſecus faciendi anſam, poſtulabat, ut novo diplomate Rodulphus expreſsè diceret, ſe Eccl. Romanæ confirmare Civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forumlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam,

rariam,Comaclum,Adriam,atque Gabellum,Ariminum,Urbinum, Montem Feretrum,& Territorium Balnenſe,cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terra,marique ad civitates, & loca prædicta quoquomodo pertinentibus, juxta Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. privilegia, quorum vetera, authenticaque exemplaria à Fr. Conrado inſpici, ac perpendi mandavit.

LX. Rodulphus de juſtis, ac æquis Nicolai III. poſtulatis per literas à Fr. Conrado, ut videtur, monitus (Conradum enim in Germaniam tunc rediiſſe non conſtat) Gottifridum Solienſis Eccleſiæ Præpoſitum, & Regalis Aulæ Protonotarium ad eumdem Nicolaum III. ultrò miſit, cum literis datis Viennæ die xxix. Maii ejuſdem anni MCCLXXVIII. quibus inter alia facultas ipſi concedebatur expreſsè revocandi fidelitatis juraměta,*quæ Rodulphus Cancellarius noſter*, inquit in eiſdem literis Rex Rodulphus, *abſque noſtro conſenſu, vel mandato à Civibus Bononienſibus,Imolenſibus, Faventinis,Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus,Ariminenſibus,Urbinatibus,necnon & aliis aliarũ civitatum,atque locorũ illarum partium dicitur recepiſſe*. Juſſit etiam Gottifrido Rodulphus Rex, ut poſtquam juramenta illa revocaſſet, de facta revocatione eoſdem regio nomine certiores faceret, moneretque, ut ſupremum Eccleſiæ Romanæ, & Summorum Pontificum dominium recognoſcentes, ipſis tanquam legitimis eorum Dominis, in omnibus, ut par erat, obſequerentur. *Vide Append. Act. Vet. n. 23.*

LXI. Intereà Pontifex novæ hujus legationis ignarus, binas de hocce negotio literas Rodulpho ſcripſit die v. Junii ejuſdem anni. In una continentur excerpta privilegiorum Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. in quibus recenſentur ſingula Exarchatus, & Pentapoleos loca, & inter ea Comaclum, ut nil novum ab ipſo peti Rodulphus agnoſceret. In altera de Fr. Conradi geſtis in Conſiſtorio eumdem Rodulphum certiorem facit. Poſtulat inſuper, ut ea cuncta rata habeat, ſubditque, *Et quia decet regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obſcuritatem, quam frequenter generalitas conſuevit inducere, tollat Regalis expreſſio, ac jura Eccleſiæ prædictæ per tuam declarationem, quam decernas eſſe perpetuam, plenariè ſolidentur, recognoſcas, fatearis, & ſpeciali edicto ad perpetuam memoriam ſtudeas declarare, Ravennam, Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam*, COMACLUM, *Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferetrum* *Vide Ibid. n. 15. 16. & 17.*

trum

trum, territorium Balnenſe, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra, marique, ad civitates, & loca prædicta quoquomodo pertinentibus, ad Beatum Petrum Cæleſtis Regni Clavigerum, & ad nos, ac ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, & ad ipſam Romanam Eccleſiam pleno jure, integrè, in ſpiritualibus, & temporalibus in ſolidum pertinere, ac noſtri, & ipſius Eccleſiæ pleni juris, ditionis, ac Principatus exiſtere; & ad omnem dubitationis ſcrupulum in poſterum abolendum, & ut tua devotio erga ipſam Eccleſiam clariùs eniteſcat, prædicta omnia, & ſingula, prout meliùs, & efficaciùs valet intelligi, nobis, & per nos ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & ipſi Eccleſiæ de novo, diſtinctè, liberè, plenariè, & expreſsè concedas, conferas, & dones, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materiâ, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent, cum ea omnia, & ſingula ex privilegiis, & declarationibus prædeceſſorum tuorum Romanorum Imperatorum, clarè, ac diſtinctè pertinere ad Romanam Eccleſiam dignoſcantur. Denique Pontifex à Rodulpho petit., ut horum omnium approbationem ab Imperii Principibus obtineret, eademque ipſe iterùm alio diplomate roboraret, cum primùm inſignia Imperii Romæ ſolemniter ſuſciperet. His literis adjunctæ fuerunt plures formulæ rata habendi Fr. Conradi geſta, itemque formula condendi novi diplomatis, hæc autem incipit. *Summa Reipublicæ tuitio*, illæ verò incipiunt, *Nos Rodulphus &c. ad æternam rei geſtæ memoriam recognoſcimus, & fatemur.*

Vide Append. num. 18. 19. 20. 21. & 22.

LXII. Conradus, qui jam de Pontificis voluntate Rodulphum Regem certiorem fecerat, noluit à Romana Curia diſcedere, antequam reſponſum, quod iis de rebus à Rodulpho expectabat, acciperet. Viterbium itaque unâ cum Nicolao III. migraſſe videtur circa medium Junium ejuſdem anni, quo tempore Pontifex Giffridum Anagninum S. Audomari Decanum, Cappellanumque ſuum, & Fratrem Joannem de Viterbio Ordinis Prædicatorum in Exarchatum miſit, ut ejus regionis urbes, inter ſe diffidentes, ad pacem inducerent, earumque ſingulas ad mittendos Viterbium procuratores adigerent, qui præſtito fidelitatis ſacramento, ipſas Rom. Eccleſiæ ſubjectas eſſe profiterentur. Exſtant in Nicolai III. communium literarum regeſto literæ de facultatibus eiſdē Giffrido, & Fratri Joanni conceſſis, itemque literæ ad ſingulas urbes, in quibus eas certiores facit de recognitione ſummi Eccl. Romanæ in Exarchatum imperii, à Rodulpho Romanorum Rege per Con-

radum

radum Procuratorem ſuũ facta,adeoq; ipſas ad præſtanda Apoſtolicæ Sedi fidelitatis juramenta compellit. Datæ ſunt hæ literæ die xx.& xxii. Junii anno MCCLXXVIII. quas integras habes in Append. noſtra. Nec mireris inter eaſdem non reperiri Ferrariam, neque Comaclum; Ferrarienſes quippe fidelitatem, ac ſubjectionem Rodulpho Romanorum Regi profeſſos fuiſſe non conſtat, Comaclum verò, vel in poteſtatẽ redierat Ferrarienſium, à quibus an. MCCLXXV. defeciſſe ajunt, vel adhuc à Ravennatibus, ut num. LV. indicavimus poſſidebatur, adeoque ad alterutrius urbis diſtrictum pertinebat. Pontifex autem primarias urbes proprio diſtrictu præditas, non verò ſingula quæq; earundem diſtrictuum loca, tam in his, quàm in aliis Rodulpho Romanorum Regi ſcriptis literis deſignare ſolet. *Append. n. 17.*

LXIII. Incertum an hæc legatio Giffridi Anagnini, & Fr. Joannis Viterbienſis ante Gottifridi Solienſis Præpoſiti, & Rodulphi Romanorum Regis Procuratoris adventum decreta fuerit. Hoc tamen certum eſt, eumdem Gottifridum die xxx. Junii legationem ſuam obiiſſe, Rodulphi Regis literis in Conſiſtorio perlectis, in quibus juxta poſtulata Nicolai III. cuncta juramenta à Rodulpho Cancellario indebitè exacta, enumeratis ſingillatim urbibus, ac locis, quæ illa præſtiterant, revocabantur; ac inſuper Gottifrido mandabatur, ut ſuis literis ſingulas Communitates de revocatis earumdem juramentis certiores faceret. Cum itaque Pontifex ipsî ſcripto præcepiſſet, ut Rodulphi Regis mandata exequeretur, Gottifridus juramenta illa Rodulphi Regis nomine irrita, ac injuſta eſſe declaravit, ac inſuper literas dedit ſingulis quibuſque Magiſtratibus earumdem urbium, atque locorum, monens ipſos, ut nulla ratione habitâ ſacramentorum, quæ Rodulpho Regi præſtiterant, Summis Pontificibus in poſterum fidem jurarent. Hæ autem Civitates ſunt, Bononia, Imola, Faventia, Forumpopuli, Cæſena, Ravenna, Ariminum, Urbinum, Cervia, Forolivium, nec non Mons Feretri, & Brittenorium, itemque aliæ Civitates, caſtra, terræ, & loca earundem partium, ſuis non expreſſa nominibus. Hinc apud Ptolemæum Lucenſem in Hiſt. Eccleſiaſtica, & Jordanem in Chron. adhuc ineditis legas, *Nicolao III. repetente mandat Rodulphus omnibus Nobilibus terræ, & populis dictæ regionis, ut Eccleſiæ Romanæ obediant, & dictum dominium ad Eccleſiam Romanam aſſerit pertinere, & ſic dictus Papa poſſeſſionem obtinuit*. Loquuntur autem de integro Exarchatu, quem tunc à Ravennæ Comitatu diſtinctum fuiſſe teſtantur.

Vide Append. num. 23. 24. & 26.

Jordan. & Ptolem. apud Rain. an. 1278 num. 54.

Giffri-

LXIV. Giffridus Anagninus vix dum Pontificis literas Exarchatus populis exhibuit, cum ſingulæ quæque Urbes ad antiquam Apoſt.Sedis ſubjectionem convolarunt,miſſis Viterbium,ubi Pontifex degebat,Syndicis,atque procuratoribus,qui juramenta fidelitatis ſuorum civium nomine Apoſt. Sedi præſtarent. Memoriæ tamen prodidit Rubeus ex antiquorum monumentorũ fide, Ravennates à Giffrido conventos die VII. Julii dediſſe reſponſum, ſe ad obſequium Pontifici, & Romanæ Eccl. præſtandum paratos eſſe, dummodò jura, & privilegia, ac immunitates, quæ ad eam diem Eccleſia Ravennas, & Civitas habuiſſent,integrè eiſdem conſervarentur; cumque Giffridus eam conditionem non probaſſet,poſtero die procuratores à Ravennatibus ad Pontificem miſſos fuiſſe, qui omnium privilegiorum ſuorum confirmationem à Pontifice expoſcerent, Ravennatium autem votis Nicolaus III. indulſit.

Rub. Hiſtor. Raven. Lib.6. pag. 456.

LXV. Porro Pontifici, quòd earum civitatum inveſtituræ nominatim àRodulpho Rege revocatæ fuiſſent,ſatis adhuc non videbatur,cũ aliæ urbes,& inter eas Comaclum, in Exarchatu,&Pentapoli à Ludovico Pio,OttoneMagno,& Henrico II. in ſuis donationibus memoratæ,ſupereſſent,de quibus poſteà ambigi poſſet,an ad eas quoque Rodulphi mandata pertinerent. Prætereà opus erat, ut Rodulphus Conradi, & Gottifridi Legatorum ſuorũ geſta ad majorem Apoſtolicæ Sedis cautelam probaret, ac inſuper pollicere-tur,ea omnia ſe denuo confirmaturum, cum Romani Imperii infulas accepturus eſſet. Poſtulabat etiam Pontifex,ut Rodulphus cuncta ſolemni juramento firmaret, ac inſuper ſingulis civitatibus, & locis,quæ ipſi fidelitatem juraverant,ſuis literis denuntiaret,ut nullâ habita eorundem juramentorum ratione,Summis Pontificibus fidelitatem,ac ſubjectionem profiterentur. Nicolaus itaque, retento apud ſe Gottifrido, Conradum, qui adhuc in Romana Curia degebat,in Germaniam remittendum eſſe cenſuit, ut à Rodulpho Rege cuncta perfici eâ literarum formâ curaret,quam ipſî ad ſopiendam in poſterum quamcumque de ſummo in Exarchatum, atque Pentapolim Apoſtolicæ Sedis imperio controverſiam præſcribebat.

LXVI. Mandatis die v. Junii Conrado traditis, & literis eadem die Rodulpho ſcriptis, alia poſtulata de cõfirmandis ejuſdem Gottifridi geſtis Nicolaus addidit; utraque autem habentur ad marginem authentici regeſti Nicolai III. tam in Epiſtola Pontificis ad Rodulphum, quàm in inſtructione, ut vocant, datâ Conrado, prout nos charactere diverſo in Appendice noſtrâ expreſſimus.

Vide Append. num.15.16.17. & 18.

mus. Traditæ etiam Conrado formulæ, quibus Gottifridi geſtà confirmari debuiſſent, nec non alterum exemplar novi privilegii à Rodulpho concedendi, eiſdem prorſus verbis conceptum, quibus aliud diploma de privilegiis Apoſtolicæ Sedis anno MCCLXXV. Lauſannæ Gregorio X. ediderat, addito tantùm elencho ſingularum urbium Exarchatus, & Pentapoleos, quarum juramenta fidelitatis, utpotè indebitè Rodulpho exhibita, Gottifridus irrita, atque inania eſſe declaraverat; hoc autem exemplar ità incipit, *Ab eo ſolo, per quem &c.* extatque in Appendice noſtra num. XXII. Denique Conrado injunctum à Pontifice fuit, ut ante feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, vel ante Kalendas Octobris ad Romanam Curiam cum Rodulphi reſponſis reverteretur. *Vide Append. num. 25.*

LXVII. Rediens Germaniâ Conradus paulò poſt feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, retulit Pontifici, Rodulphum Regem rata habuiſſe, quæ ipſe ejus nomine, atque auctoritate Romæ geſſerat, & aliqua de petitis privilegiis edidiſſe, noluiſſe tamen ea cuncta ſuis, ut Pontifex optabat, juramentis vallare, ac inſuper ab Imperii Principibus geſtorum ſuorum approbationem nequaquam obtinuiſſe. Poſt tres circiter menſes opportunum cenſuit Nicolaus Cardinalem Legatum in Exarchatum, & adjacentes regiones mittere unâ cum Provinciæ Rectore, qui militaribus copiis præeſſet. Data hæc provincia de Cardinalium conſilio Latino Malabrancæ Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopo, Rectoris verò dignitatem Bertoldus Urſinus Pontificis nepos obtinuit; extantque apud Bzovium hujus legationis literæ datæ die XXV. Septembris. *Vide Nicolai III. Epiſt. in Append. n. 28.* *Bzovius anno 1278. num. 14.*

LXVIII. Antequam autem Latinus Cardinalis injunctam ſibi legationem capeſſeret, Nuntios ſuos Pontifex in Exarchatum miſit, qui ad ſingulas urbes profecti unâ cum Giffrido de Anagnia, & Fr. Jacobo de Viterbio, quæ à procuratoribus in Curia Romana earum nomine acta fuerant, rata haberi à cunctis civibus, eoſque à decimoquarto ad ſeptuageſimum ætatis annum fidem Summo Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ ſolemni actu jurare facerent. Horum unus fuit Fr. Laurentius de Tuderto Ordinis Prædicatorum, alter verò Gullielmus Durandus, quem ob librum Speculi titulo editum, Speculatorem vocant, quique de exactis hiſce juramentis disertè teſtatur, uti etiam nonnulli ejuſdem ævi Scriptores, quibus recenſendis, cum res certiſſima ſit, ſuperſedemus. Sanè Comaclenſes, etſi unà cum Ferrarienſibus fidelitatem Rodulpho Regi juraſſe non conſtet, utrique tamen fidelitatis, ac ſubjectionis *Durãd. Specul. part. 2. de reſcripti præſent. § fin. num. 18.* *Rubeus hiſtor. Raven. lib. 6. pag. 455. 456.*

ſacra-

ſacramentum, ad inſtar cæterarum Exarchatus urbium in Giffridi, & collegarum manibus, Apoſtolicæ Sedi præſtitiſſe videntur: nam Pontifex de Ferraria, atque Comaclo juxta Rodulphi Regis reſtitutionem Apoſtolicæ Sedi clariùs aſſerendo, ſollicitus admodum erat; Comaclenſes autem Ferrarienſibus eo tempore ſubjecti fuiſſe videntur, nam die VI. Julii anno MCCLXXIX., ſi Rubeo credimus, ſeſe Ravennatibus dedere, Gullielmus verò Durandus *in ſingulis civitatibus, & locis à Syndicis in Parlamentis, & etiam ab omnibus ſingularibus perſonis à* XIV. *annis ſuprà, & à Communitatibus, & Baronibus ipſius Provinciæ, nomine Eccleſiæ Romanæ* recognitionem ſupremi dominii, & fidelitatis juramenta ſe exegiſſe teſtatur; quin & Apoſtolicæ Sedis, cùm alicujus urbis poſſeſſionem nanciſceretur, moris erat, ut non à ſola urbe, ſed & ab aliis ad ipſam ſpectantibus locis, claves in adepti dominii ſignum, ac fidelitatis juramenta reciperet, quemadmodum à Bertrando Legato Cardinali in capienda Bononiæ poſſeſſione anno MCCCXXXIV. & à Cardinali Albernotio in reducenda Marchia ad Eccleſię Romanę obedientiam anno MCCCLIV. & duobus ſequentibus factum fuiſſe, authentica eorumdem Legatorum acta in ſecretiori Apoſtolicę Sedis Archivo hactenus ſervata clarè demonſtrant. Omnis autem ratio ſuadet, hoc ipſum Nicolai III. temporibus factum fuiſſe.

LXIX. Hôc juramentorum recipiendorum negotio perfunctus Giffridus, ſtatim atque ad Pontificem rediit, legatione ad Rodulphum Regem fungi juſſus fuit. Pontifex quippe Conradum quidem pro pace inter Carolum Siciliæ, & Rodulphum Romanorum Reges tractandâ in Romana Curia manere, Gottifridum verò Præpoſitum Solienſem ad Rodulphum redire, eique novum Apoſtolicæ Sedis Legatum ſocium dare, opportunum duxit. Literas ad Rodulphum Giffrido deferendas Pontifex ſcripſit die XVII. Novēbris anno MCCLXXVIII. iterum iterumque ab ipſo poſtulans, ut juxta tranſmiſſa dudum per Conradum privilegiorum, ac ratihabitionum exemplaria auguſtales denuò literas, addito juramento, ſub aurea bulla ederet, curaretque omnia ab Imperii Principibus confirmari. Dedit etiam Pontifex Giffrido literas de eadem re ſeptem primariis Imperii Principibus reddendas cum exemplari diplomatis, quod ab eiſdem pro confirmanda reſtitutione Exarchatus, ac Pentapoleos promulgari poſtulabat; ſunt autem hi Principes, Archiepiſcopi Colonienſis, Moguntinus, Trevirenſis, duo Saxoniæ Duces, Marchio Brandeburgenſis, & Palatinus Rheni Dux

Vide Append. num. 28. 29. 30.

Bava-

Bavariæ. Cæterum in his omnibus literis datis die XXI. Decembris Comaclum aliis Civitatibus, quarum diſertam mentionem Pontifex fieri poſtulabat, accenſetur. Mandatis autem Giffrido traditis apponitur dies XVIII. Decembris, ut certum ſit, ipſum in Germaniam circa initium anni MCCLXXIX. abiiſſe.

LXX. Quæ Nicolaus III. poſtulabat à Rodulpho Rege, ſtatim potiori ex parte obtinuiſſe Giffridum, ejuſdem Rodulphi literæ clariſſimè teſtantur. Extant enim in Archivo Molis Adrianæ duo authentica Rodulphi Romanorum Regis diplomata, data die XIV. Febr. anno MCCLXXIX. in quorum primo rata habuit Conradi Minoritæ geſta Romæ die IV. Maji anno MCCLXXVIII. pro abrogandis juramentis fidelitatis ab ejus Cancellario per Exarchatum, atque Pentapolim indebitè exactis, proque confirmanda recognitione ſummi imperii Romanorum Pontificum in univerſam Sedis Apoſtolicæ ditionem, quam ipſe Rodulphus Rex coram Gregorio X. anno MCCLXXV. ediderat. In altero diplomate Apoſtolicæ Sedi ſummam poteſtatem in ſingulas quaſque ditionis ſuæ partes denuò confirmat. Præſtat autem hujus diplomatis verba recenſere. *Et quia*, inquit Rodulphus Romanorum Rex, *decet Regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obſcuritatem, quam frequenter generalitas conſuevit inducere, noſtra tollat regalis expreſſio, ac jura ipſius Matris Eccleſiæ per noſtram declarationem, quam decernimus eſſe perpetuam, plenariè ſolidentur; recognoſcimus, fatemur, & oraculo præſentis edicti ad æternã memoriam declaramus, Civitatẽ Ravennatem, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiã, Ferrariam,* COMACLUM, *Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferetrum, territorium Balnenſe, ſupraſcriptas provincias, civitates, loca, & territoria, necnon & omnia ſupradicta cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra, marique ad provincias, civitates, territoria, & loca prædicta quoquo modo pertinentibus ad Beatum Petrum Cæleſtis Regni Clavigerum, & ad vos Patrem Beatiſſimum Dominum Nicolaum Papam III. & ad ſucceſſores veſtros Romanos Pontifices, & ad ipſam Eccleſiam Romanam pleno jure, ac integrè non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, in ſolidum pertinere, ac veſtrì, & ipſius Romanæ Eccleſiæ plenè juris, ditionis, ac principatus exiſtere. Et ad omnem dubitationis ſcrupulum in poſterum abolendum, & ut noſtra devotio erga ipſam Matrem Eccleſiam clariùs eniteſcat, prædicta omnia, & ſingula, tam*

Vide Append num. 31. & 32.

E *pro-*

propriis, ſeu ſpecialibus provinciarum, terrarum, civitatum, atque locorum expreſſa vocabulis, quàm etiam non expreſſa, prout meliùs, & efficaciùs valet intelligi, ipſi Beatiſſimo Petro, & vobis, Sanctiſſime Pater Domine Nicolaë Papa III. & per vos ſucceſſoribus veſtris Romanis Pontificibus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ, de novo, liberè, plenariè, concedimus, conferimus, & donamus, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materiâ, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent. Utrumque diploma, juxta exemplar à Nicolao III. per Giffridum Anagninum ſibi tranſmiſſum, Rodulphus Romanorum Rex dedit; nec dubitari poteſt, aliis exemplaribus ab eodem Giffrido juſſu Nicolai III. ſibi redditis ſubſcripſiſſe, licet non tam injuriâ temporum, quàm ob varios Apoſtolicæ Sedis adverſos caſus, diplomata ipſa deperdita ſint: nulla enim ratio erat, cur hæc duo potiùs, quàm alia exemplaria Rodulphus probaret, cum in omnibus idem prorſus, diversâ tantùm verborum formâ, adſtruatur, & eorum pleraque de iis rebus eſſent, quæ Rodulphus per ſemetipſum egerat, & quorum approbationem per Conradum, ſine juramento tamen, dudum Pontifici tranſmiſerat; niſi quis putet, Rodulphum Regem ſupervacaneum fore cenſuiſſe, de una eademque re, duobus à ſe diplomatibus abundè confirmatâ, tot alia diplomata edere.

LXXI. Rebus hoc pacto cum Rodulpho Rege compoſitis, reliquum erat, ut Imperii quoque Principum conſenſus accederet: Et Ludovicus quidem Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ Imperii Elector ultrò conſenſit, datis die xix. Martii literis planè ſimilibus exemplari, quod Nicolaus III. ſeptem Imperii Electoribus ſubſcribendum obtulerat; ſecus verò alii Principes Electores, apud quos pro ea confirmatione obtinenda, multum temporis, ut ſingulos quoſque convenire poſſet, Giffrido Anagnino inſumendum fuit. Qui huic negotio moram tarditatemque afferebant, ii erant Moguntinus, & Trevirenſis Archiepiſcopi, à quibus tandem Giffrido neceſſe fuit, negotio infecto, cum indignatione diſcedere. Giffridi factum eiſdem Archiepiſcopis admodum diſplicuiſſe inde colligitur, quòd nonnullos Clericos ſuos media æſtate Viterbium miſerint, qui Nicolaum III. de cauſis retardatæ ſubſcriptionis, deque eorum optima erga Eccleſiam voluntate certiorem facerent. Hos Pontifex de toto negotio meliùs inſtructos, ad Archiepiſcopos ſuos redire juſſit cum literis, quibus nõ ſine reprehenſione eoſdem hortatur, ut tandem aliquando ſubſcriptionibus ſuis Rodulphi

Vide in Append. Act. Vet. num. 33.

Regis

Regis factum, juxta formam ipſis dudum tranſmiſſam, approbent, atque confirment. Datæ ſunt hæ literæ die xxix. Auguſti anno mcclxxix. qua etiam die Giffrido Pontifex ſcripſit, ut cum eiſdem Archiepiſcopis iterum de poſtulata ſubſcriptione tractaret.

LXXII. Otto interim Marchio Brandeburgenſis Imperii Elector tranſmiſſis à Nicolao III. literis ſubſcripſit die xii. Septembris, idque ipſum tandem feciſſe ante finem Octobris memoratos Archiepiſcopos, cæteroſque Electores, ac duos alios Imperii Principes, certum eſt: habentur enim in Adrianæ Molis Archivo authentica duo planè ſimilia diplomata Henrici Archiepiſcopi Treviренſis, Siffridi Archiepiſcopi Colonienſis, Wernheri Archiepiſcopi Moguntini, Ludovici Comitis Palatini Ducis Bavariæ, Joannis, & Alberti Ducum Saxoniæ, & Frederici, ac Joannis, atque Ottonis Marchionum Brandeburgenſium ſigillis munita, in quibus diplomatibus cuncta diſertè approbantur, quæ Rodulphus pro reſtituendis Eccleſiæ Romanæ Exarchatus, & Pentapoleos Provinciis egerat. Data ſunt hæc diplomata anno mcclxxix. Indictione vii. Imperii Rodulphi anno vi. qui deſinit in ultima Octobris die. Sed audiendi ſunt Imperii Principes ita loquentes. *Ut igitur omnis materia diſſenſionis, & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam Eccleſiam, & Imperium auferantur &c. Quidquid per Dominum noſtrum Rodulphum Dei gratia Romanorum Regem ſemper Auguſtum Sanctiſſimo Patri, & Domino noſtro, Domino Nicolao Papæ III. ejuſque ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo donatum, declaratum, ſive conceſſum, juratum, & actum, ſeu factum eſt per privilegia, vel quæcumque alia ſcripta, quorumcumque tenorum ſuper recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, conceſſionibus, & factis ſeu geſtis, tam aliorum Imperatorum, & Regum Romanorum prædeceſſorum ejuſdem Regis, quàm ipſius Regis, & ſpecialiter ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia, & reverentia per Romanos Imperatores, & Reges Romanis Pontificibus, & ipſi Eccleſiæ impendendis; ac poſſeſſionibus, honoribus, & juribus ejuſdem Eccleſiæ, & nominatim ſuper tota terra, quæ eſt à Radicofano uſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitiſſæ Mathildis, Civitate Ravenna, & Æmilia, Bobio, Ceſena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria,* Comaclo, *Adria, atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, Territorio Balnenſi, Co-*

Vide Append. Act. Vet. n. 35

mitatu Brectinorii, Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Maſſa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam Eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra marique ad Provincias, civitates, territoria, & loca prædicta quoquo modo ſpectantibus; necnon ſuper Civitate Romana, & Regno Siciliæ cum omnibus ad ipſam ſpectantibus, tam citra Farum, quàm ultra; Corſica quòque, atque Sardinia, & cæteris terris, ac juribus ad ipſum Eccleſiam pertinentibus; nos noſtri nomine Principatûs in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus, ac eiſdem omnibus, & ſingulis, & quibuſcumque aliis ſuper eiſdem per eumdem Regem quoquo modo factis, & in poſterum faciendis, voluntatem noſtram, aſſenſum, atque conſenſum unanimiter, & concorditer exhibemus; & promittimus, quòd contra præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum nullo unquam tempore veniemus, ſed ea omnia, & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus inviolabiliter obſervari.

LXXIII. Placuit hæc omnia fuſiùs fortaſſe, quàm pro inſtituto noſtro, enarrare, ut quanta maturitate in hoc negotio à Rodulpho Romanorum Rege, & primariis Imperii Principibus actum ſit, evidenter appareat. Non poteſt itaque de hac ratihabitione dici, quod nonnulli adversùs ſimiles Imperatorum confirmationes objiciunt, eas, videlicet, inconſultè, & in tanta temporis anguſtia factas fuiſſe, ut vel diutiùs in Urbe morari, vel ſine Imperii diademate Romana ab Aula ipſis diſcedere neceſſe fuerit, ni confirmaſſent. Dici etiam nequit Rodulphum Apoſtolicæ Sedi Exarchatum, atque Pentapolim reſtituiſſe, ut ab adimplendo voto Hieroſolymæ à Saracenorum tyrannide liberandæ abſolveretur; nam in cunctis, quas protulimus, Nicolai III. literis de hujuſmodi, aut alia quapiam conventione, ne verbum quidem apparet; præterquamquod Imperii Electores, & alii Principes, qui Rodulphi Regis factum probarunt, nequaquam ejuſdem voti religione tenebantur. Nulla denique Imperii neceſſitas ad hæc agenda Rodulphum Regem, & Imperii Principes impulit: Rodulphus enim, quo tempore iidem Principes pro confirmandis Apoſtolicæ Sedis juribus diploma ediderunt, Ottocharum Bohemiæ Regem jam debellaverat, redditumque Nicolai III. operâ Imperio fuerat Tuſciæ dominium, quod vacante Imperio, Carolo Siciliæ Regi Apoſtolica auctoritate commiſſum fuerat; ut neceſſariò dicendum ſit, Rodulphum Regem, & Imperii Principes, ſolo juſtitiæ, ac pietatis ſtudio permotos, Apoſtolicæ Sedi antiquam ſummi imperii poteſta-

tem

tem in Exarchatum, & reliquam ditionem ſuam, & nominatim in urbem Comaclum,aſſeruiſſe,ac denuò confirmaſſe. Cæterum clara adeo ſunt Rodulphi Regis, & Imperii Principum verba, ut nullis cavillationibus convelli poſſint: & ſanè præter Ludovicum Bavarum,ab Apoſtolica Sede Imperio dejectum,atque anathemate perculſum, nec Imperator ullus,nec inclyta Natio Germanica factum hocce Rodulphi, & Imperii Principum hactenus impugnavit.

LXXIV. Quo tempore Exarchatus reſtitutio à Rodulpho Rege maturabatur, Bertholdus Urſinus Exarchatus pro Apoſtolica Sede Rector menſe Januario an. MCCLXXIX. Ravennam profectus, teſte Rubeo, urbem, vectigalia, portus, arcem pontificio nomine iterum accepit; quamobrem Comaclum quoque tunc in Eccleſiæ Romanæ poteſtatem rediit,cum die VI. Julii ejuſdem anni Comaclenſes à Ferrarienſibus, quibus dudum ſubjecti fuerant, deficientes,Ravennatibus,ſi laudato Rubeo credimus,ſeſe dederunt. Suſcitatis deinde variis inter Exarchatus urbes diſſidiis, ne Comaclenſes ad antiquam Ferrarienſium ſubjectionem reverterentur, cujus rei non modica ſuſpicio habebatur, Girardus Ranconus Ravennæ Prætor die VIII. Januarii an. MCCLXXXIII.(ut Rubei, qui hæc ex antiquis monumentis hauſit, verbis utar) *ſcriptis ad Guidonem Polentanum literis, fecit ut ipſi* COMACLENSES *per Bonſilittum Deredoſſum, & Ghirardum Morandum Legatos denuò ſacramentum Ravennatibus dixerint, & piſces magnos centum quotannis pridie natalitiorum Domini de more afferre promiſerint.* Id ipſum anno MCCLXXXXVI. Comaclenſes iterato actu per Gulielmum Pontem Ravennatem eorum Prætorem,& per aliquot Legatos,apud Manfrum Azonem Prætorem Ravennatem promiſiſſe, laudatus Rubeus teſtatur. At licet nolim accurato huic Scriptori fidem minuere,nihilominus clarè patet, ipſum, aut ignoraſſe,aut potiùs poſteris tradere neglexiſſe, Comaclenſes toto illo tempore, quo Ravennatibus non paruerunt, in Ferrarienſium, ut plurimum poteſtate fuiſſe, ità ut recuperatum interdum à Ravennatibus Comacli dominium nullo pacto Ferrarienſium juribus detraheret, qui Comaclum armis,aut aliâ quapiam ratione primò quæſitũ, deinde Henrici VI. conſtitutione, & pacis conventionibus anno MCC. cum civibus Ravennæ ſancitis,ac potiſſimùm Innocentii III.& IV. ut num. XLI. & XLV. monuimus, auctoritate ipſis confirmatum, ditioni ſuæ haud immeritò aſſerebant.

Rub.Hiſt.Raven. lib.6.pag. 457. & 458.

Rub. lib. 6. pag. 462.

Rubeus Ibid. pag. 495.

LXXV. Albertus interea Romanorum Rex poſt electionem

ſuam literas dedit Bonifacio VIII. die XVII. Julii anno MCCCIII. in quibus de more privilegia cuncta à prædeceſſoribus ſuis, præſertim à Rodulpho patre, Romanæ Eccleſiæ confirmata, & ipſe rata habuit his verbis. *Recognoſco, & fateor, omnia, & ſingula, quæ à divæ memoriæ Rodulpho patre meo Romanorum Rege, & etiam à quibuſcumque prædeceſſoribus ejus Romanorum Regibus, vel Imperatoribus, ſive ſuper fidelitatis juramento, ſive ſuper quibuſcunque aliis, recognita, confeſſata, promiſſa, facta, jurata, confirmata, innovata, remiſſa, ſeu de novo donata fuerunt, ſimul, vel diverſis temporibus, & ipſa ratifico, innovo, & confirmo, & ea juro, & promitto me inviolabiliter ſervaturum, & ex nunc ſimilia in præſentibus literis meis patentibus, meo magno ſignatis ſigillo, remitto, facio, & de novo concedo*, & paulò poſt. *Statuo inſuper, facio, & concedo quæcunque per claræ mem: Ludovicum Imperatorem Auguſtum tempore bonæ mem: Paſchalis Papæ, & à claræ mem: Ottone Rege, tempore felicis recordationis Joannis Papæ ſtatuta, vel jurata, recognita, facta, ſeu conceſſa fuerunt &c.* Authenticum harum literarum exemplar in Adrianæ Molis Archivo ſervatur. Porrò jam vidimus in Ludovici Pii, & Ottonis, atque etiam in Rodulphi diplomatibus diſertam Comacli mentionem fieri.

LXXVI. Henricus VII. ad Imperii dignitatem evectus privilegia Apoſtolicæ Sedis, ac nominatim Rodulphi Imperatoris reſtitutionem Exarchatus, Pentapoleos, atque Comacli, Eccleſiæ Romanæ factam, ſuâ etiam approbatione roboravit, præſtito in manibus Joannis de Molanſo Scholaſtici Tullenſis Nuntii Apoſtolici juramento apud Lauſannam die XI. Octobris anno MCCCX. datiſque eâ de re ad Clementem V. literis, in quibus hæc verba legimus. *Ad perpetuam rei memoriam, & S. Eccleſiæ ſecuritatem, atque cautelam &c. Confirmamus, recognoſcimus, innovamus, & de novo concedimus omnia privilegia Conſtantini, Caroli, Henrici, Ottonis IV. Federici II. atque Rodulphi Regum, & Principum, ſeu Impp. Romanorum, quocumq; tempore conceſſa, ſuper quibuſcumque, cujuſcunque continentiæ, vel tenoris exiſtant, S.R.E., Romaniſque Pontificibus, & Apoſtolicæ Sedi. Promittimus etiam, & obligamus nos cũ omni efficacia, & effectu, omni jure, & forma, quo meliùs, & efficaciùs fieri poteſt, manutenere, & conſervare omnia privilegia cujuſcumque tenoris, vel conditionis exiſtant, &c. per quoſcumque Reges, vel Principes, ſeu Imperatores Romanorum, & præcipuè per ſupradictos Conſtantinum, Carolum, Henricum, Ottonem IV. Fredericum*

cum II. atque Rodulphum conceſſa S.R.E. ac Romanis Pontificibus, & Apoſt. Sedi ſuper recognitione, innovatione, advocatione, conceſſione, quietatione, renunciatione, & libera dimiſſione terrarum, & Provinciarum S. Rom. Eccleſiæ ubicumq; poſitarum, præcipuè, Marchiæ Anconitanæ &c. Exarchatus Ravennæ, & Pentapolis, et Romaniolæ, et Brettenorii Comitatum, cum civitate Bononiæ, et cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus finibus, & juriſdictionibus earumdem &c. Et poſt enumeratas cæteras ditionis Eccleſiæ Romanæ provincias ita ſubdit. *Et ex abundanti, de novo, & ad majorem cautelam, ſupradictas omnes terras, atque Provincias cum omnibus juribus, & juriſdictionibus, terminis, limitibus, & confinibus earumdem, & jus ac poſſeſſionem, & proprietatem ipſarum cum omni plenitudine, recognoſcimus jure pleniſſimo ad jus, & proprietatem S. R. Eccleſiæ ſpectare, ac omnimodè pertinere, ac ipſas omnes terras, atque Provincias de novo donamus, innovamus, atque concedimus, quitamus liberè, & dimittimus, reſtituimus, & renuntiamus.* Habentur in Molis Adrianæ ſcriniis harum literarum, aliarumque ſimilium, in ipſa die coronationis ſuæ ab Henrico VII. Romæ an. MCCCXII. editarũ, authentica exemplaria, quibus nil clariùs, nil fortiùs adduci poteſt ad oſtendendum Henricum VII. ut & alios prædeceſſores ſuos ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium in omnes ditionis ſuæ partes, quarum una eſt Comacli Comitatus, ingenuè agnoviſſe.

LXXVII. Videndum modò eſt, quonam pacto Comaclenſem urbem, quæ Ravennatibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate dudum contradita fuerat; deinceps verò ob varia Exarchatus urbium diſſidia in Ferrarienſium non rarò poteſtatem devenerat, tandem Eſtenſes Principes obtinuerint. Maxima ſemper fuit inter Italiæ Regulos Eſtenſium Principum dignatio, quippè qui ab antiquiſſimis temporibus Eſtenſi, ac vicinis oppidis, Marchionis titulo, quæ eximia olim dignitas erat, imperantes, cum longè latèque per Italiam, atque Germaniam magnorum Principum affinitate, ac præclarè geſtis emicuiſſent, primi inter illius ætatis Italiæ Principes habebantur; adeo ut ob eorum potentiam, & ob præclarè in Sedis Apoſtolicæ defenſionem geſta, Anconitanæ Marchiæ Vicariatu ab Innocentio III. aucti fuerint, ut nobiliſſimam Provinciam à tyrannorum ſervitute vindicarent. Magnum deindè incrementum Eſtẽſis proſapiæ dignitas accepit, cum, ſcilicet, poſt navatam egregiè operam, unâ cum Pontificio Legato, Venetaque Republica, adverſùs

ſùs Salinguerram Ferrariæ tyrannum, ad ejuſdem urbis guberna-
Chron. parva Eſtenſium ms. cula, Poteſtatis primùm titulo, deinceps verò preclara Domini denominatione per S.Sedis auctoritatem admoti fuere; id quod poſtmodum ipſis ad obtinendum Ferrariæ Vicariatum viam patefecit.

LXXVIII. Ad Azonem itaque Eſtenſem, Obizonis filium jam tum Ferrariæ, eo, quo diximus, pacto dominantem, & armorum felicitate, præſertim adversùs Bononienſes florentem, Comacli cives, utpote Ferrarienſibus dudum obnoxii, Ravennatum imperium detrectantes anno MCCXCVII. ut Rubeus teſtatur, ineunte Majo defecerunt. At anno MCCCIV. ut idem Rubeus paulò diverſis verbis refert, Comaclenſes, quòd eos tæderet jam, pœniteretq; Eſtenſis Principis, ac Ferrarienſium dominatus, Legatos Ravennam miſerunt, qui ſuppliciter peterent, ab Ravennatibus Comaclum denuò ut reciperetur. Miſſi à Ravennatibus fuere Legati duo, qui urbem acciperent, & militum præſidio munirent, cum Comaclenſes ex adverſo Legatos Ravennam miſiſſent, qui fidem, ac perpetuum in Ravennates ſtudium, ſacramento pollicerentur. Subdit Rubeus, Azonem Eſtenſem, re cognita, Comaclenſes Proceres, & Ravennatem Præfectum armis expuliſſe, ac urbem, utpotè Ferrariæ dudum ſubjectam recuperaſſe. Poſt triennium, anno, ſcilicet, MCCCVII. ut idem Rubeus refert, *Petrum Zuſſum Clugienſes Ravennam Legatum miſere, qui cum Ravennatibus conquereretur de* COMACLENSIBUS *exulibus, qui ubi Clugienſium, quas conductas habebant in* COMACLENSI, *paludes damno affeciſſent, Ravenne reciperentur.* Reſponſum huic Legato Ravennates dederunt, ſe curaturos, ut damna reſarcirentur, & ne in poſterum damni quidquam inferretur; poſſe tamē ipſos de Clugienſibus meritò queri, quòd ab Eſtenſibus Comaclum obtinentibus, paludes ad piſcandum conducerent.

Rub. hiſt. Raven. lib 6. pag. 498. & 509.

Rub hiſt. Rav. lib. 6. pag. 516.

LXXIX. Verùm poſt mortem Azonis, obiit autem die ult. Jan. anno MCCCVIII. ortâ inter Franciſcum legitimum Azonis filium, & Friſcum fratrem ex illegitimo concubitu natum diſſenſione, Franciſcus Ferrariâ pulſus, Romani Pontificis, & aliorum opem imploravit adversùs Venetos præſertim, qui Friſci tuendi prætextu, Ferrariam occupare nitebantur. Præerat tunc temporis Eccleſię univerſæ Clemens V. qui Venetos eam ob cauſam tam prophanis, quàm divinis armis coërcuit, & facto prope Ferrariam prælio, inſigni clade eoſdem anno MCCCIX. poſt menſem Auguſtum, ope, & auxilio potiſſimùm Lamberti Polentani, ac Ravennatū, profligavit. Comaclenſes tunc Ferrarienſibus ſubdebantur ut num. CXLVIII. viſu-

viſuri ſumus. At debellati Friſci occaſione iidem Comaclenſes, *Conventu habito*, ut Rubeus refert, *prę ponte Euripi* Comacli, *denuo ſubjici Ravennatibus decreverunt, miſſoque Ravennam Tiſino, ab Ravennatibus recepti fuerunt legibus iis, ut quotannis decimo ante D. Vitalis feſtũ die bravium Ravẽnam ferrent, quo ſe ſignificarent ſubjectos, in perpetuumq; Prętores è Ravennatibus civibus haberent*. Rub hiſt. Rav. lib.6. pag.520.

LXXX. Sequenti anno Pontifex, Ferraria jam recepta, ut Venetos compeſceret, & pacem inter Exarchatus urbes inſtauraret, Robertum Neapolis Regem Romandiolæ, & vicinorum locorum Rectorem fecit. Roberto pro ſuarum Eccleſiarum juribus tuendis, atque recuperandis, cum Rauennas Archiepiſcopus, cęterique Diœceſeos ſuæ Epiſcopi preces porrexiſſent, is Nicolao Caratiolo, quem Vicarium ſuum per illas regiones declaraverat, in hæc verba die XXIII. Februarii anno MCCCXI. mandavit. *Ad factam itaque nobis literatoriæ ſupplicationis inſtantiam per Venerabiles Patres R. Archiepiſcopum Rauennatem, V. Bononienſem, M. Faventinum, M. Imolenſem, P. Comaclenſem, M. Cervienſem, P. Foropompilienſem Epiſcopos, & Procuratores Suffraganeorum Epiſcoporum Eccleſiæ Ravennæ, totiuſque Cleri ejuſdem Eccleſiæ, & Provinciæ Ravennatis, & devotos noſtros, fidelitati veſtræ diſtrictè præcipimus, & expreſsè mandamus, quatenus prænominatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, cęteriſque Suffraganeis Epiſcopis, & Prælatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Miniſtris, & Procuratoribus eorum, ac omnibus, ſingularibuſque Perſonis Eccleſiaſticis jam dictæ Eccleſiæ, ac Provinciæ Ravennatis, libertates, immunitates, privilegia, honores, bona, & iura, quæ ipſis, ac prædeceſſoribus, & Ecclesiis earumdem per Summos, qui fuerunt Eccleſię Romanę Pontifices, & Catholicos Principes alios conceſſa noſcuntur, & in quorum ab hactenus, uſque ad tempus noſtrì in prędictis Provincia, & Comitatu regiminis, poſſeſſione, ſeu quaſi, manuteneatis, & juſti favoris prę ſidio defendatis*. Fruſtrà autem Comaclenſis Epiſcopus Roberti opem pro defendendis Eccleſiæ ſuæ juribus imploraſſet, ni ad ſuam quoque urbem Roberti Regis auctoritas ex Romani Pontificis delegatione extenſa fuiſſet, & niſi Pontifex, redacta jam in ſuam poteſtatem Ferraria, Comaclenſi quoque urbi imperaſſet. Rub hiſt. Rav. lib.6. pag.523.

LXXXI. Ferraria Roberti Regis opera in Romanæ Eccleſiæ fidelitate permanſit uſque ad annum MCCCXVII. Verùm hoc anno cùm Rainaldus, & Obizo Eſtenſes, pulſis Roberti Regis militibus, ejuſdem urbis dominium, invito Pontifice, rurſus nacti fuiſſent,

cęte-

cęteraque Ferrarienſis diſtrictus caſtra, ut in bullis aduersùs eoſdem à Joanne XXII. editis aſſeritur, armis expugnaſſent, veriſimile admodum eſt, Comaclum quoque, tanquam partem dominii, quod ſibi iniuſtè arrogaverant, in eorum poteſtatem veniſſe. Teſtis eſt enim Rubeus, Comaclenſes Guidoni recens electo Ravennæ Prætori fidelitatis juramentum anno MCCCXIX. renovaſſe. At præcedenti anno Eſtenſes Principes, vt à cenſuris, in quas ob Ferrariam occupatam inciderant, abſolverentur, Romanæ Eccleſiæ Ferrariam, cęteraſque ejuſdem diſtrictus arces, habito cum Apoſtolicæ Sedis Legato apud Podium Bononienſis Diœceſeos oppidum conventu, Romanæ Eccleſiæ reſtituerunt: in quo conventu inter alia decretum fuit, præter Apoſtolicam Sedem, Summoſque Pontifices, neminem ampliùs Ferrariæ Domini titulo nuncupandum eſſe. Uidentur itaque Comaclenſes ab Eſtenſiū tunc dominio exemptos, cum Ferrarienſium parvipenderent vires, aut Apoſt. Sedis Legatus vetare non poſſet, ad Ravēnatum obedientiam rediiſſe.

Rub. hiſt. Rav. lib. 6. pag. 534.

Ioan. XXII. in bullis adverſus Eſtenſes.

LXXXII. At ſequenti anno MCCCXXI. Eſtenſes, iterum occupatâ Ferraria, deficientes à Summis Pontificibus, Comaclum quoquè iterum expugnarunt, earumque urbium Epiſcopis ſede ſuâ pulſis, indebita non modo ab earumdem Ciuibus, verùm etiam à cunctis Clericis, atque Eccleſiis tributa, ac vectigalia exegerunt: demum orto inter Eccleſiam Romanam, & Ludouicum Bavarum diſſidio, quippè qui Imperium, invitis Pontificibus, ſibi arrogabat, ejuſdem partibus Eſtenſes Principes adhæſere, eique fidelitatem, ſubjectionemq; jurarunt. Quamobrem Joannes XXII. die IV. Maji anno MCCCXXIV. adverſus Rainaldum, Obizonem, & Azonem Eſtenſes, anathemate dudum perculſos, ſacrum quoquè bellum indixit, editâ Cruciatæ, ut vocant, bulla anno MCCCXXIV. die IV. Maji, in qua inter alia eos accuſat, *Quòd non ſolùm Ferrarienſi, ſed* COMACLENSI, *& Adrienſi civitatibus, & Cathedralibus, & aliis Eccleſiis, necnon Monaſteriis, & Locis Piis, & Perſonis Eccleſiaſticis, Religioſis, & Sæcularibus dictarum Civitatum; & Diœceſeos earumdem, taleas, & collectas, aliaque diverſa onera, & ſervitutes imponerent, & à tribus annis citrà impoſuiſſent eiſdem; & ſi hujuſmodi eis onera impoſita in ſtatutis terminis non ſolverentur, Eccleſias, Monaſteria, & alia Pia loca prædicta bonis, redditibus, necnon campanis, calicibus, libris, paramentis, & aliis ad cultum deputatis divinum, ſpoliare præſumpſerint &c. Venerabiles inſuper Fratres noſtros, Ferrarienſem,* COMACLENSEM, *& Adrienſem Epiſcopos*

de

de propriis Epiſcopatibus expuliſſent, eorumque, & Eccleſiarum ſuarum bona, & reditus occupaſſent, & detinerent occupata. Quòd Pontifex ob indebitâ vectigalia, laicis quoquè indicta, Eſtenſes condemnet, certo argumento eſt, id non tantummodo, ut Pontificem, ſed etiam ut ſupremum Ferrariæ Dominum egiſſe; nam hoc ipſum in reliqua Eccleſię Romanę ditione ſeueriſſimis pœnis vetabatur. Addit Pontifex expugnatæ Argentæ, ad Ravennates Archiepiſcopos pertinentis, crimen, nullo de ſimili Comacli expugnatione verbo facto, quia nimirum ob Ferrariæ, ejuſque diſtrictus occupationem eoſdem in antecedentibus damnaverat; nec in eo Italicarum rerum ſtatu Pontifici expediebat, ità in bullis adversùs Eſtenſes loqui, ut Ferrarienſibus, quos ab Eſtenſibus alienare ſtudebat, aut Ravennatibus, Comaclum ſibi adhuc aſſerentibus, diſpliceret.

LXXXIII. Creſcente in dies vnâ cum Eſtenſium rebellione, Ludovicum inter Bavarum, & Eccleſiam Romanam diſſidio, neceſſe tandem Comaclenſibus fuiſſe aiunt, ut Rainaldo, ac Obizoni Marchionibus, qui Comaclum anno MCCCXXI. occupaverant, ſeſe ſubjicerent, conceſſo eiſdem patriæ ſuæ Domini titulo, unâ cum mero, mixtoque imperio, die penultima Ianuarii anno MCCCXXV. Hanc translationem dominii, etiamſi vera eſſet, Rainaldo, atque Obizoni Eſtenſibus excommunicatis, atque Apoſtolicæ Sedis rebellibus factam, nō uno ex capite irritam, nulliuſque roboris fuiſſe patet. Nam primo quidem irrequiſito, ac ignorante Romano Pontifice legitimo Comacli Domino facta fuiſſet, tum verò nullum ius indè Eſtenſibus oriri potuiſſet, qui à fidelium ſocietate per Pontificias cenſuras remoti fuerant, & quos vi, ac metu eam translationem, expugnata antè quadriennium armis urbe, veriſimile admodum eſt, à civibus extorſiſſe. Tertiò Comaclenſes, qui Apoſtolicæ Sedis rebelles erant, non potuiſſent ità ſuî juris eſſe, ut de ſe legitimè diſponendi facultate potirentur. Demum quod Comaclenſes aliis urbibus, quæ ſummo Apoſtolicę Sedis imperio obnoxię erant, ac præſertim Ferrariæ, tam diuturno tempore ſubiecti fuerint, id quoquè ipſis nullum uſurpatæ libertatis ius, nullamque de ſua ſubjectione ſtatuendi poteſtatem relinquebat: præterquamquod ea dominii translatio ejuſdem generis fuiſſet, ac illa, qua civitatis ſuæ dominium Ferrarienſes poſt expulſum Salinguerram Eſtenſibus anno MCCLXIV. contulerunt, ſaluo, ſcilicet, ſummo Sanctæ Sedis imperio, ut ex proximi ęvi monumentis apparet, in quibus iidē Principes ſeſe *Apoſtolicâ gratiâ* Ferrariæ Dominos nuncuparunt eo *Vide num. 160.*

pror-

prorſus pacto, quo aliæ urbes Imperio ſubiectæ, cùm quempiam in Dominum elegerunt, non ideò à ſuprema Cęſarum poteſtate ſe exemptas eſſe putarunt. Redeuntibus poſteà ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam Eſtenſibus decennalem Vicariatum Ferrariæ, ejuſque diſtrictus à Joanne XXII. adepti ſunt anno MCCCXXXII. die XII. Januarii. Ab hoc autem tempore Comaclenſes Ravennæ Archiepiſcopis, vel Prætoribus, aut ejuſdem urbis Apoſtolica auctoritate Vicariis, nullum ampliùs obſequium præſtitiſſe legimus.

LXXXIV. Comprehenſum in ea Vicariatus conceſſione fuiſſe Comaclum is facilè ſibi perſuaſerit, qui in memoriam à nobis jam numero XL. & XLI. enarrata revocaverit; Ferrarienſes, ſcilicet, ſępè, vel ex toto, vel ex parte antiquitùs poſſediſſe Comaclum, & Henrici VI. diplomate, licèt iniuſtè edito, ac Romanorum præſertim Pontificum approbatione, aliiſque in Comaclum juribus fretos, ſemper cenſuiſſe eam urbem ad ſuæ diſtrictum, ditionemque pertinere; Eſtenſes verò antè Joannis XXII. tempora, tanquam Pontificia largitione Ferrarię dominos, Comaclum in ſua, utplurimum, poteſtate habuiſſe, actûque retinuiſſe, non tam ob translatum in eoſdem à Comaclenſibus patriæ dominium (cum ea translatio, ſi unquam fieri contigit, iniuſta, irritaque fuiſſet) quàm quia in Ferrariæ ab ipſis occupatæ diſtrictu continebatur. Pontifex autem Ferrariæ diſtrictûs vocabulo, quidquid ad Ferrariæ ditionem, atquè juriſdictionem pertinebat, pro illorum temporum more appellavit; quamobrem in conceſſione Ferrarienſis Vicariatus diſertam Comacli, ut & aliorum à Ferraria pendentium locorum, mentionem facere neceſſarium Pontifici nequaquam erat, immò nec opportunum, cum in eo Eccleſiaſticæ ditionis ſtatu Romanæ Eccleſię admodum expediret, nè Ravennates offenderentur, qui ejuſdem urbis dominium ſuis Archiepiſcopis ab Apoſt. Sede olim conceſſum, ſępèq; cõfirmatum tãquam ſuę civitatis propriũ tuebantur.

LXXXV. Carolus IV. vivente adhuc Ludovico Bavaro, Imperator factus menſe Jul. anno MCCCXLVI. Henrici VII. avi ſui, & aliorũ Impp. donationes, & privilegia confirmavit, pręſtito in Tridentina urbe juramento coram Gerardo de Magnaco Apoſt. Sedis Nuncio, qui Clementis VI. literas de adeptę dignitatis confirmatione ipſi reddiderat. Extant in Adrianæ Molis Archivo Carolini diplomatis dati die XXVII. Aprilis anno MCCCXLVII. authentica exemplaria, in quibus inter alia ſic ait. *Item promittimus, & ad Sancta Dei Evangelia corporaliter per nos tacta juramus, quòd non*

occu-

occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quovis modo uſurpabimus Romam, aut Provincias, Ducatus, Marchionatum Anconitanum, Comitatus, Ferrariam, civitates, oppida, caſtra, terras alias, ſeù territoria, vel loca Eccleſiæ Romanæ, ſeù ad ipſam mediatè, vel immediatè ſpectantia in Italia, vel extrà Italiam etc. Et ſpecialiter, nec Regna Siciliæ, Sardiniæ, et Corſicæ, quæ de dominio directo, jure, et feudo ejuſdem Romanæ Eccleſiæ eſſe noſcuntur, &c. vel aliquibus invadentibus, ſeù occupantibus, vel quomodolibet uſurpantibus, attentantibus, ſeù volentibus prædicta Regna Siciliæ, Sardiniæ, vel Corſicæ, ſeù Romam, aut Provincias, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Ferrariam, civitates, oppida, caſtra, terras alias, ſeù territoria, vel loca Eccleſiæ Romanæ, ſeù ad ipſam Eccleſiam mediatè, vel immediatè ſpectantia, ſivè ſint intrà Italiam, ſivè extrà Italiam, ſeù aliqua prædictorum, non juvabimus, nec eis adhærebimus, nec ipſis dabimus aliquale auxilium, conſilium, vel favorem etc. Inſerit poſteà relatas num. LXXVI. Henrici VII. literas de confirmatis Eccleſiæ Romanæ privilegiis, in quibus literis Apoſtolicæ Sedi aſſeritur ſummum imperium in totam ditionem ſuam, præſertim in Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Romandiolam, & Bertinorii comitatum, civitatemque Bononiæ, *cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, et confinibus integraliter, et cum omnibus juribus, ac juriſdictionibus earumdem*: & nè dubitari poſſit, an Comaclum in hac verborum generalitate comprehenſum eſſet, Henricus Imperator inter ea anteceſſorum ſuorum privilegia, quæ Romanæ Eccleſiæ confirmat, Rodulphi I. reſtitutionem, de qua latè egimus, diſertis verbis recenſet. Revocat deindè Carolus IV. ſententias quaſcumque ab Henrico VII. & Ludouico Bavaro latas in eiſdem Regnis, atquè Provinciis, ac ſubdit: *Quòd ſi aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, recognitiones, donationes, advocationes, occupationes, ſeù conceſſiones qualeſcumque à prædictis Henrico, et Ludovico, vel eorum altero per ſe, vel alium, ſeù alios factæ fuerint, vel receptę pro Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Civitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, et territoriis ſupradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus, vel juribus in eis, vel ſub eis etiam conſtitutis à quibuſcumque univerſitatibus, vel perſonis ſingularibus quovis modo, illa omnia fore nulla pronũciamus, et quatenus proceſſerunt de facto, totaliter revocamus, et etiam pro non factis volumus, et decernimus haberi*. Hoc privilegium renovavit Carolus IV. cum in Urbe Imperii

perii coronã ſuſcepit, anno MCCCLV. die v. Apr. ut authentica ejuſdẽ diplomata Rainaldo relata fidem faciunt. Patet autẽ de Comaclo etiam loqui Carolum, nam Rodulphi I. reſtitutionẽ confirmat.

Rain. an. 1355 num. 15.

LXXXVI. Idem quoque Carolus IV. antequam Romam accederet anno MCCCLXVIII. poſtulatus fuit ab Urbano V. ut ſi quid detrimenti in ſummo per totam ſuam ditionem imperio Apoſtolica Sedes ob tyrannorum fraudes, qui pleraſque ejuſdem urbes occupaverant, dum Pontifices apud Avenionem commorabantur, accepiſſet, id in perpetuum valiturâ conſtitutione ſummoveret, ſimulque ſua jura Imperio aſſereret, recenſitis denuò ſingulis quibuſque provinciis, quæ ad Eccleſiæ Romanæ ditionem pertinerent. Juſtiſſimo Pontificis deſiderio Carolus IV. morẽ geſſit, edito die XII. Aprilis ejuſdem anni diplomate, in quo poſt inſertas Henrici VII. literas, quas num. LXXVI. retulimus, ita loquitur. *Verùm quia propter abſentiam Dominorum Summorum Pontificum partium Italię, ac etiam noſtram, multę novitates in terris prędictę Eccleſię, ac terris noſtri Romani Imperii ſunt exortę, multęque rebelliones factę ſunt hinc inde, tam per populos terrarum prędictarum, quàm etiam per tyrannos in illis partibus, quę contrà Romanam Eccleſiam, & Imperium perperam rebellarunt poſt conceſſionem, & datam literarum prędictarum, cum tempore illo nullus Romanorum Pontificum in partibus Italiæ fuerit commoratus, & ideo propter lapſum temporis, novitateſque, & rebelliones prædictas poſſet pro tempore de juribus Romanæ Eccleſiæ eſſe diſſenſio inter Romanum Pontificem, & occupatores terrarum prædictarum, ac eas in futurum occupare volentes; necnon quæſtiones, & ſcandala inter Romanam Eccleſiam, & Imperium, prætextu dictarum terrarum, propter diverſas adinventiones, opiniones, & oblocutiones æmulas tyrannorum; ac etiam rebellantium populorum, poſſent futuris temporibus oboriri, & etiam generari; nos volentes prædictis obviare periculis, pacemque inter Romanam Eccleſiam, & Imperium perpetuis temporibus nutrire, ac etiam confovere, ac omnia tollere, per quæ poſſit oriri dubietas, occaſione terrarum, & Provinciarum prædictarum, indemnitatique, & ſecuritati Romanę Eccleſię providere; pro parte D. N. Summi Pontificis ſuper hoc per Venerabilem Petrum de Caſelio Prępoſitum Nemauſenſem Nantium ſuum cum inſtantia requiſiti, quia tam per regiſtra prædicta, &c. quàm per conceſſionem dicti Henrici avi, et prędeceſſoris noſtri factã Rom. Pontifici, de qua nobis eſt plenius facta fides, ſumus de jure Romanę Eccleſiæ plenariè informati; ideo dictas literas*

Apud Rainald. an. 1368. num 5. extat authenticũ in Caſtro S. Angeli.

ras,et contenta in eis privilegia,Provinciaſque,et terras in eis nominatas,et prout ſingulariter in eis deſcribũtur, cum omnibus juribus, et juriſdictionibus, limitibus, terminis, et confinibus earumdem, ex certa ſcientia pro nobis,et ſucceſſoribus noſtris ratificamus,et confirmamus,ac etiam innovamus,et ipſas recognoſcimus ad jus,et proprietatẽ Romanæ Eccl. cum omni plenitudine pertinere. Et nihilominus de noſtræ Imperialis majeſtatis plenitudine dictã Marchiã Anconitanam &c. Recenſet deinde alias Eccl. Romanæ Provincias, & ſequitur; *necnon Romam,et Ferrariam cum omnibus etiã Civitatibus, terris,limitibus,terminis, et confinibus,integraliter, et cum omnibus juribus,et juriſdictionibus earumdẽ, ſententiamus, decernimus, pronuntiamus, ac etiam declaramus, et recognoſcimus ad Romanã Eccl. juſque, et proprietatem,ac poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ pleniſſimo jure ſpectare,ac omnimodè pertinere, Et inſuper ſicut prædictus Henricus avus, et prædeceſſor noſter ex abundanti dictas terras,et Provincias donaſſe dicitur S.R.E. prælibatæ,propter multos curioſos in partibus Italię conſtitutos , qui inter ſe diſceptant de his, quæ ad eos non pertinent, de juribus S. R. E. et noſtri Sacri Imperii contendentes, conantes(quantùm in eis eſt)inter Dominum Summum Pontificem, et nos,et ſacrum Imperium zizaniam, et diſcordiam ſeminare,et etiã invenire, ut eorum rebelliones, et malitias valeant palliare, ideo dictas Provincias , loca, civitates, et terras,prout ſupra pleniùs declarantur,cum omnibus limitibus,terminis,et confinibus ſuis,integraliter,et cum omnibus juribus, et juriſdictionibus earumdem,Romanæ Eccleſiæ,ac D. N. Urbano Papæ V. ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ex ſuperabundanti quitamus liberè , et dimittimus , ac renunciamus omninò; necnon ad omnem ſcrupulum, et ambiguitatis dubium removendum, prout męliùs, et efficaciùs fieri,et intelligi poteſt,concedimus ipſas, conferimus,et donamus de novo; promittentes, et obligantes nos (prout meliùs poſſumus) quòd nullo unquam tempore occupabimus,vel occupari (quantum in nobis eſt) permittemus, civitates,loca,caſtra,terras,et provincias ſupradictas,vel aliquam ipſarũ,aut earum partem,nec in ipſis,vel aliqua ipſarum,aut earũ parte jus aliquod reclamabimus in futurum.* Hac ſanè cõſtitutione Carolus IV. ſummum Apoſt. Sedis imperium in totam ditionẽ ſuam claris denuò verbis recognovit,cunctáq; abolevit,quæ propter abſentiã Pontificum in eorũdem ſummi imperii detrimentũ uſque ad eam diẽ,ſive à ſe ipſo,ſive à quibuſcũque aliis tentata fuerant. Ferrariam autẽ diſertè dum nominat, de Comaclo etiã Ferrariæ vica-

riatui tunc adnexo,procul dubio ſe locutũ fuiſſe clarè monſtravit.

LXXXVII. Porro Romanos Pontifices ſemper cenſuiſſe ditionis ſuę eſſe Comaclum, & in eam quoque urbem ſummi imperii jura exercuiſſe,conſtat ex deſcriptione focularium, ut vocant,omnium civitatum,& oppidorum Romandiolæ,aliorumque adjacentium locorum ad Apoſtolicam Sedem ſpectantium, ab Anglico Cardinali ſub Gregorio XI. anno MCCCLXXI. confecta, quæ in ſecreto Apoſtolicæ Sedis Archivo aſſervatur; in ea enim deſcriptione Comaclum Romandiolę civitatibus adſcribitur,& L.tantum focularia habuiſſe dicitur, additâ hac nota. *Tenet Dominus Marchio de Ferraria.* Anglicus Cardinalis non iter per Italiam agebat, nec curioſitatis cauſa Eccleſiaſticæ ditionis Provincias circumivit, aut eaſdem ad ſublevandam memoriam deſcripſit; ſed Legati in cunctis Romanæ Eccleſiæ Provinciis citra Siciliæ Regnum ampliſſima auctoritate præditus, Romandiolæ urbium, atque locorum ad Legationem ſuam pertinentium, elenchum concinnavit,ut de Provinciæ ſtatu Summos Pontifices,Avenione adhuc degentes, certiores faceret,ac etiam ut juxta ejuſdem focularia,debita Apoſtolicę Sedi tributa ſummi imperii jure exigeret;quamobrem claro ſatis argumento ex ejus deſcriptione deducitur, non Cæſarei, ſed Pontificii juris eſſe Comaclum.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an.1708 pag.56.

Inſtr. fœderis inter Florent. & Eſten. de anno 1370. in Archiv. Caſtri S. Angeli.

LXXXVIII. Sigiſmundus Imp.qua die ab Eugenio IV. imperii diademate Romæ coronatus fuit, donationes Apoſtolicæ Sedi à ſuis prædeceſſoribus factas, de more confirmavit. *Manutenebimus ſemper*, ait Sigiſmundus, *et ſervabimus privilegia omnia per prędeceſſores noſtros Reges, ac Imperatores Romanorum Romanæ Eccleſiæ, et aliis quibuslibet Eccleſiis quocumque conceſſa tempore, et continentiæ cujuſcumque, ipſaque omnia, et ſpecialiter, ac prçcipuè per clar:mem:Conſtantinum,Carolum, Henricum,Ottonem IV. Federicum II.atque Rodulphum prædeceſſores noſtros,prçſertim ſuper conceſſione, recognitione, advocatione, quietatione, et libera dimiſſione terrarum, et Provinciarum Romanę Eccleſię, ubilibet poſitarum, Sedi Apoſtolicæ, Romaniſque Pontificibus ſub quocumque tenore conceſſas, recognoſcimus, confirmamus,et ex certa ſcientia innovamus, ac etiam de novo concedimus, et terras ipſas, ac Provincias recognoſcimus ad jus, et proprietatem ipſius Eccleſiæ pleniſſimè pertinere,caſque nihilominus ex abundanti de novo Eccleſię prçdictę donamus,ſub prçdicto nos obligantes juramento, quòd ipſas, vel aliquam partem ipſarum nullo unquam tempore occupabimus,ſeu quan-*

tum

*tum in nobis erit,permittemus ab aliis occupari &c.*Datum diploma die ult.Maii an.MCCCCXXXIII.in actu ipſo coronam accipiēdi. Federicus quoque III.cum Romæ Idib.Martii an.MCCCCLII.Imperii coronam obtinuit,*JusjurandumB.Petro,et Nicolao V.ſuiſque ſucceſſoribus in ea forma prestitit,quaLudovicū Magni Caroli filium juraſſe,Pontificū decreta confirmant*,teſte Ænea Silvio,atq; Nauclero. Æneas Silu. Hiſt.Feder.III pag. 80. Naucler. in Chron.

LXXXIX. Alphonſus Ferrariæ Dux Galliæ Regis amicitia, fœdere,atque affinitate fretus,ut Venetis Policinum eripuit,ſtatim ſal apud Comaclum legere, quod nunquam Eſtenſibus, aut Ferrarienſibus licuit, aggreſſus eſt. Factum hoc ægrè ferens Julius II. cum id agendi facultas eorum tantummodo ſit,qui ſummo potiuntur imperio, juſſit Alphonſo, ut ab incœpto deſiſteret. Pontificis monita deſpiciens Alphonſus in tantam prorupit audaciam, ut Julium II. eâ de re ad judicium coram Parlamento Galliæ evocaverit. At Julius indicto adversùs Alphonſum bello,eumdem inſuper fidelium communione,& Ferrariæ Ducatu privavit,edita bulla die XIV. Octobris ann. MDX. in qua de Alphonſo inter alia ſic ait. *In premiſſa protectione, et clientela Regis,videlicet, Gallie, confidens,et contra nos ingratè, et contumaciter elevatus, ſal in dicto Comitatu* COMACLENSI *in gravem dicte Romane Eccleſie leſionem fabricare, et gabellas auctas, et pedagia, et portoria de novo impoſita in dictorum ſubditorum noſtrorum, et civium Ferrarienſium,et aliarū perſonarum maximum prejudiciū, et dictæ Sedis contemptū,ut præfertur,exigere &c. noſque ſuper hujuſmodi ſalis fabricatione corā magno Conſilio præfati Regis ad judicium evocare facere attentavit.*

XC. Imperator itaque ab Alphonſo, quo tempore opportunum maximè ipſi erat,nequaquā appellatus fuit.Nam quod Guicciardinus refert, Alphonſum, ſcilicet,ab amicis monitum, ut Julio II. pareret,eorum conſilia reſpuiſſe, ne Imperii in Comaclum jura læderet,etiamſi verum eſſet, nequaquam tamen inde oſtenderetur, Alphonſum publicâ proteſtatione, uti opportunum, immò neceſſarium erat, Comaclum ab Imperio pendere aſſeruiſſe: nullius autem ponderis eſſe patet, quæ privatim inter amicos dicta, contrariis aſſertionibus publicè, ac ſolemniter factis, revocantur. Nam idem Guicciardinus ait,Alphonſum antequam Eccleſiæ arma contra ipſum moveri cœpiſſent,Julio II. per oratores ſuos promiſiſſe, confectum jam in Comaclo ſalem,ſe ultrò ipſi daturum, nec illum ampliùs collecturum in poſterum. Calcagninus quoque in Apologia ejuſdem Alphonſi nomine,ſub ipſum belli initium Julio II.por- Guic. Hiſt. lib.9.fol. 236. & 237.a tergo

rectâ, cauſam belli ob confectum in Comaclo ſalem ita refellit, ut prætenſas Alphonſi rationes numquam in ſupremo Imperii dominio fundaverit, ſubditque Julium II. alloquens; *Quid præter voluntatem tuam facere unquam cogitavit* Alphonſus? *qui ſummis precibus, et quaſi ſupplex ſemper rogavit, ut ſibi hoc victoriæ fructu per te perfrui liceret: qui ſe nihil auſurum unquam ſine tuo conſenſu profeſſus eſt; qui tandem perceptâ voluntate, et conſilio tuo, et à legendo ſale deſtiterit, et ſalis conceptacula deſerit, ut nulla in re non ſe tibi obſequentiſſimum præſeferret*. Paulus quoque Jovius, Petruſque Martyr ab Anglerio ea de re non uno in loco loquentes, Summum Pontificem pro ſupremo Comacli domino habent, & Alphonſum ad Imperatoris Tribunal confugiſſe non aſſerunt: quin imò Jovius teſtatur, Alphonſum pollicitum Julio fuiſſe de Comaclenſibus ſalinis ſe ſtaturum eſſe judicio Pontificis, & ab ea conditione non abhorruiſſe Galliæ Regem Alphonſi Patronum Guicciardinus ipſe refert: Prę̨terquamquod Alphōſus modo Gallorum Regem publicè appellando, modò Imperatorem eſſe ſupremum Comacli dominum privatim aſſerendo, hac ipſa variatione malam ſe tueri cauſam indicaſſet. Denique hallucinati ſunt, qui Guicciardini teſtimonio ſe probare poſſe putant, Maximilianum Imp. miſiſſe Iulio Fecialem, qui ipſi indiceret, ut ab armis in Alphonſum movendis deſiſteret; nam Guicciardinus Fecialem illum non ad Iulium, ſed ad Venetos miſſum fuiſſe disertè ſcribit.

Calcag. Apol. inter eius opera pag. 533. 534 & 536.

Paul Jov. in vita Gonſalui lib. 3. pag. 264. in vita Alphonſi pag. 16. & 17. in vita Leonis X. lib. 2. pag. 36. Petrus Martyr. lib. 23 ep. 442 & 443.

Guic. Hiſt. lib. 9. fol. 242.

Oſſervat. ſopra la let. del Dom. temporale del Papa pag. 67.

XCI. Alphonſum Adrianus VI. ad Eccleſiæ obedientiam redeuntem, à cenſuris, quibus ſub Iulio II. & Leone X. innodatus fuerat, abſolvit, eique novam Ferrarienſis Ducatus inveſtituram largitus eſt die XVII. Octobris an. MDXXII. In ea approbatur diminutio cenſus annuî ab Alexandro VI. conceſſa; verùm conditio apponitur, ut Ferrarię Duces centum equeſtris armaturæ milites per ſex menſes ſingulis annis ad inſerviendum, cum opus fuiſſet, Apoſtolicæ Sedi, mittere deberent, ac præterea à legendo in Comacli vallibus ſale ceſſarent; quę quidem longè majoris momenti erant, quàm diminutio annui cenſus quatuor millium florenorum, ut dici neutiquam poſſit, ex conventione potiùs, quàm ſummi imperii jure, Principes Eſtenſes ſalis conficiendi facultate privatos fuiſſe. Recens quoque erat belli memoria, quòd inter alia ob collectum apud Comaclum ſalem eidem Alphonſo Julius II. indixerat; quamobrem legem iſtam ratione ſummi Apoſtol. Sedis imperii in Comacli comitatum ſibi ab Adriano VI. imponi non ignorabat Alphon-

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an 1708 pag. 67. e 68.

phonſus, & conſequenter, eam accipiendo, ſupremum Apoſt. Sedis dominium in eumdem Comitatum recognovit. Sed & Carolus V. Imperator in laudo, quod de Mutina, ac Regio ſub Clemente VII. edidit, Adriani VI. & Alphonſi pacta, cum maximè poſſet, non modò non improbavit, ſed & diſertis verbis rata habuit; quo facto nullum Imperio jus in Comaclum cōpetere ſatis apertè indicavit.

XCII. Adriani VI. leges ab Alphonſo exactè obſervatæ fuerunt, quouſque Paulus III. an. MDXLVII. Julius III. an. MDLIV. Paulus IV. an. MDLVII. Pius IV. an. MDLXIII. & MDLXIV. ac Pius V. anno MDLXVI. ejſdem Ferrarię Ducibus pro certis temporibus indulſere, ut Apoſtolicæ Sedis nomine ſalinas in memoratis vallibus conderent. At in his conceſſionibus Pontifices, ſupremî tantùm dominii auctoritate, ſe id Ferrariæ Ducibus permiſiſſe, clarè ſatis oſtendunt: nam Apoſtolicæ Sedis nomine ſal colligi volunt, & ſub Paulo III. aliis pactis hoc adiectum fuit. *Che Noſtro Signore ſia cōtento, che il Sig. Duca a nome però di Sua Santità, e della Sede Apoſt. poſſa far fabricare ſali a Comacchio, e ſuoi contorni, per detti diece anni, che comincieranno alle Calende di Settembre proſſimo, con patto però, che la Camera Apoſtol. debba tenere un Commiſſario, quale habbia da intervenire a detta fabrica, e ſmaltimento di ſale, et a tutte le altre coſe, che concernino queſta faccēda, per l'intereſſe della Camera; e non vel tenendo, in aſſentia ſua non abbia per queſto il Sig. Duca di ſopraſtare nella fabrica, e ſmaltimento predetto, con farne tenere buon conto però, e renderlo a detto Commiſſario, quando vorrà, o vi ſarà*. Præterea in conventionibus an. MDXXXIX. die XXI. Januarii inter Paulum III. & Eſtenſes initis, ſtatutum fuit, ut Pontifex inveſtiret Herculem II. *de toto Ducatu Ferrariæ cum omnibus ſuis pertinentiis, & omnibus locis aliis, terris, & caſtris, contentis in inveſtitura Alexandri PP. VI. & de omnibus juribus Sedi Apoſtol. competentibus, & non aliàs in quibuſcunq; civitatibus, & locis per eundem Ducem poſſeſſis, ſeu quovis modo tentis*. Per hanc autem conventionem obtinuiſſent utique Eſtenſes liberam ſalis in Comaclo colligendi facultatem, nam præter inveſtituram concedenda erant Eſtenſibus cætera omnia jura, quæ Apoſt. Sedi competebant: cum autem Pontifices tàm ante, quàm poſt conceſſam inveſtiturā illam ſal colligi in Comaclo vetuerint, certo ſanè argumento hinc deducitur prohibitionē illam non in conventione quapiam, ſed in ſummo Apoſt. Sedis imperio fundatam fuiſſe. Cæterum prohibitiones haſce acceptarunt Eſtenſes, nunquam verò Cæſares impugnarunt.

CXIII. Inte-

XCIII. Interea finitâ, quod ad jus in Ferrariæ vicariatu ſuccedendi attinet, Eſtenſium Principum linea, Clemens VIII. caducitatis jure Ferrarienſem Ducatum, cujus pars Comaclum, Apoſt. Cameræ addixit, initâ cum Cæſare Principe Eſtenſi concordia Faventiæ die XII. Jan. an. MDXCVIII. in qua Petri Card. Aldobrandini operâ conventum fuit. *Che il Sig. D. Ceſare ſia aſſoluto in forma pieniſſima da tutte le cenſure, pene, intereſſi, e danni &c. rilaſciando però il poſſeſſo del Ducato di Ferrara, con tutte le ſue terre, prati, valli, poſſeſſioni, caſe, oſterie, i molini di Lugo, e di Bagnacavallo etc. e tutti quegli allodiali, che gli ſono pervenuti per lo teſtamento del Sig. Duca Alfonſo, e tutti i beni, che non hanno anneſſa giuriſdizione, ſi intendano allodiali.* Tantùm autem abfuit, ut Rodulphus II. Imp. Pontifici impedimento fuiſſet, quo minus Ferrariam, Comaclumque reciperet, ut, inſtante Apoſtolicæ Sedis Nuntio, milites pro Cæſare Eſtenſi in Germania colligi vetuerit, ſolemni reſcripto anno MDXCVIII. die V. Januarii. Quin & primarium Aulæ Cæſareæ miniſtrum eidem Nuntio faſſum fuiſſe, Clementem VIII. juſtam Ferrariæ recuperandæ cauſam habuiſſe, legimus in literis, quas eodem anno, die V. Januarii ad Cardin. Aldobrandinum ſcripſit, his verbis: *Il giorno ſeguente fui dal Sig. Trauzen, il quale diſſe &c. Che lui crede le ragioni della Sede Apoſtolica eſſer chiariſſime.*

Regiſtro di lettere ſopra la ricuperatione di Ferr. fol. 19. & 21. nell' Arch. Secr.

XCIV. Poſt addictum Apoſtolicæ Cameræ Ferrariæ Ducatum, Clemens VIII. erecto Rotæ Ferrarienſis tribunali, Comaclum ejuſdem juriſdictioni, utpotè Ferrarienſis diſtrictus partē, ſubjectū eſſe, voluit: idem quoquè Pōtifex an. MDXCVIII. & Paulus V. an. MDCX. Comaclum cæteris Eccleſiaſticæ ditionis urbibus accenſuere in ea parte Bullæ in Cœna Domini, in qua occupatores quarumcumque urbium ditionis Eccl. Romanæ quotannis excommunicatione plectuntur. Hoc autem fecit uterque Pontifex, non quòd Comaclum à Ferrariæ, ut quidam perperam putant, Ducatu ſegregatum cenſeret; ſed ut per diſertam ejuſdem mentionem Apoſtolicæ Sedi adversùs Eſtenſes, in poſterum magis magiſque caveret. Sanè Collalti Comes Matthiæ Imp. apud Apoſt. Sedem Orator ægrè ferens, quòd Paulus V. pecuniarum ſubſidium adversùs Turcas eâ, quam optabat, ſummâ denegaſſet, inſtare cœpit an. MDCXIII. die XV. Novemb. ut Comaclum Eſtenſibus Principibus redderetur. Verùm tanti ponderis apud eumdem Imperatorem fuerunt vetera monumenta, quæ una cum Rodulphi I. reſtitutione totius Exarchatus, Paulus V. ad tuenda Apoſtol. Sedis jura ipſi tranſmiſit, ut nullam ampli-

Clem. VIII. Conſt. 59. § 1

Let. di Girol Giliolі a Don Ceſare de' 21. Mar. 1598.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 84.

amplius ob Comaclum Apoſtol. Sedi moleſtiam creaverit, licèt à Mutinæ, Regiique Duce ad id agendum impelleretur.

XCV. Annis proximè ſequentibus vſquè ad poſtremos Pontificatus Urbani VIII. annos Principes Eſtenſes litem ſub Clemente VIII. adverſus Cameram Apoſt. ſuper quibuſdam Comacli vallibus, aliiſque allodialibus bonis inchoatam, proſecuti ſunt, eâ ratione freti, quòd in concordia de Ferrariæ Ducatu cum Cardinali Aldobrandino, Sedeque Apoſt. Faventiæ habitâ, cuncta allodialia bona Cæſari Eſtenſi, ejuſque hæredibus reſervata fuiſſent. Extant adhuc pleraque eorum ſcriptorum, quæ tunc Eſtenſium Advocati, tam pro recipiendis memoratis vallibus, quàm de variis circà ſalis confectionem controverſiis, Apoſt. Sedis Judicibus obtulerunt, in quibus magno argumẽtorum apparatu prætenſa Clientium ſuorum jura propugnantes, Comaclum ab Imperio pendere nunquã affirmant; quinimò illud ſupremo S. Sedis dominio ſubjectum eſſe claris admodum confeſſionibus, & ipſo Põtificium judiciũ ſubeundi actu diſertè fatẽtur. At occaſione belli inter Urbanum VIII. & Parmæ Ducem, alioſque Italiæ Principes exorti, Franciſcus Mutinæ, Regiique Dux, pendente adhuc lite de memoratis Comacli vallibus, aliiſque allodialibus bonis, à Pontifice ulteriùs poſtulavit, ut ſibi Ferrariæ Ducatus cum Comaclo, Argenta, aliiſque locis ad Apoſt. Sedem devolutis, redderetur. Rationes, quas Urbano VIII. Ducis miniſtri ſcripto obtulerunt, cum Doctiſſimi viri partim italicè, partim latinè editis libris confutaſſent, lis tota ad memoratas tantùm Comacli valles redacta fuit, de quibus etiã Chriſtianiſſimi Gallorum Regis interventu ab Apoſtol. Sede cum Mutinæ, ac Regii Ducibus tranſactum fuit in pacis tractatu Piſis habito an. MDCLXIV. in quo ità ſancitur. *Sua Santità in grazia parimente di ſua Maeſtà, & in riguardo, e ricompenſa delle valli di* COMACCHIO, *e di ogni altra pretenſione, e ragione, che in qualunque modo poteſſe avere il Signor Duca di Modena, e la caſa d'Eſte contro la Camera Apoſtolica, ſi accollerà il monte Eſtenſe aſcendente a ſcudi trecento mila in circa, con li commodi, & incommodi, che il detto Monte hà per la ſua eſtinzione, aſſieme con li frutti ſin ora decorſi, & non pagati, aſcendenti alla ſomma più, ò meno di ſcudi cinquanta mila, e darà in oltre all'iſteſſo Signor Duca preſentemente altri ſcudi quaranta mila, ò vero un Palazzo in Roma di eguale prezzo ad elezione di Sua Santità, e ſodisfazione del Signor Duca, con patto, e condizione però, che tutte le ragioni, e pretenſioni del Signor Duca* con-

Riſtretto delle ragioni della Caſa d'Eſte contro la Cam. Apoſt. an. 1643.

Riſpoſta alle ſcritture, & al Riſtretto publicato per parte del Duca di Moden. del Cõtelori an. 1643.

Defenſio jurium ſanctæ Sedis pro reſponſione ad Manifeſtũ Ducis Mutinæ an. 1643.

contro la Camera Apoſtolica, ſiano in vigore di fideicommiſſo, e primogenitura, ò per qualſivoglia altro capo, natura, qualità, e condizione ſiano, reſtino tutte reciprocamente eſtinte con il preſente accordo, & paulò poſt. *Concederà Sua Santità al Signor Duca, ſuoi eredi, e ſucceſſori in perpetuo li Juſpatronati della Badia della Pompoſa, e della Pieve del Bondeno, con facoltà di potere liberamente a quelle preſentare, ancorche vacaſſero in Curia; & con il decreto, che non ſiano compreſi ſotto le regole di Cancellaria, ne ſoggiacciano ad alcune riſerve Apoſtoliche, & abbia detta conceſſione di detti Juſpatronati tutte le medeſime prerogative, come ſe foſſero di donazione, erezione, & fondazione &c.* Hæc in Piſano pacis tractatu, licet Eſtenſes pro recipiendo Comaclo omnia ſuſque deque verterent; injuſta enim adeo viſa ſunt eorum poſtulata, ut potentiſſimus Galliarum Rex, eorum tunc patronus, cum omnia ſibi licerent, nil ampliùs ab Alexandro VII. quidquid poſtulabatur, per vim metũque, ut idẽ Pontifex edita proteſtatione cõqueritur, conceſſuro, obtinere voluerit.

Hiſtoire de l' affaire des Corſes pag 93. 98. 219. 220. 232.

XCVI. Cuncta, quæ hactenus hiſtoricâ fide à nobis ſunt enarrata clarè demonſtrant, Apoſt. Sedem Comaclum unâ cum toto Exarchatu ante reſtitutum Occidentis imperium adeptam fuiſſe, ac præterea Pontifices à Stephani III. temporibus, & an. DCCLV. uſque ad Joannem VIII. & annum DCCCLXXVII. interdum quidem Exarchatum vicariâ poteſtate gubernandum commiſiſſe Archiepiſcopis Ravennatibus; interdum verò Cardinalem Legatum unâ cum Rectore primariæ nobilitatis viro miſiſſe Ravennam, & ſingulis quòque urbibus Gubernatores, quos Comites, Duceſque vocabant, præfeciſſe; præſertim Comaclo, cujus cives annuum quòque cenſum Apoſt. Sedi, in ſubjectionis utique ſignum, perſolvebant, antequam anno DCCCLXXIX. Eccl. Romanę rebelles fierent. Oſtendimus etiam ſubſequentibus annis uſque ad Ottonis I. tempora, & ann. CMLXII. præter Comaclum, alias pleraſque Eccleſiaſticæ ditionis urbes, à Pontificibus defeciſſe; alias verò ab Imperatoribus medio illo tempore electis, vel ab Italiæ Regibus occupatas fuiſſe: denique Apoſt. Sedem ſub Ottone I. tam anno CMLXII. quàm anno CMLXVII. univerſam ferè ditionem ſuam, ac præſertim Exarchatum Ravennæ, adeoque Comaclum, recuperaſſe; licet poſt modum Apoſtolica quidem Sedes majorem ſuæ ditionis partem, Ravennæ verò Archiepiſcopi regimen Exarchatus amiſerint; quippè quia Eccleſiaſticę ditionis urbes, atque oppida in Imperatorum poteſtatem partim venire coactæ fuerint, partim nec Pontificibus,

neque

neque Imperatoribus, niſi vi metuque coactæ, obſequi vellent, & ob frequentes Italiæ motus mallent in propriam perniciem inter ſe digladiari, quàm juſtum, & æquum Rom. Eccl. imperium ſubire.

XCVII. Atqui ob rebelliones iſtas, indeque conſecutas diverſorum Imperatorum occupationes, Apoſt. Sedem ſupremi dominii jura non amiſiſſe, ex his, quæ à nobis, ſunt enarrata, lucide apparet. Nam licet Pontifices tunc Exarchatu ſpoliati fuerint, tamen ſummi imperii poſſeſſionē animo retinentes, ne ulla adversùs Apoſtolicam Sedem præſcriptio induceretur, ſatis ſuperque curarunt, ſive novas donationes ab electis Imperatoribus obtinendo, ſive Comacli, & aliarum urbium, ac ipſius Ravennæ dominium confirmando Ravennatibus Archiepiſcopis, à quibus etiam fidelitatis juramenta exigebant; nec alioquin pertinax adeò fuit populorum illa defectio, ut nunquam eos patratî facinoris pœnituerit, ac non & aliquæ Exarchatus urbes in S. Sedis devotione permanſerint. Vidimus quòque Federicū I. in tractatu pacis, cum Alexandro III. Venetiis habito, Exarchatum Romanæ Eccl. reddidiſſe, & Henricum VI. morti proximum, eam provinciam Apoſtolicæ Sedi reſtitui mandaſſe: & Innocentium III. non modò Exarchatum, ſed & totam ferè Sedis Apoſt. ditionem injuſtis poſſeſſoribus eripuiſſe, & ab Ottone IV. & Federico II. obtinuiſſe, ut ſummum in eam imperium Eccl. Romanæ, editis privilegiis, confirmarent, cunctoſque inſuper Imperii Principes confirmationem Federici II. bis approbaſſe. Denique pluribus, oſtendimus, Rodulphum Romanorum Regem, re per annum, & ampliùs, maturè diſcuſsâ, ingenuè confeſſum eſſe; nullum Imperio jus in Eccl. Romanæ ditionem competere, præſertim in Exarchatum, cujus ſingulas vrbes, & inter eas Comaclum, juxtà veterum Imperatorum donationes enumeravit, accedente ſeptem Imperii Electorum, & reliquorum, ut veriſimile videtur, Germaniæ Principum approbatione, quemadmodum LX. ante annos cuncti Imperii Ordines in ſolemni apud Francofordiam conuentu haud abſimilem Federici II. confeſſionem ratam habuerunt; unde factum fuerit, ut nulla deinceps ab Imperatoribus moleſtia, præterquàm à Ludovico Bavaro, Pontificibus allata fuerit, quominus ampliſſimæ provinciȩ cum ſumma in omnibus poteſtatȩ jus dicerent, cunctaque peragerent, quæ liberi, neminiq; ſubjecti Principes in ſuis ditionibus præſtare conſueverunt.

XCVIII. De Comaclo prætereà obſervavimus; in ea Italicarum rerum perturbatione, quæ poſt Ottonis Magni obitum diuturno

turno tempore duravit, Ferrarienſes ſæpe Ravennatibus inimicos eam urbem à Ravennatibus, vel Archiepiſcopis, vel Magiſtratibus poſſeſſam, vel uſurpata libertate fruentem, in ſuam poteſtatem redegiſſe, ac inſuper curaſſe, ut integer Comacli Comitatus Henrici VI. auctoritate ſuo territòrio, atque diſtrictui anno MCLXXXXI. adjiceretur, idque ipſum à Pontificibus Innocentio III., & IV., juxtà Pignæ teſtimonium, obtinuiſſe; deindè ejuſdem urbis dominium æquali jure cum Ravennatibus per aliquòd tempus retinuiſſe; tametſi Comaclenſes in frequenti illo Exarchatus urbium conflictu, modò in libertatem ſeſe denuò aſſeruerint, modò Ravennatibus, modò Ferrarienſibus, qui omnes ſummum Apoſt. Sedis imperium reverebantur, ſeſe dediderint, donec anno MCCCXXV. in Eſtenſes Principes, tunc Apoſt. Sedis rebelles, ideoq; excommunicationis vinculo adſtrictos, patriæ, vt ajunt, dominium, irrito licet actu, & citra Pontificum notitiam, tranſtulerint. Brevi etiam ſermone enarravimus, quomodo Eſtenſes ad Eccl. obedientiam reverſi, Vicariatum Ferrariæ anno MCCCXXXII. unâ cum Comaclo à Joanne XXII. primùm obtinuerint, & uſq; ad Clementis VIII. tempora poſſederint, qui eumdem Vicariatum, ejuſq; partem Comaclum, ad Sedis Apoſt. demanium jure caducitatis an. MDLXXXXVIII. revocavit: Romanos inſuper Pontifices, tàm poſt receptam Ferrariam, Comaclum liberè poſſidentes, quàm ante ejus devolutionem, ſalinas ibi conſtrui vetantes, aut id ipſum Apoſt. Sedis nomine, in ſummæ poteſtatis argumentum indulgentes, ſupremum omne jus in eo Comitatu exercuiſſe; demum de quocumq; jure Eſtenſibus Principibus in allodialia bona, Comacli ſita, competenti, in pacis tractatu Piſis habito, anno MDCLXVI. tranſegiſſe, ut nullum jus in Comaclum eiſdem ſupereſſe poſſe evidenter appareat.

Riſpoſta alle ſcritture mādate da Roma an. 1708. Oſſervationi ſopra la let. intitolata il Dominio temporale del Papa &c. an. 1708. Altra lettera ad un Prelato in riſpoſta alla ſopradetta lettera del Dominio temporale &c. an. 1708.

IC. Licèt autem hæc omnia clariſſimis, ac validiſſimis rationibus comprobari, omnibus pateat, Eſtenſes tamen Duces, qui anno MDCXLIII. variis ſcriptis, eorum juſſu editis, Apoſt. Sedis jura in Ferrariam præſertim, atq; Comaclum, poſt XLV. annos ab earum urbium devolutione, convellere cœperunt, nunc quòq; data occaſione, quòd Joſeph Imp. Auguſtus armata militum manu S. Sedi Apoſt. Comacli poſſeſſionem ademerit, alia de prętenſis ipſorum in Ferrariam, atq; Comaclum juribus, ſcripta emiſere, ac ea, quę de novo pro Apoſt. Sede in mediū adducta ſunt, nonuna reſponſione confutarunt. Equidem in hoc ingeniorum conflictu mearum partiū eſſe putavi, ut qualemcumq; operam meam in tuendis ejuſdem juribus, pro mea

erga

erga Apoſtolicam Sedem obſervantia, ac devotione, proque veritatis tuendæ ſtudio, non requiſitus licèt, nec provocatus impenderem; nam & Diogenem ferunt, imminente Corinthi obſidione, dum alii quidem arma appararent, alii muros Civitatis reficerent, alii aliud, quod ad rem pertineret, ſubminiſtrarent, dolium ſuum, quod habitabat, ſurſum, ac deorſum volutare cœpiſſe, ne ſolus inter tot laborantes otioſus feriari videretur.

Lucianus Quomodo Hiſt ſcribenda ſit.

C. Et primò quidem in dubium revocant, an Comaclum ad Italiæ potiùs Regnum, quàm ad Exarchatum pertinuerit. Deindè ignorari ajunt, quænam Pipinus, & Carolus Magnus Eccleſiæ Romanæ donaverint, & quale nam eſſet dominium illud, quod in donatis provinciis Romani Pontifices obtinuerunt: contra, certum eſſe, Pipinum, & Carolum Magnum ſummam poteſtatem in eiſdem provinciis tam ante, quàm poſt reſtitutum Imperium ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſervaſſe, ac liberè exercuiſſe, cunctoſque Theutonicos Imperatores, ipſumque Rodulphum I. ejuſque ſucceſſores, hoc ipſum dominium Imperio conſtanter aſſeruiſſe, itaut Romani Pontifices vicariâ tantummodo Imperatorum poteſtate, abſque ullo ſummo imperio, ditionem ſuam ſemper poſſederint, atque adminiſtraverint; cum Pipini, & Caroli Magni donationes, donec Galliarum Reges extiterunt, invalidæ fuerint, utpotè qui non ſuas, ſed Imperii Græci provincias dono dederint; poſtquam verò Carolus Magnus Imperii dignitatem adeptus fuit, tam ipſe, quàm ejus ſucceſſores non abſolutè ac liberè donaverint, adeòque per eorum donationes ſupremũ dominium in Eccleſiam Romanam nequaquam translatum fuerit. Ex his autem omnibus inferunt, potuiſſe Imperatores juſtis de cauſis donatam dudum Eccleſiæ Romanæ ditionem, vel aliquas ſaltem ejuſdem partes, Summis Pontificibus adimere, & in alios Imperio magis proficuos transferre; ac re vera Comaclum tranſtuliſſe, cum poſt varios Italiæ caſus, ac perturbationes, quæ per plurium ſeculorum curriculum, urbium, provinciarumque dominia, nec diuturna, neque ſtabilia eſſe ſinebant, Comitatum illum Eſtenſibus Principibus in feudum conceſſerint. Negant quoque Summos Pontifices in Vicariatus Ferrarienſis inſtitutione comprehendiſſe Comaclum, aut peculiari inveſtitura illud Eſtenſibus Principibus tradidiſſe, & conſequenter nullam in ejus Comitatum juriſdictionem exercuiſſe; denique, ſi quid juris Apoſtolicæ Sedi in Comaclum ob antiquas Imperatorum donationes competere poſſet, id totum

G præ-

præſcriptione, & multis, quas allegant, Imperatorum inveſtituris, ab anno MCCCLIV. uſque ad hodiernum diem Eſtenſibus Principibus conceſſis, penitus penituſque abolitum fuiſſe contendunt.

CI. Verum enim verò, licet quæ hactenus enarravimus, clara adeo, ac perſpicua ſint, ut ex iis facile unuſquiſque rationes colligere poſſit, quibus argumentationes iſtas abunde refellat, operæ tamen pretium eſſe arbitror fuſiùs oſtendere, Comaclum ſemper Exarchatus Urbem fuiſſe; Exarchatum verò, una cum reliquis Eccleſiaſticæ ditionis Provinciis, ante Occidentalis Imperii reſtitutionem, ab Apoſtolica Sede cum ſumma in omnibus poteſtate fuiſſe poſſeſſum, nec eamdem Sanctam Sedem de poſſione iſtâ deceſſiſſe poſtquam Romani Imperii majeſtatem in Carolo Magno Summi Pontifices renovarunt. Pluribus autem non diſputabo, an Pipinus, & Carolus Magnus, cum Galliæ Reges eſſent, ablatas jure belli Longobardorum Regibus Provincias, juſtè poſſidere, & Romanæ Eccleſiæ donare potuerint; & an ita Romanum Imperium in Francos à Summis Pontificibus translatum fuerit, ut ſumma quoque poteſtas, quam in Orbem Romanum Orientis Auguſti habuerant, ipſis una cum Cæſarea dignitate collata ſit; quippe qui non juris periti, ſed hiſtorici partes acturus, in hanc arenam deſcenderim, & meo quidem judicio ſatis eſſe videatur, quòd Carolus Magnus Imperator factus, ejuſque poſteri in Imperio ſucceſſores ſummam poteſtatem, in donatis Eccleſiæ Romanæ Provinciis dudum adeptam, Romanis Pontificibus reliquerint, atque confirmaverint; quòdque ſub Ottonibus, aliiſque Theutonicis Imperatoribus uſque ad Innocentii III. tempora, licet non pauca adverſus ſummam Apoſtolicæ Sedis poteſtatem in univerſam ditionem ſuam attentata fuerint; tamen ea omnia nil Romanæ Eccleſiæ juribus, ipſa Imperii reſtitutione antiquioribus, officere potuerint; cum quia eorum facta injuſta fuerint, tum etiam quia Summi Pontifices, quo meliori poterant modo, Romanæ Eccleſiæ indemnitati conſulentes, ne ulla præſcriptio adverſus ejuſdem jura induceretur, abundè curaverint. Hoc autem ab eiſdem Pontificibus uſque ad Innocentii III. tempora ſatis ſuperque præſtitum fuiſſe, evidentiſſimis argumentis evincam. Oſtendam quoque Innocentium III. ſummi Imperii jus, nunquam ſub ejus anteceſſoribus extinctum, novâ totius ditionis Eccleſiæ Romanæ poſſeſſione cumulaſſe; & non modo ipſum Innocentium, ſed & Honorium III. ac Nicolaum III. à cunctis Imperii

Prin-

Principibus obtinuiſſe, ut ſummam hanc Apoſtolicæ Sedis poteſtatem legitimam eſſe, nullumque Imperio jus per totam Romanæ Eccleſiæ ditionem competere poſſe confiterentur; adeòque Romanos Pontifices uſque ad hanc diem cum ſumma poteſtate, cunctis ditionis ſuæ Provinciis legitimè, ac pacifice imperaſſe; parique jure Comacli inveſtituram in vicariatus Ferrarienſis inſtitutione Eſtenſibus Principibus dediſſe, antequam Carolus IV. Imperator peculiarem ullam Comacli inveſtituram eiſdem perperam conceſſerit: denique tam per Caroli IV. quàm per aliorum ejus ſucceſſorum inveſtituras, quas ajunt, uſque ad hanc diem Eſtenſibus Principibus dediſſe, nullam præſcriptionem adverſus Apoſtolicæ Sedis jura oriri potuiſſe, cum Romani Pontifices, toto illo tempore, quod à Carolo IV. uſque ad Joſephum Auguſtum feliciter, proſpereque imperantem excurrit, ſummum in Comaclenſem urbem imperium liberè exercuerint.

CII. Comaclum non in Italiæ Regno, ſed in Exarchatu ſemper comprehenſum fuiſſe, fruſtra nonnulli in dubium revocare conantur. Exarchatum autem intelligimus Provinciam illam Ravennæ proximam, cui ipſimet Imperatorum Græcorum Exarchi, ibidem ſedem habentes, jura dabant, licet alioquin eorum poteſtas ad alias Italiæ Provincias longè lateque extenderetur. Præcipua hujus provinciæ loca recenſet Agnellus Presbyter Ravennas in Archiepiſcoporum Ravennatum vitis, ubi de claſſe à Conſtantino Rhinotmeto ad Ravennates puniendos miſſa, loquens, ait, ex *Sarxena*, *Cervia*, *Papia Fluvia*, *Cæſena*, *Popilio*, *Sapis portu*, *Ad nonas*, *Portu Candiani*, *Livienſi urbe*, *Faventia*, *Portu Lacherum*, *&* *Eridani Oſtiis*, *Cornelio*, *Coriandri campis*, *Bononia*, *&* *parte Lionis*, Exarchatus urbibus, atque locis populos in Ravennatum defenſionem convocatos fuiſſe. Hinc enim clarè colligitur, Comaclum inter Eridani oſtia ſitum, ad Exarchatum ſpectaſſe. Pipinum anno DCCLV. viginti Exarchatus, ac Pentapoleos urbes, Aiſtulpho ablatas, Romanæ Eccleſiæ donaſſe, eiſque in pœnam non obſervatæ prioris conventionis adjunctum fuiſſe Comaclum, ex Anaſtaſio Bibliothecario num XI. probavimus, quæ urbs cum ad Pentapolim pertinere non poſſit, Exarchatui, ut idem Anaſtaſius facit, accenſenda venit. Attulimus quoque num. VI. alium præfati Anaſtaſii locum, in quo Ferraria, atque Comaclum Exarchatus urbes eſſe clarè aſſeritur. Adrianus quoque primus Comaclum, atque Gabellum recenſet inter urbes Æmiliæ (hoc enim

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an.1708 pag.21.28. 40. e 41.

nomine Exarchatum appellare amat) ut num. VIII. & XI. oſtenſum eſt. Sed & ſi hæc omnia deeſſent, vel ſolus Exarchatus urbium elenchus, quem Ludovicus Pius in donatione ſua exhibet, ſatis ſuperque demonſtrat, Ferrariam, Comaclum, Adriam, atque Gabellum ad Exarchatum ſpectaſſe. Nullius itaque ponderis argumentum eſt, quod ex antiquis Francorum Annalibus ſumitur, in quibus dicitur, claſſem Græcorum, adversus Pipinum Italiæ Regem miſſam, Comaclum anno DCCCIX. aggreſſam fuiſſe, ubi Pipini militum præſidium habebatur, à quo Græci Venetias recedere coacti fuere; nam Græci Romanorum Pontificum æque, ac Pipini hoſtes erant; huic autem Eccleſiæ Romanæ defendendæ munus à Carolo Magno patre unà cum Italiæ Regno delegatum fuerat, qua ratione Romanis Pontificibus à militia alienis, & rerum Eccleſiaſticarum cura diſtentis, præſto eſſe debebat, præcipuè cum de communi periculo ageretur: & alioquin præſidia tantummodò in alienis urbibus diſponere, pro ſummi imperii, aut dominii argumento nequaquam accipi poteſt. Nihil quòque inde conficitur, quòd Adelbertus Italiæ Rex à Berengario patre deſignatus, Comaclenſibus, ac Ravennatibus, tamquam ſuis populis anno CML. imperaverit; nam hoc etiam argumento probaretur, Ravennam ad Exarchatum, cujus caput eſt, nequaquam pertinuiſſe. Nullus autem ignorat Joannem XII. Imperium Ottoni Germaniæ Regi obtuliſſe, ut Berengarium, & Adelbertum Exarchatu pelleret, eamque Provinciam Romanæ Eccleſiæ reſtitueret, quod & Ottonem Magnum feciſſe vidimus numero XX.

CIII. In ejuſdem Ottonis Magni, & Henrici II. donationibus, quæ, amiſſis Ludovici Pii ſucceſſorum diplomatibus, ſolæ ſuperſunt, Exarchatus urbes iiſdem verbis, quibus in Ludovici Pii donatione, recenſentur, cum diſerta, ſcilicet, Comacli mentione. Rodulphus quoque Imperator in reſtitutione Exarchatus, Nicolao III. & Eccleſiæ Romanæ facta, cunctas ejuſdem urbes eo pacto expreſſit, quo in Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. donationibus obſervatum fuerat, ejuſque reſtitutionem Imperii Electores confirmarunt, ad ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium ſpectare affirmantes Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forum Pompilii, Forolivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montem Feretri, Territorium

Balnen-

Balnenſe, Comitatum Brittenorii, Exarchatum Ravennæ, atque Pentapolim, ut fuſiùs in antecedentibus demonſtravimus: futile autem eſt dicere, eos hac enumerandi ratione Ferrariam, Comaclum,& Adriam ab Exarchatu Ravennæ ſegregaſſe,quià nimirum, poſt recenſitas ſingulas ejus regionis urbes ſubdunt,*Exarchatum, atque Pentapolim*;nulla enim potior ratio eſt,cur ita de Ferraria, Comaclo, atque Adria, & non de cæteris aliis unâ cum Comaclo memoratis urbibus cenſendum ſit; ſi autem ita cenſeas, Exarchatus nudum,ſine ullis urbibus,Provinciæ nomen remanet. Fruſtra etiam ad id comprobandum adducitur Jordanis locus in Chronicis, ac ſi auctor iſte, una cum Ptolemæo Lucenſi in Hiſt. Eccleſiaſtica adhuc inedita, Comaclum, aliaſque Romandiolæ urbes, imò ipſam Romandiolam,diverſam tunc ab Exarchatu Provinciã fuiſſe cenſuerit,cum ait, *Ab hoc Rodulpho,Nicolaus Papa III. requiſivit, ut Romandiolam reſignaret,& Exarchatum Ravennæ;qui à Comitatu diſtinguebatur,& antiquitus Ravennæ erat Senator,ſicut Romæ,& dictas Communitates gubernabat, inter quas erat Bononia, ut per Ludovicum I. ſcribitur Paſchali Papæ I. Hanc regionem per Carolum datam,& recuperatam per Gregorium X. nunc,iſto repetente,mandat Rodulphus omnibus Nobilibus terræ,& populis dictæ regionis, ut Eccleſię Romanæ obediant,& dictum dominium ad Romanam Eccleſiam aſſerit pertinere, et ſic Papa poſſeſſionem obtinuit.* Jordanes enim tantum ait, ſuis & Rodulphi Regis temporibus, Exarchatum Ravennæ ab ejuſdem Urbis Comitatu longè diverſum fuiſſe, cum olim Ravenna univerſo Exarchatui imperaſſet, tunc verò ſoli ſuo Comitatui, nec ſatis amplo, jura daret. Nec omittendum eſt, Ludovicum Cardinalem Camerarium ſub Martino V. viſis Apoſtolicæ Cameræ libris,atque tabulariis,Comaclum in Exarchatu comprehendi declaraſſe,datis Florentiæ die III. Aug. anno MCCCCXIX. literis ſuis ad Collectorem jurium Cameræ Apoſtolicæ per Exarchatum Ravennatem, de Provinciæ ſibi commiſſæ limitibus dubitantem.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an 1708 pag. 40. e 41.

Martin. V. lib. 2. Diverſ. fol. 133.

CIV. Comaclum pro Exarchatus,non autem pro Italiæ Regni urbe,ſemper habitum fuiſſe vidimus. Exarchatum verò Apoſtolicæ Sedi donatum fuiſſe, Summoſque Pontifices ejuſdem poſſeſſionem obtinuiſſe, initio Diſſertationis noſtræ validiſſimis argumentis demonſtravimus; ex quibus etiam lucidè apparet, quàm abſurdum ſit opinari, Carolum Magnum, non Romanæ Eccleſiæ, ſed Ravennatibus Archiepiſcopis Exarchatum conceſſiſſe. Leo

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 14. e 15.

 enim

enim Archiepiſcopus, qui hoc ipſum tàm de Exarchatu, quàm de Pentapoli effutire auſus fuit, rebellionis accuſatur ab Adriano I. in literis, quas Carolo Magno adversùs eumdem ſcripſit, ut videre eſt num. VIII. & IX. Idem quoque Pontifex in eiſdem literis, qualenā fuerit Sedis Apoſtolicæ dominium in Exarchatum, atque Pentapolim tàm ſuis, quàm Stephani III. temporibus, clarè teſtatur; caſtigatam autem fuiſſe à Carolo Magno Leonis petulantiam, vel indè conſtat, quòd Joannes, & Gratioſus Leonis ſucceſſores Apoſtolicæ Sedi fideles extiterint: quòd Carolus Magnus marmora antiqui palatii Ravennatis ab Adriano I. non ab Archiepiſcopis poſtulaverit, & quòd ſubſequentibus proximè temporibus utraq; Provincia in Apoſtolicæ Sedis poteſtate remanſerit, ut num. X. & XI. probavimus. Supereſt itaque, ut videamus, an Pipinus, & Carolus Magnus ſummum imperium ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſervaverint in Provinciis illis, quas Romanæ Eccleſiæ dono dederunt. Antequam autem de hac quæſtione diſſeramus, opportunum mihi videtur, ſcrupulos ac dubitationes omnes è medio tollere, quæ circa memoratas Pipini, & Caroli Magni donationes ab iis injectæ ſunt, qui pro Eſtenſibus Principibus recens ſcripſere.

Codex Carol. epiſt. 67.

CV. Stephanus III. cum Romana Urbs, ac Provincia, cujus populi Gregorio III. & Zachariæ anteceſſoribus ſuis fidelitatem ſubjectionemque juraverant, Longobardorum armis opprimeretur, in Gallias properavit, ut à Pipino Rege opem auxiliumque conſequeretur. Actum ea de re in duobus totius Galliæ conventibus apud Brennacum, & Cariſiacum anno DCCLIV. in quibus Caroli Magni, & Carolomanni ejuſdem Pipini filiorum, ac omnium Galliæ Procerum aſſenſu, perpetuum fœdus inter Apoſtolicam Sedē, & Galliæ Regnum ictum fuit, promiſſaque inſuper adversùs Aiſtulphum Longobardorum Regem auxilia. Meminit diſertè hujus fœderis præter Stephanum III. & Stephanum IV. Paulus I. in variis Codicis Carolini epiſtolis, præſertim in epiſt. XXVI. ad Pipinum Regem, his verbis, *Deum Cœli teſtem proferentes, in ea nos charitatis dilectione, quam cum Sanctæ recordationis Domno, et germano noſtro Beatiſſimo Stephano Papa, et per eum cum omnibus ſucceſſoribus Pontificibus, vos, veſtræque ſoboles, et cuncta veſtra proles, atque univerſum Regnum Francorum uſque in finem ſæculi conſervare ſpopondiſtis, et nos etiam, atque noſtros ſucceſſores Pontifices confitemur eſſe permanſuros pro exaltatione Sanctæ Dei Eccleſiæ*

Annal. Metten. Continuatio Fredegarii. Annal. Bertiniani, & Fuldenſes. Regin. Chron lib. 2. Anaſt Bibl in Stephano III.

Cod. Carolin. ep. 6. 7. 8. 9. 19. 32. & 45.

cleſiæ, et fidei Orthodoxæ defenſione; nulla nos rerum qualitas ab eâdem charitatis confirmatione potens poterit ſeparare. De eo quòque fœdere loquitur Anaſtaſius in Adriano I. cujus verba numero VII. attulimus, ex quibus lucidè conſtat, conventum apud Cariſiacum fuiſſe inter Stephanum III. & Pipinum, ejuſque Filios, & totam Francorum Nationem, ut potiſſima Italiæ pars, quæ tunc à Longobardorum gente occupabatur B. Petro in perpetuum donaretur, *Ideſt, à Lunis cum Inſula Corſica, deinde in Suriano, deindè in Monte Bardone, indè in Verceto, deindè in Parma, deindè in Regio, et exindè in Mantua, atque Monte Silicis, ſimulque et univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiarum, et Hiſtriam, necnon, et cunctum Ducatum Spoletinum, et Beneuentanum.*

CVI. Pipinus præterea, unâ cum Carolo Magno, & Carolomanno ejus filiis, Deo, ac B. Petro ſolemni voto promiſit, dono in perpetuum dare Eccl. Romanæ totam illam Italiæ partem, quæ à memoratis confinibus uſque ad fretum Siculum protenditur, exceptâ Calabria, ac Neapolis, Amalphis, & Cajetæ Territoriis, quæ, cæteris omnibus Provinciis à Longobardorum gente occupatis, ſolæ Orientis Imperio ſupererant. Veriſimile etiam eſt, Carolum, ſtatim, atque Imperator factus fuit, Corſicam, Sardiniam, atque Siciliam, licèt hanc nunquam poſſederit, aliis dudum à ſe donatis Provinciis adjeciſſe; non enim aſſentior Petro de Marca, id potiùs à Ludovico Pio factum fuiſſe opinanti. Pipinus XX. tantùm Exarchatus, & Pentapoleos urbes Aiſtulpho Longobardorum Regi ademptas, edito novo, & peculiari earumdem donationis diplomate, Eccl. Romanæ actu tradidit. Carolus verò Magnus non modo in poſſeſſionem reliquæ partis earumdem Provinciarum Romanos Pontifices miſit; ſed & Sabinæ, ad Spoletanum Ducatum ſpectantis, & Caſtelli Felicitatis, Urbis veteris, Balneoregii, Viterbii, Marthæ, Tuſcanæ, Populonii, Suanæ, ac Roſellarum Tuſciæ Longobardorum urbium poſſeſſionem diverſis temporibus Roman. Pontificibus dedit. Addidit etiam Soram, Arcem, Arpinum, Aquinum, Theanum, & Capuam, in Campania ſitas urbes, necnon Corſicam, & Sardiniam, licet in earundem urbium, atq; Inſularum poſſeſſione brevi temporis intervallo permanſerint. Nonnulla autem circa haſce Pipini, & Caroli Magni donationes obſervanda veniunt, & primo quidem non deeſſe Virum Doctiſſimum, qui pluribus oſtendat, ob eam curam, quam poſtulantibus Italiæ populis

Marca de Concord. lib. 3. cap. 11. n. 6.

Thomaſin. de Benef. part. 3. lib. 1. cap. 29.

lis,Rom. Pontifices pro eorum defenſione adverſùs Longobardos ſuſceperant, factum fuiſſe, ut Pipinus propria Apoſtolicæ Sedis reſtituerit, ac præterea Summos Pontifices ab ea die, qua votum Deo, & B.Petro Pipinus emiſit, Provinciarum illarum, à Longobardis nondum receptarum, rationem habuiſſe, ac ſi Eccleſia Romana earumdem poſſeſſionem jam adepta eſſet;adeo ut cum Pipinus, & Carolus Magnus ſuum ex parte votum ſolverent,non dare, vel donare B.Petro, ſed reſtituere dicerentur. Deinde obſervandum eſt eoſdem Pontifices, quotieſcunque nova donatio à Caroli Magni ſucceſſoribus facienda erat, conſueviſſe per ducentos, & ampliùs annos, non eorum tantummodò,quę poſſidebant,ſed cunctorum, quæ Pipinus, & Carolus Magnus B. Petro ſe tradituros fore promiſerant,confirmationem expoſcere, eâ ſpe, ut quæ iidem plenè præſtare non potuerant, ab eorum ſucceſſoribus aliquando adimplerentur; necnon ut pręſcriptionem omnem occupatorum locorum de medio tollerent, ac etiam, ut tàm inſignis munificentiæ memoriam apud poſteros propagarent. Denique non pro novis donationibus habuiſſe, quæ à Ludovico Pio, aliiſque Imperatoribus poſtmodum factæ fuerunt, ſed pro confirmationibus primæ donationis à Pipino,& Carolo Magno factæ,& propterea tàm Ludovici Pii, quàm Ottonum, & Henrici II. donationes *Pactum confirmationis* nuncupatas fuiſſe. Hinc autem factum eſt, ut in eorundem Ludovici Pii,Ottonis Magni,& Henrici II. privilegiis non pauca Eccleſiæ Romanæ confirmari legamus, quæ nec in eorundem Imperatorum poteſtate erant, neque à Romanis Pontificibus poſſidebantur: quamobrem malè opinari dicendi ſunt,qui memoratas donationes effectu quoad omnia caruiſſe, vel modicam ſaltem poteſtatem in illis, quæ poſſidebat, Romanam Eccleſiam habuiſſe, eâ ratione putant, quia nullam in aliis donatis quidem, ſed nondum ab ipſa poſſeſſis, obtinebat; vidimus enim num.IV. VIII.& IX. Stephanum III.& Adrianum I. ad ſingulas Exarchatus, & Pentapoleos Civitates, ut de aliis Provinciis ſileamus, Gubernatores ab Urbe miſiſſe, & interdum Cardinalem Legatum, unâ cum primariæ nobilitatis viro, ad reddendum jus univerſæ Provinciæ, & ad coërcendam potentiorum audaciam, Ravennæ manere voluiſſe, quæ ſanè omnia, donationes illas non ſpecie tenus, ſed re ipſa, factas fuiſſe, ac vim, & effectum habuiſſe, ſummumque per eaſdem imperium Romanis Pontificibus collatum, confirmatumque fuiſſe, demonſtrant.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an.1708 pag.6. e ſeguenti, e pag. 19.

Sed

CVII. Sed & in eo potiſſimum ipſos errare conſtat, quòd Ludovici Pii conſtitutionem de privilegiis Eccleſiæ Romanæ conceſſis, ſuppoſitionis atque falſitatis accuſent. Ejus quippe diſertam mentionem facit Eginardus in Annalibus, ſic de Paſchali I. ſcribens, *Poſt completam ſolemniter ordinationem ſuam, & munera, & excuſatoriam Imperatori miſit epiſtolam, in qua ſibi non ſolùm nolenti, ſed etiam plurimùm renitenti, Pontificatus honorem, velut impoſitum aſſeverat. Miſſa tamen alia legatione, pactum, quod cum prędeceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſecum fieri, ac firmari rogavit. Hanc legationem Theodorus Nomenclator & detulit, & ea, quæ petierat, impetravit.* Aſtronomus quoque in Ludovici Pii vita refert, Paſchalem I. miſiſſe in Gallias Theodorum Nomenclatorem, ut perpetui fœderis, à Pipino, & Carolo Magno cum Apoſtolica Sede ſanciti, confirmationem expoſceret; *Qui*, ut idem auctor ſubdit, *negotio peracto, & petitis impetratis, ſuper confirmatione, ſcilicet, pacti, & amicitię more prædeceſſorum ſuorum, reverſus eſt.* Theodorus iſte Nomenclator, ille ipſe eſt, cui Ludovicus Pius diploma, de quo agimus, Paſchali deferendum tradidit, ut in poſtrema ejus parte dicitur. Meminit quòque privilegii hujus Auctor pervetuſtus Chronici Monaſterii Sancti Vincentii ad fontes Vulturni, qui narrationem ſuam ex antiquo Eccleſiæ Romanæ Pontificali deſumpſit, cum ait, *Pontifex Paſchalis ejuſdem magnifici Patris Joſue, ita ſibi familiariſſimi, amico ſæpè utebatur conſilio, & Romanę Eccleſię neceſſariis rebus adjutorio, ut cum à ſupradicto Imperatore Ludovico pactum confirmationis acciperet, ſicuti in Pontificali ejuſdem Eccleſię Romanæ ſcriptum reperi, inter reliquos Francię Abbates eum adeſſe pro parte Sedis Apoſtolicæ voluiſſet.* Idem auctor initio Chronici de Paſchale I. ſic ait. *Iſte Eccleſiam Chriſti Martyris Vincentii dedicavit, quam Abbas Joſue fecit, & confirmationis pactum à Ludovico Imperatore accepit.* . . . . . .

Eginard. Annal. in tom 2. Duchesn. pag. 261. Aſtron. in vita Ludovici Pii Ibid. pag. 297.

Chron. Monaſt. S. Vincent. lib. 3. Duchesſ. pag. 686.

Ibid. pag. 672.

CVIII. Privilegii ejuſdem authenticum diploma præ manibus habuiſſe Leonem Oſtienſem ex hiſce ejuſdem verbis colligitur, *Hic Ludovicus pactum conſtitutionis, & confirmationis fecit Beato Petro, ejuſque Vicario Domino Paſchali ad inſtar parentum ſuorum Pipini, & Caroli, & propriæ manûs ſignaculo, ac trium filiorum ſuorum illud corroborans, decem Epiſcopos, & octo Abbates, & Comites* xv. *Bibliothecarium, Manſionarium, & Oſtia-*

Leo Oſtien. Chrō. Caſinen. lib. 1. cap. 18.

Oſtiarium unum in illo ſubſcribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Eccleſię Theodorum Nomenclatorem Domno Paſchali Papę tranſmiſit. Similia habet laudatus Chronici Vincentini auctor lib. II. ubi ait. *Tunc quoque Beatiſſimo Papę Paſchali pactum conſtitutionis, & confirmationis faciens, etiam proprię manûs, & trium filiorum ſuorum ſignaculo illud corroborans, per Legatum Sanctę Romanę Eccleſię Theodorum Nomenclatorem prędicto Papæ tranſmiſit, in quo decem Epiſcopos, octo Abbates, Comites quindecim, Bibliothecarium, Manſionarium, & Oſtiarium ſubſcribere fecit.* Ad hanc etiam Ludovici Pii donationem reſpectum habuit Joannes VIII. cum anno DCCCLXXVII. in Concilio Romano Carolum Calvum in Imperatorem electurus, ejuſdem Ludovici Pii in Apoſtolicam Sedem merita commemoravit his verbis, *Ludovicus Maximus Imperator, pater hujus à Deo electi Principis Caroli ſemper Auguſti, patrium ſolium adeò religione imitatus, pietate laudabiliter æmulatus eſt, ut & paterna Divini cultus vota, & erga prælatam principalem Eccleſiam liberalitatis inſignia, pius natus æquipararet, & roboraret; ſed & uberioribus beneficiis, & dapſilibus munificentiis, ut hæres gratiſſimus, ampliaret.* Idem quoque Pontifex Caroli Calvi, & Ludovici Germaniæ Regis ejus fratris filios, & Ludovici Pii nepotes alloquens, meminit pacti, quod avi, & patres eorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ jurejurando promiſerunt; & in alia epiſtola ad Carolum Craſſum, memorati Ludovici Germaniæ Regis filium, allegat pacta, & privilegia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ab ejus parentibus conceſſa. Conſtat itaque Ludovicum Pium Pipini, atque Caroli Magni donationes ſuo diplomate confirmaſſe, quod aliud eſſe non poteſt, quàm illud, de quo agimus, cum in tot antiquis codicibus integrum inveniatur, ejus verò partem Ivo Carnotenſis, Gratianus, & Cardinalis Deuſdedit in ſuas Canonum collectiones retulerint.

Chron. S. Vincent. tom. 3. Du cheſn. pag. 681.

Tom. 9. Concil. Lab. col. 296.

Joan. VIII. ep. 119. & 216.

Ivo Carnot. Dec. par 5. c. 51 Grat. cap. Ego Ludov. cus. diſt. 63. Deuſdedit Collect. Can. ms. in Biblioth. Vat.

CIX. Nil autem Pagii cavillationibus adverſus hocce Ludovici Pii privilegium conficitur; nam ſi ea ratione, quòd ejus non meminerint Otto Magnus, & Henricus II. in eorum donationibus, pro fictitio habendum eſſet, pari ratione dici deberet, Lotharium, Ludovicum II. Carolum Calvum, alioſque Ottonis Magni prædeceſſores, nullas pro Romana Eccleſia donationes edidiſſe, quod neutiquam dici poſſe, ex allegatis Joannis VIII. epiſtolis abundè colligitur. Præterea, tam Otto, quàm Henricus ipſum

ipſum Ludovici Pii privilegium, paucis additis, approbant, in quo tantum Pipini, & Caroli Magni donationes recenſentur; non ingerenda itaque ab Ottone Magno erat Ludovici Pii, ejuſque ſucceſſorum ulla mentio, ubi de confirmandis Pipini, & Caroli Magni donationibus tantummodo agebatur. Nec Henrici II. propoſitum erat cunctas anteceſſorum ſuorum donationes, quæ multæ fuerant, ſed primam tantummodo Caroli Magni, & poſtremas trium Ottonum enumerare. Quòd autem Ludovicus Eccleſiæ Romanæ largiatur Siciliam, cujus poſſeſſionem nunquam nactus fuit, nil mirum; nam & in minimè dubiis Pipini, atque Caroli Magni donationibus, ab Anaſtaſio Bibliothecario memoratis, multa ab ipſis non poſſeſſa, Romanæ Eccleſiæ donata fuiſſe vidimus, quia nimirum cuncta complectebantur, quæ tunc actu tradebant, & quæ ſe tradituros fore, cum in eorum poteſtatem veniſſent, Stephano III. & Adriano I. polliciti fuerant. Denique addit Pagius, fieri non poſſe, ut Ludovicus Pius electum Pontificem liberè conſecrari permiſerit, quemadmodum in ejus diplomate legitur, cum ſub Eugenio II. ſecus ſtatutum fuerit, vivente ipſo Ludovico Pio: quàm futilis autem, ac inepta ſit iſta objectio nemo non videt; ſiquidem Ludovicii Pii diploma datum fuit ſub Paſchale I. anno DCCCXVII. Eugenii autem conſtitutio facta fuit anno DCCCXXIV. per poſteriora autem prioribus derogari poſſe, nemo, ut arbitror, inficias iverit. *Anaſt. Biblioth. in Adr. I. pag. 156.*

CX. Porrò ex hac Ludovici Pii conſtitutione clarè colligitur Pipinum, & Carolum Magnum nullam in donatis Eccleſiæ Romanæ provinciis poteſtatem retinuiſſe, cum nec Ludovicus id ab ipſis factum fuiſſe dicat, nec tale quidpiam in donatione ſua, ut infra videbimus, ſibi reſervaverit. Hoc autem clariſſimè evincitur auctoritate illarum Carolini Codicis epiſtolarum, quæ adverſus ſummum Apoſtolicæ Sedis Imperium in Exarchatus, ac Pentapoleos provincias allegant, licet ex ipſis aſſertionis noſtræ veritas eluceſcat. Eleutherius quidam, atque Gregorius, cum iniqua, ac nefaria multa Ravennæ perpetraſſent, certique eſſent Adrianum I. eorum ſcelera ulturum fore, ad Carolum Magnum confugerant. Adrianus itaque juſtitiæ zelo ſuccenſus Carolum monuit, ut ipſos Romam unâ cum ſuis Legatis mitteret, ac in poſterum à ſimilibus hominibus excipiendis abſtineret. *Qua propter,* ait Pontifex, *poſcentes quæſumus &c. illorum procacitati veſter præfulgidus aſpectus, & hilaris minimè manifeſtetur. Neque recipere* *Cod. Carolin. epiſt. 75.*

cipere

cipere ipſos nefandos vultu digniſſimo dignemini, ſed tanquam inimicos Beati Petri, & veſtros exiſtentes, eorum ſuperbam gloriationem reſpuentes, ad nos dehoneſtati per fideliſſimos miſſos veſtros humiles veniant, ut omnia, quæ fati ſumus, eorum comprobemus præſentia; quatenus, qui agunt talia iniqua, atque perverſa, per eos emendentur, & illibata oblatio, quæ à Sanctæ recordationis genitore veſtro Domno Pippino Magno Rege allata, & veſtris præfulgidis Regalibus manibus in confeſſione Beati Petri Clavigeri Regni Cœlorum oblata, atque, nimirum confirmata ſunt, inconcuſſa, & immaculata in æternum permaneant, ut ante tribunal Chriſti ipſe protector veſter Beatus Petrus Apoſtolus dignus retributor vobis appareat. Nemo profecto ſibi perſuaſerit, Adrianum ita ad Carolum Magnum ſcribere potuiſſe, ni Pipinus, & ipſe Carolus ſummum quoque imperium per Exarchatum, atque Pentapolim Eccleſiæ Romanæ conceſſiſſet.

CXI. Miſiſſe Romam Carolum Regem unâ cum legatis ſuis, uti Adrianus poſtulaverat, memoratos Eleutherium, & Gregorium, vel alios ejuſdem farinæ homines ad ipſum confugientes, conſtat ex alia epiſtola, quam Carolo Magno ſcripſit Adrianus, poſtquam ejus Legati cum reis illis Romam advenerant. In ea epiſtola Pontifex Caroli Magni pietatem laudat his verbis, *Reperimus quippe in ipſis Regalibus apicibus veſtris nil pro diminutione Sanctæ Romanæ Eccleſię, ac Apoſtolatus noſtri, ſed magis pro exaltatione, & honore, miniſteriique noſtri ſervanda rectitudine veſtram illaborare Excellentiam, ac petere, ut nullatenus iniquo ori ad ejus mendacium pręberemus aſſenſum, quia nec terrenarum facultatum ambitio, vel quęlibet ſeductio hominum vos aliquando ab iis, quæ Beato Petro Apoſtolo polliciti eſtis, ſeparare poterit, ſed neque à noſtra charitate, vel firma dilectione.* Et paulò poſt, *Potiùs autem nos quæſumus veſtram Regalem excellentiam, ut nullatenus ſubdolo, & homini mendaci, ſicut fertis, præbeatis aſſenſum, qui ſi talia adverſus nos mentiens inventus fuerit, noſtris Apoſtolicis obtutibus unâ cum miſſo veſtro dirigere dignemini: & ſi mendax apparuerit, ſecundùm ſua perverſa merita puniatur, ſicut polliciti eſtis claviculario Regni Cœlorum Beato Petro.* Quis autem credat Carolum Magnum, ſi ſummum in Exarchatum imperium ſibi reſervaſſet, talia reſcripiſſe Pontifici, immeritò poſtulanti, ut Romam eos mitteret, qui jure ad ipſum confugiſsent.

CXII. In ſequentibus Pontifex de eiſdem hominibus conque-

ritur,

ritur, quòd Romæ coram ipſis Miſſis ſuperbè ſe geſſiſſent, cum potiùs veniam humiliter deprecari deberent: Carolum inſuper monet, ne in poſterum tales homines excipiat. *Interea*, ait Pontifex, *reperimus in ipſis regalibus apicibus veſtris exaratum, ſicut præterito anno vobis direximus, pro hominibus Ravennatibus, Pentapolenſibus, de quibus ſcripſimus, at eos nobis dirigeretis, ſicut Beneventano Duci feciſtis: & ut fertis, de parte Apoſtolatûs noſtrì, nihil mali, ſed magis, quæ bona ſunt, retulerunt. Sed neque eis, neque cuilibet homini ullatenus in noſtra adverſitate præberetis conſenſum, ſed ſtatim, ſi tales reperiſſetis, & hominem, & cauſam ad noſtrum judicium mitteretis &c. Ipſi verò Ravenniani, & Pentapolenſes, cæteriq; homines, qui ſine noſtra abſolutione ad vos veniunt, faſtu ſuperbiæ elati, noſtra ad juſtitias faciendas contemnunt mandata, & nullam ditionem, ſicut à vobis B. Petro Apoſt. & nobis conceſſa eſt, tribuere dignantur. Tamen fideliſſimi veſtri præfati Miſſi viderunt ipſos Ravennianos, quos vobis præſentaverunt, qualiter nobis in ſuperbia extiterunt. Sed quæſumus veſtram regalem potentiam, nullam novitatem in holocauſtum, quod B. Petro ſanctæ recordationis genitor veſter obtulit, & veſtra Excellentia ampliùs confirmavit, imponere ſatagat, quia ut fati eſtis, honor Patritiatus veſtri à nobis irrefragabiliter conſervatur, etiam & plus ampliùs honorificè honoratur; ſimili modo ipſe Patritiatus B. Petri fautoris veſtri, tam à ſanctæ recordationis D. Pipino Magno Rege genitore veſtro, in ſcriptis in integro conceſſus, & à vobis ampliùs confirmatus, irrefragabili jure permaneat. Sicut enim veſtra regalis Excellentia in ſuis tulit apicibus, minimè ei contrarium videretur, quicumq; de Epiſcopis, aut Comitibus, ſeu cæteris hominibus, partibus veſtris, aut noſtra juſſione complendi, ſive propria voluntate, ad nos venire voluerint; ſed nec noſtræ paternitati diſplicere rectũ eſt, qualiſcumq; ex noſtris, aut pro ſalutationis cauſa, aut quærendi juſtitiam, ad vos properaverit, nihil durius vobis exindè apparet. Sed ſicut veſtri homines ſine veſtra abſolutione ad limina Apoſtolorum, neque ad nos conjungunt, ita & noſtri homines, qui ad vos venire cupiunt, cum noſtra abſolutione, & epiſtola veniant: quia ſicut nos ſemper, veſtros homines ſuſcipientes, commonemus, ut in vera fide, atque puritate cordis, totis eorum viribus, in veſtro maneant ſervitio; ita & vos ſimili modo, quicumque ex noſtris hominibus ad vos venerint, eos omnino obteſtari, atque commonere veſtram regalem prudentiam quæſumus, ut ſicut genitor veſter ſanctæ recordationis D. Pipinus Magnus Rex, eos B. Petro, ejuſque Vicario conceſſit, &* Cod. Carolin. ep. 85.

veſtra demum Excellentia confirmavit, ſic admonere, atque obteſtari jubeamini, ut nullo modo audeant ſe in ſuperbiam elationis efferre, quando ad vos properaverunt, ſed potius ſubjecti atque humiles in ſervitio B. Petri, & noſtræ præceptionis maneant ſubjecti &c. qui ſi tales non reperti fuerunt, à veſtra Excellentia, ſimulque à nobis maneant correpti.

CXIII. Ex hiſce Adriani verbis apparet, nil juris Pipino, & Carolo Magno reſiduum fuiſſe in donatis B. Petro Provinciis; ſiquidem fieri nequit, Adrianum Carolo Magno pro aſſerendo ſummo earundem imperio ſcribentem, de proprio illius facto ſecus, ac reverâ eſſet, locutum fuiſſe. Carolus etiam reponere potuiſſet, vetandum ſibi non fuiſſe, quominus confugientes è Pentapoli, atque Exarchatu, ſupremi dominii jure exciperet, deque eorumdem querelis judicium ferret. Negaſſet etiam, eas provincias ita donatas fuiſſe, ut nulla in ipſis poteſtas ſibi ſupereſſet. Neutrum à Carolo factum fuit; ſed pro receptis Ravennatibus, atque Pentapolitanis Pontifici ſatisfaciens, eoſdem Romam miſit, & in fide B. Petro, ac Pontificibus promiſſa, conſtantem ſe fore pollicitus fuit. Allegat autem Pontifex Beneventani Ducis exemplum, ut multo magis ſibi, qui nemini ſubjiciebatur, obſequēdum à Carolo eſſe oſtenderet, qui erga ſubjectum Principem in pari negotio liberaliter adeo ſe geſſerat. Præterea obſervandum, confugia iſta à Galliæ Regum ſubditis adeò tunc uſitata fuiſſe, ut Carolus Magnus, ac Ludovicus Pius in Regnorum diviſione ſtatuerint, ut nemo ſuorum filiorum *hominem fratris ſui pro quibuslibet cauſis, ſive culpis ad ſe confugientem ſuſcipiat, ad interceſſionem pro eo faciendam, quia volumus,* inquiunt, *ut quilibet homo peccans, & interceſſione indigens, intra Regnum domini ſui, vel ad loca ſancta, vel ad honoratos homines confugiat, & inde juſtam interceſſionem mercatur.* Confugia enim iſta eadē eſſe patet, ac illa de quibus agimus. Nullus autem rectè putaverit, Carolū, & Ludovicū Regna inter filios ita diviſiſſe, ut alter in alterum ſummæ poteſtatis juribus potiretur. Itaque ſicut nec illi in fratrū regnis; ita neq; Carolus in Eccl. Romanæ ditione poteſtatē ullā per eam confugientiū ſuſceptionem exercuerunt. Cæterū Morinus ſcitè obſervavit, Holocauſtū ab Adriano vocari Pipini, & Caroli Magni donationes, quod ſibi nil poteſtatis in dono datis Provinciis reſervaverint; nam hoc ſenſu vocem illam adhibuiſſe Adrianum, ex ejus verbis liquidò conſtat. Nec abſurdè alia Adriani verba Morinus attulit, quibus Pontifex ait, Deum per Carolum Magnum

Duchesn. hiſt. Franc. ſcript. tom. 2. pag. 327. Vide Hincmari opera in 4. pa. 396.

Oſſervationi ſopra la lettera intitolat. il dominio ſupremo del Papa an. 1708. p. 12.

Morin. Grandeur temporelle de l' Egliſe pa. 646.

omnia

omnia Sanctæ ſuæ Eccleſiæ Beatiſſimorum Apoſtolorum Principis Petri largiri dignatum fuiſſe; nam ita de Caroli donationibus abſque abſoluti dominii conceſſione, quę potior earumdem pars erat, nequaquam Pontifex locutus fuiſſet. Addo alterius epiſtolę Adriani locum, in qua Carolo Magno poſt debellatum Deſiderium Longobardorum Regem ſcribens, conqueritur, quòd, *Ea, quæ poteſtativè temporibus Longobardorum detinentes, ordinare, ac diſponere videbatur*, Exarchatum, ſcilicet, atque Pentapolim, à Leone Archiepiſcopo Ravennate occupata fuiſſent. Adverbio ſiquidem illo, ad deſignandum ſupremum dominium ſummamque poteſtatem, Scriptores ejuſdem, ac proximi ævi utuntur, ut videre eſt apud Luitprandum in Hiſtoria ſuæ Legationis ad Orientis Imperatorem, in qua ait, Longobardorum Reges *Poteſtativè* Italiam poſsediſse. Codex Carolin. ep. 54. Luitprand. apud Baron. tom. 10. pag. 796.

CXIV. Facta ab Adriano Patritiatus mentio nos admonet, ut inde quòque ſupremum dominium in Exarchatum, atque Pentapolim à Pipino, & Carolo Magno Apoſtolicę Sedi collatum fuiſſe, aſtruamus. Vacante poſt Gratioſi Archiepiſcopi obitum Eccleſia Ravennate, voluit Carolus Magnus Regios miſsos Ravennam ablegare, qui novi Antiſtitis electioni intereſsent, de quę ea re commonitorium dedit Ermenberto Presbytero, ut illud Adriano redderet. Id autem facultatis ſola Patritiatûs ratione ſibi arrogaſse Carolum Magnum, ex ejuſdem Adriani literis clarè colligitur, in quibus Carolum alloquens, ait. *Sicut in commonitorio illo referebatur, pro honore veſtri Patritiatus nullus homo eſſe videtur in mundo, qui plus pro veſtræ Regalis Excellentiæ decertare moliatur exaltatione, quàm noſtra Apoſtolica aſſidua deprecatio*. Caroli poſtulata rejecit Adrianus, nec Pipinum, inquiens, neque ipſum Carolum, licet Romanorum Patritii eſsent, auctoritatem ullam in aliis Ravennatum Archiepiſcoporum electionibus ſibi vindicaſse; nam quòd Hucbaldus pro aliis negotiis à Carolo Magno Romam miſsus, novi Antiſtitis electioni interfuiſset, nullum inde jus eidem Carolo oriri poſse dicebat, cum Stephani IV. tantùm juſsu Hucbaldus Ravennam iverit, ut impios Deſiderii Longobardorum Regis conatus infringeret, qui Michaëlium quemdam, ſibi addictum, in Ravennatem Eccleſiam intrudere tentabat, quò faciliùs Romanæ Eccleſiæ Exarchatum, atque Pentapolim auferre poſset. Atqui alia Patritiatus, alia reſervati dominii ratio eſt; hoc enim Carolus Magnus jure ſuo repetere po- Codex Carolin. ep. 71.

terat, nec ad id obtinendum ulla Pontificum conceſſione indigebat; Patritiatus verò dignitas à Pontificum largitate profluxerat, adeòut Carolus ipſe Magnus Leonem III. recens electum rogaverit, ut ſibi Patritiatus dignitatem confirmaret; quod utique de Exarchatu ſaltem ſupervacaneum fuiſset, ſi ſupremum illius Provinciæ dominium, tam penès ſe, quàm penès Pipinum remanſiſset. Cum autem Patritiatus, non autem ſummi dominii prætextu Ravennatum Archiepiſcoporum Electionibus præſidere Carolus Magnus tentaverit, de reſervato in eaſdem Provincias dominio, ne quidem cogitaſse lucidè apparet.

CXV. Fruſtra etiam ad aſserendum Carolo Magno ſupremum in Exarchatum imperium Leonis Archiepiſcopi Ravennatis rebellio adducitur, de qua num. VIII. & IX. egimus, ac ſi Carolus Magnus inter Adrianum primum Summum Pontificem, & eundem Leonem de Exarchatus dominio contendentes, tamquam ſupremus Exarchatus, ac Pentapoleos Dominus judicaſſet. Leo Archiepiſcopus, quem Stephanus IV. expulſo Caroli Magni Miſſorum ope, atque auctoritate Michaëlio invaſore, Eccleſiæ Ravennati præfecerat, Exarchatum, atque Pentapolim vicaria Summi Pontificis poteſtate gubernavit, donec expugnata Papia, & Deſiderio Rege in captivitatem adducto, Carolus Magnus Longobardorum Regnum delevit; *Ex tunc*, ut ait Adrianus primus, eidem adverſus Leonem ſcribens, *tyrannico, atque procaciſſimo intuitu rebellis Beato Petro, & nobis extitit, & in ſua poteſtate diverſas Civitates Æmiliæ detinere videtur, ſcilicet, Fauentiam, Forum populi, forum Livii, Cæſinas, Bobium,* COMIACLUM, *Ducatum Ferrariæ, ſeu Imolas, atque Bononias, aſſerens, quòd à veſtra Excellentia ipſæ Ciuitates, unâ cum universâ Pentapoli, illi fuiſſent conceſſæ.* A veritate itaque alienum eſt quod ajunt, Leonem non vicaria Romani Pontificis auctoritate, ſed propria poteſtate Exarchatum, antequam Apoſtolicæ Sedis rebellis fieret, gubernaſſe, & eâ de cauſa Italiæ Exarchi titulum aſſumpſiſſe, ut ſe Imperatoria auctoritate Exarchatus adminiſtratorem eſſe indicaret, licet nondum Imperator Carolus Magnus factus fuiſſet, quem ad decipiendos populos ſibi provinciam illam, non Eccleſiæ Romanæ conceſſiſſe mentiebatur. Poſt inceptam rebellionem Leo nuntios ſuos ad Carolum Magnum miſit, ut ejus favore malè partum dominium ſibi ſtabiliret. Adrianus ſuos & ipſe Legatos in Gallias miſit cum laudata epiſtola ad Carolum Magnum,

Codex Carolin. ep. 54.

gnum, in qua de Leone acriter conqueritur, ipſumque inſuper rogat, ut ejuſdem proterviam ſtatim compeſcat. Leo ubi nil per Nuntios ſuos promoviſſe vidit, in Gallias ipſe migravit, & licet Carolum Magnum nil minus ſibi contrarium expertus eſſet, è Galliis tamen reverſus, à rebellione non deſtitit, quinimò tam Exarchatum, quàm Pentapolim, impudentiùs, quàm antea, ſibi à Carolo Magno conceſſam fuiſſe jactavit; quamobrem Adrianus, binis aliis literis Carolo ea de re ſcriptis, tandem ab eodem in Italiam circa initium ſequentis anni DCCLXXVI. reverſo, obtinuit, ut Exarchatus, atque Pentapoleos ſummum imperium Eccleſiæ Romanæ conſervaret. Mortuo ſiquidem, præ animi, ut videtur, dolore, Leone Archiepiſcopo, die xv. Martii ejuſdem anni, Adrianus priſtinam in eaſdem Provincias poteſtatem recuperavit, cum nulla deinceps inter Summos Pontifices, & Ravennates Archiepiſcopos eâ de re diſſidia fuiſſe legamus, & Eccleſia Romana tam ſub Carolo Magno, quàm ſub Ludovico Pio, aliiſque Imperatoribus Exarchatum, atque Pentapolim liberè poſsediſse conſtet, ut num. x. xi. atque xii. monſtravimus. *Cod. Carolin. ep. 51 52.*

CXVI. Quid ex iniquo hocce Leonis auſu adversùs ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium in Exarchatum deduci poſſit, non video. Agebatur enim de proprio Caroli Magni facto, & nullus ipſo melior donationis ſuę interpres eſſe poterat; multa quoque in donatis rebus, ad vitandam ingrati animi notam, Pontifices eidem indulgere debebant: nec Adrianus ſubditos ſuos ad Carolum accedere ęgrè ferebat, non quòd ipſum pro ſupremo Exarchatus domino agnoſceret, ſed *quoniam una dilectio, & una charitas eademque puritatis affectio inter nos conſiſtit*, ut idem Adrianus ait in alia ad Carolum Magnum epiſtola, ſubdens, *Et ſi præfatus Archiepiſcopus*, hoc eſt, Leo, *nobis direxiſſet, ad veſtri præſentiam velle proficiſci, gratuito animo noſtrum miſſum cum eo direxiſſemus*. Sanè lex perpetui fœderis, inter Apoſtolicam Sedem, & Nationem Gallicanam dudum ſanciti, poſtulabat, ut Summis Pontificibus, & Gallorum Regibus ad communem utilitatem nonnulla in eorum ditionibus, præter conſuetum ordinem, viciſſim permitterentur; quandoquidem Principes fœderum nexu conjunctos militum præſidia in alterutrius ditionibus, ac arcibus diſponere, exercitus in hyberna admittere, aliaque peragere, durante fœdere, cernimus, quæ diſsoluto, ſupremæ poteſtatis argumenta eſse viderentur. Hac etiam ratione factum fuit, ut *Cod. Carolin. ep. 53.*

Carolus Magnus, poſtquam Beneventanum Ducem ſibi ſubjecerat, Pothonem Abbatem Monaſterii Sancti Vincentii ad Fontes Vulturni læſæ Majeſtatis reum, ut ab Adriano primo judicaretur, Romam tranſmiſerit cum literis, in quibus, ut Adrianus ait, *referebatur, quia cauſa veſtra noſtra ſit, & noſtra veſtra*. Hinc Leonis Archiepiſcopi rebellionis tempore, Adrianus primus Gregorium Sacellarium ad Exarchatus Urbes ablegavit, *Qui judices earumdem Civitatum ad nos*, ait Pontifex, *deferre deberet, & ſacramenta in fide Beati Petri, & noſtra, atque Excellentiæ veſtræ*, Caroli ſcilicet, Magni, *à cuncto earum populo ſuſciperet*; ſiquidem ea fidelitatis tantummodò, non ſubjectionis juramenta erant; cum enim Italia univerſa tunc temporis, ob Caroli Magni diſceſſum, & ob Græcorum, atque Adalgiſi filii Deſiderii captivi Regis machinationes tumultuaretur, communis utilitas poſtulabat, ut populi Eccleſiæ Romanæ ſubjecti, Carolo quòque Magno fideles eſſent; eo præſertim, quòd eorum potior pars, excuſſo Longobardorum metu, quo impellente, Romanis Pontificibus ſeſe ſubjecerant, eorum dominatus tædere cœperat, nec ſatis virium ad eos in fide continendos Pontificibus ſuppetebat. Sic Stephanus III. Albinum Spoleti Ducem, quem anno DCCLVI. in Apoſtolicæ Sedis protectionem ſuſcepit, ac fortaſsè ſummo ejuſdem imperio ſubegit, fidelitatem ſibi, ac Pipino, ſecum fœdere juncto, jurare fecit, ut ex Stephani III. & Pauli I. literis in Carolino codice relatis, apparet. Hinc quoque tam Pipini, & Caroli Magni, quàm Sedis Apoſtolicæ dominio ſubjectos, Stephanus IV. & Adrianus primus *fideles veſtros, ac noſtros* in epiſtolis ad eoſdem Reges vocare ſolent. Sergius denique Leonis Archiepiſcopi Ravennatis anteceſſor, delegata Stephani III. auctoritate Exarchatum, teſte Adriano primo, gubernavit, ſicuti num. IV. oſtenſum eſt; quamobrem Agnelli verba, nobis numero ſequenti relata, perperam eos interpretari patet, qui ex eiſdem Sergium Pipini Gallorum Regis, aut Græci Imperatoris Vicarium fuiſſe conjiciunt.

Cod. Carolin. ep. 72.

Cod. Carolin. ep. 8. & 15.

Cod. Carolin. ep. 44. 61 64. 83. & 90.

CXVII. Addam pro coronide argumenta nonnulla, quibus à nobis hactenus dicta de ſupremo Apoſtolicæ Sedis dominio ante Imperii translationem confirmantur. Carolus Magnus ab Adriano poſtulavit, ut Palatii Ravennatis muſiva, ac lapides, ad ornandam, quam Aquiſgrani ædificabat, Baſilicam, concederet, ſecus ac Ludovicus Pius egit, qui ſimiles veterum monumento-

Cod. Carolin. ep. 67. & 7. Chron. Monaſt. S. Vincentii to. 3. Duchesn. pag. 189.

mentorum lapides, atque columnas, Abbati Monaſterii S. Vincentii ad Vulturni fontes, irrequiſito Beneventi Duce, utpotè ſibi ſubjecto, conceſſit. Leo III. adverſus Romanorum conſpirationes auxilium à Græcorum Imperatore poſtulavit, ut Conſtantinus Manaſſes in annalibus ſcribit. De hoc autem facto loquens Monachus ille Sancti Galli, qui Caroli Magni vitam, Carolo Craſſo imperante, exaravit, Michaëlem Imperatorem, ait, ſic ea de re ipſum rogantibus reſpondiſſe, *Ille Papa Regnum habet per ſe, & noſtro præſtantius, ipſe per ſe ipſum vindicet de adverſariis ſuis.* Aliter profecto locutus fuiſſet Michaël Imperator de eo, qui vicaria alterius Principis poteſtate ditionem ſuam poſſediſſet. Leonem poſtmodum ad Carolum Magnum confugiſſe, veteres hiſtorici teſtantur. Conſultus de ope Leoni præſtanda Alcuinus Abbas, Carolo reſpondit, curandum ipſi eſse, ut Romanorum ſeditiones auctoritate potiùs, quàm armis compeſcerentur, cavendum tamen, ne dum ad id peragendum Romam iret, Galliæ Regnum quidquam detrimenti pateretur. *Relinquantur aliquantulum minæ*, ait Alcuinus, *ne obdurati fugiant, ſed in ſpe retineantur, donec ſalubri conſilio ad pacem revocentur. Tenendum eſt, quod habetur, ne propter acquiſitionem minoris, quod majus eſt amittatur. Servetur ovile proprium, ne lupus rapax devaſtet illud. Ita in alienis ſudetur, ut in propriis damnum non patiatur.* Alcuinus propria Caroli Magni vocat Galliæ Regnum, aliena verò ditionem Eccleſiæ Romanæ; quod utique de Provinciis ſummo Caroli Magni imperio ſubjectis affirmare, præſertim cum ipſimet Carolo ſcriberet, nequaquam auſus eſſet. Cæterum nunquam in tota antiquitate reperias, Summos Pontifices Pipino, vel Carolo Magno fidelitatem pro Exarchatu, atque Pentapoli juraſſe, vel tributum quotannis, ut à Grimoaldo Beneventanorum Duce factum fuit, perſolviſſe, aut aliud quidpiam egiſſe, quo ſe vicaria Gallorum Regum poteſtate memoratas Provincias obtinere profiterentur. Sed nec poſt impertitam Carolo Magno imperatoriam dignitatem, tale quidpiam Pontifices præſtitiſſe, aut Imperatores ex Caroli Magni proſapia, novæ dignitatis prætextu, ſupremi dominii auctoritatem in Romanę Eccleſiæ ditionem ſibi arrogaſſe, ſtatim videbimus.

Monach. Sangallen. lib. 1. cap. 28.

Alcuin. ep. 11

CXVIII. Carolus Magnus quàm piè ſanctèque Romanam Eccleſiam coluerit, Eginardus coæuus ipſi auctor teſtatur his verbis. *Nec ille toto Regni ſui tempore quidquam duxit antiquius, quàm*

quàm ut Urbs Roma ſuâ opera, ſuoque labore, veteri polleret auctoritate, & Eccleſia Sancti Petri non ſolùm per illum tuta, ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſiis eſſet ornata atque ditata. Hoc autem Eginardi teſtimonio probari poſſet, Carolum Magnum, cum Occidentis Imperator evaſit, Apoſtolicam Sedem ſupremo illo dominio nequaquam ſpoliaſſe, quod partim populorum conſenſu, partim libera Pipini patris, & ſua etiam largitione, ante collatam ipſi novam Imperii dignitatem poſſederat. Quis enim credat, Principem pietate, ac religione præſtantiſſimum, voluiſſe Eccleſiam Romanam de adepto dudum ſęcularis dignitatis, atque ſplendoris gradu ita dejicere, ut Imperii, cujus mater extiterat, ancilla fieret. Atqui Carolum Magnum ab hac voluntate abhorruiſſe, non modo ſingula quæque ejus geſta, ſed & Regnorum ſuorum diviſio, quàm anno DCCCVI. inter filios inſtituit, clariſſimè demonſtrant. Extat diviſionis hujus exemplar à Petro Pithoeo dudum editum, in quo præ cæteris omnibus, communem filiis eſse mandavit Romanæ Eccleſiæ defenſionem, quæ peculiari etiam ratione ad eum, quem in Imperio ſucceſsorem habuiſset, ſpectare debebat. *Super omnia autem jubemus*, ait piiſſimus Imperator, *ut ipſi tres fratres curam, & defenſionem Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt; ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet, & ratio poſtulaverit, habere faciant.* Regna poſtmodum Carolus Magnus inter filios dividens, Carolo natu majori Alemanniam cum Saxonia, Franciam, atque Burgundiam, uſque ad Alpes, & vallem Auguſtanam; Ludovico Aquitaniam, aliaſque Gallię provincias uſque ad Alpes, & vallem Seguſianam; Pipino Bavariam, ac *Italiam, quæ & Longobardia dicitur*, addixit. De Pipini ſucceſſione, ſi fratribus præmortuus fuiſſet, ita mandavit; *Si Carolo, & Ludovico viventibus, Pipinus debitum humanæ ſortis compleverit, Carolus, & Ludovicus dividant inter ſe Regnum, quòd ille habuit, & hæc diviſio tali modo fiat, ut ab ingreſſu Italiæ per Auguſtam Civitatem, accipiat Carolus Eborejam, Vercellas, Papiam, & inde, per Padum fluvium termino currente, uſque ad fines Regenſium, & ipſum Regium, & Civitatem novam, atque Mutinam, uſque ad terminos Sancti Petri. Has Civitates cum ſuburbanis, & territoriis ſuis atque Comitati-*

Duchesnii hist. Franc. Tom. 2. pag. 88.

tatibus, quæ ad ipſas pertinent; & quidquid indeRomam pergenti ad lævam reſpicit, de Regno, quod Pipinus habuit, hoc autem Longobardiam eſſe antea dixit, *unâ cum Ducatu Spoletano, hanc portionem, ſicut prædiximus, accipiat Carolus. Quidquid autem à prędictis Civitatibus, vel Comitatibus Romam eunti ad dextram jacet de prędicto Regno, ideſt, portionem, quę remanſit de regione Tranſpadana, unâ cum Ducatu Tuſcano, uſque ad mare Auſtrale, & uſque ad Provinciam, Ludovicus ad augumentum ſui Regni ſortiatur*. In hac regnorum diviſione nullum locum habuit Ducatus Beneventanus, cujus Princeps Grimoaldus à Caroli Magni ſubjectione defecerat; ſecus verò Ducatus Spoletanus, qui ſummo tantummodò Caroli Magni imperio ex conventione cum Adriano primo habita, ſubjiciebatur; ut clarum ſit, de iis quòque diſpoſuiſſe Carolum Magnum, quorum pleno dominio carebat: quamobrem Longobardiam tantummodò in Ciſpadanam, & Tranſpadanam partitus, hanc unâ cum Tuſciæ Ducatu Ludovico, illam Carolo, unâ cum Spoletino Ducatu, ſi ante ipſos Pipinus objiſſet, addixit. Verum de Ducatu Romano, deque Exarchatu, ac Pentapoli ne verbum quidem fecit Carolus Magnus; quippe quia ſummum in eaſdem Provincias imperium nequaquam ſibi arrogabat, illiſque Romanus Pontifex pleniſſimo jure dominabatur.

CXIX. Ludovicus Pius in conſtitutione de confirmatis Eccleſiæ Romanæ privilegiis, disertè fatetur, Romam cum ejus Ducatu, & adjacentibus Ameriæ, Tuderti, Peruſiæ, Narniæque Urbibus, conſenſu, ac ſpontanea populorum deditione, in Romanæ Eccleſiæ poteſtatem veniſſe: Exarchatum verò, ac Pentapolim, Sabinam, aliaſque ſingillatim enumeratas Tuſciæ Longobardorum, atque Campaniæ Urbes, Corſicam item, Sardiniam, atque Siciliam à Pipino, & Carolo Magno donatas Eccleſiæ Romanæ fuiſſe, ut eas Pontifices detinerent *in ſuo jure, Principatu, ac ditione*: & ne dubitari poſſit per ea verba ſummum imperium deſignari, in aliis Provinciis, in quibus excipi voluit, clauſulam addidit, *ſalva in omnibus noſtra ditione, & illorum ad noſtram partem ſubjectione*, qua exceptione in particularibus nonnullis adhibita, juxta conventionem, quæ inter Adrianum primum, & Carolum Magnum facta fuerat, quidquid reliquum eſt, hujuſmodi conditioni nequaquam ſubjectum fuiſſe, clariſſimè demonſtravit. Præterea Ludovicus univerſam

Roma-

Romanæ Eccleſiæ ditionem Summis Pontificibus pro virili defendere, atque tueri promiſit, *Ad hoc ut omnia, ea in illorum ditione ad utendum, confirmandum, atque diſponendum firmiter valeant obtinere*. Et ſtatim ſubdit, *Nullamque in eis nobis partem, atque poteſtatem diſponendi, vel judicandi, ſubtrahendive, aut minorandi vendicamus, niſi quando ab illo, qui eo tempore hujus Sanctæ Eccleſiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus. Et ſi quilibet homo de ſupradictis Civitatibus ad veſtram Eccleſiam pertinentibus ad nos venerit, ſubtrahere ſe volens de veſtra jurisdictione, vel poteſtate, vel quamlibet aliquam iniquam machinationem metuens, aut culpam commiſſam fugiens, nullo modo eum aliter recipiemus, niſi juſtam pro eo faciendam interceſſionem; ita dumtaxat ſi culpa, quam commiſit, venialis fuerit inventa; ſin aliter, comprehenſum eum ad veſtram poteſtatem remittemus; exceptis his qui violentiam, vel oppreſſionem potentiorem paſſi, ideo ad nos veniant, ut per noſtram interceſſionem juſtitiam accipere mereantur, quorum altera conditio eſt, & à ſuperioribus valdè disjuncta*. Quæ quidem poſtrema verba, non tamquam ſupremus Eccleſiaſticæ ditionis Dominus, ſed veluti Romanæ Eccleſiæ Advocatus, atque Defenſor adjecit, ut ſe promptum paratumque ad compeſcendas potentiorum violentias fore promitteret, cum Pontificum vires eis comprimendis impares eſſent; id quod ſæpè ſæpius Romæ præſertim, & Ravennæ, illis temporibus accidebat, quibus Pontifices ſola ſupremi dominii auctoritate, atque exercitio in gravioribus rebus, ac inſuper annui cenſus, ac fiſcalium reddituum exactione contenti, liberam Reipublicæ adminiſtrandæ facultatem Magiſtratibus è civium corpore electis relinquebant.

CXX. Lotharium patris Ludovici Pii donationis diplomati ſubſcripſiſſe, adeòque eam confirmaſſe, Leonis Oſtienſis, & Chronici Monaſterii Sancti Vincentii teſtimonio comprobavimus num. CVIII. Adde aliud teſtimonium Concilii Ravennæ habiti anno DCCCLXXXXVIII. quod num. XVI. retulimus, in quo privilegii Eccleſiæ Romanæ, à primis Imperatoribus confirmati, diſerta mentio reperitur. Id ipſum feciſſe videtur Ludovicus II. Imperator Lotharii filius; nam Summum Apoſtolicæ Sedis imperium diſertè recognovit in edicto illo, quo expeditionem Beneventanam adverſus Saracenos anno DCCCLXVI. cunctis ditionis ſuæ populis indixit. In hoc edicto, quod extat in Hiſtoriola

coeta-

coętanei quidem, ſed ignoti Monachi Caſinenſis, Ludovicus enumerans Provincias, ex quibus milites colligendi erant, additis eorum nominibus, quibus id muneris injunctum fuerat, ita inquit. *A fluvio Pado uſque Trebia ſit miſſus Lotſelmus. Inter Padum, & Ticinum Eriulphus. Inter Ticinum, & Adda Erembertus. Inter Adda, & Addiza Landebertus. Ab Addiza uſque ad Forum Julii Theobaldus, Petrus, & Arthemius Epiſcopi, junctis ſecum Miſſis Epiſcoporum, & Comitum. Piſa, Luca, Piſtoris, & Lunis, Theutmundus. Florentia, Volterra, & Aritio, Rodſelmus, Ulufid; & Sena, Andreas. In miniſterio Witonis, Rimmo, & Joannes Epiſcopus de Forcona. In miniſterio Verengari Hiſelmundus Epiſcopus. In litore Italico Ermefridus, Macedo, & Vulferius.* Miniſteria Witonis, & Verengari, ſunt Ducatus Spoletanus, & Forojulienſis, quorum Duces erant Guido, & Berengarius; miniſteria enim tunc temporis vocabantur Provinciæ illæ, quæ feudorum inſtar, beneficiario jure ſub Imperatorum ſummo imperio poſſidebantur, cum Comitatus, & Ducatus temporariæ præfecturæ tunc tantummodò exiſterent. Litus Italicum hodiernam Januenſis Reipublicæ ditionem ſignificat. Romanus verò Ducatus, Pentapolis, & Exarchatus inter enumeratas Provincias non recenſentur; quamobrem ex hocce Ludovici II. edicto clarè liquet, ſummum imperium in Romanæ Urbis Ducatum, Exarchatum, atque Pentapolim, non penès Imperatores, ſed penès ſummos Pontifices extitiſſe, cum nec inter Italici Regni miniſteria, nec inter Provincias pleno jure à Ludovico II. poſſeſſas recenſeantur.

Camillus Pe regr. Hiſt. Longob. pag. 100.

CXXI. Summum iſtud Romanorum Pontificum imperium à Carolo Calvo confirmatum fuiſſe, vel indè patet, quòd ipſum cunctis Imperii juribus in Romanæ Eccleſiæ ditionem, ne ſumma quidem poteſtate exceptâ, primum Imperatorum omnium ceſſiſſe, pleríque perperam putent, auctoritate freti cujuſdam veteris Appendicis incerti auctoris ad hiſtoriam Eutropii, in qua id ab ipſo factũ fuiſſe, diſertè his verbis aſſeritur, *Veniens Romam*, Carolus, ſcilicet, Calvus, *renovavit pactum cum Romanis, perdonans illis jura Regni, & conſuetudines illius &c. Patrias autem Sanniæ* (corrige, Samnii) *& Calabriæ, ſimul cum omnibus Civitatibus Beneventi eis contulit. Inſuper ad decorem Regni totum Ducatum Spoletanum, cum duabus Civitatibus Tuſciæ, quod ſolitus erat habere ipſe Dux, id eſt, Aritium, & Cluſium; quatenus ut*

Apud Goldaſt tom. 1. Monarchiæ.

is,

is, qui præerat regia vice ante Romanis videretur eſſe ſubjectus. Verùm appendicem iſtam multis mendaciis refertam eſſe, quivis hiſtoriæ temporum, de quibus in ea agitur, vel modicè peritus facilè cognoſcet; & Pagius ipſe, qui ſummam hanc poteſtatem Romanis Pontificibus adimere variis fallacibus argumentis conatur, ejuſdem falſitates pluribus demonſtrat. Harum una eſt ceſſio illa ſummi imperii, quod Caroli Calvi anteceſſores in Eccleſiæ Romanæ ditione obtinuiſſe mentitur; licet alioquin verùm eſſe videatur, eumdem Carolum reſtituiſſe Eccleſiæ Romanæ Ducatum Spoletanum, quem ob pertinacem Hildebrandi Ducis rebellionem Adrianus I. Carolo Magno eâ conditione condonavit, ut Sabinæ poſſeſſio Romanæ Eccleſiæ traderetur, unâ cum omnibus reditibus, qui Longobardorum Regibus, ratione ſupremi dominii à Spoleti, & Tuſciæ Ducibus annuatim ſolvebantur, quemadmodum in Ludovici Pii conſtitutione affirmatur. Carolum ſanè Calvum hanc ipſam Ludovici conſtitutionem renovaſſe num. CVIII. obſervavimus, ejuſque factum ab univerſa Natione Gallicana approbatum fuiſſe colligitur ex epiſtola Joannis VIII. ad Landulphum Epiſcopum Capuanum, in qua loquens de actis Concilii apud Pontigonem anno DCCCLXXVI. celebrati, ſic ait, *Omne ſanè jus poteſtatis antiquitus attributum, capitulariter renovatum in Conventu Epiſcoporum, ac Optimatum, inviolabiliter conceſſit habendum. Inter quæ de terræ veſtræ pacta, prout Deo duce voluiſſemus, ſtatuere, noſtro juri poteſtatique commiſit*: ut verum eſſe pateat, quod de Beneventano Ducatu, Eccleſiæ Romanæ à Carolo Calvo ſumma cum poteſtate conceſſo, dicitur in laudata Eutropii appendice; nec Imperii, aut Italici Regni jura Joannem VIII. invaſiſſe cenſendum ſit, cum Cajetanos in Apoſtolicæ Sedis clientelam ſuſcepit, & tam Cajetæ, quàm Capuæ inveſtituram ſequentibus annis Pandenulpho, & Atenulpho Comitibus dedit. Quin & in Concilio Trecenſi anno DCCCLXXVIII. iterum à Ludovico Balbo, Caroli Calvi filio, cunctiſque Nationis Gallicanæ Proceribus confirmatas fuiſſe Caroli Calvi, & aliorum Imperatorum donationes, ex ejuſdem Concilii geſtis apparet, in quorum actione VI. dicitur; *Promiſſio Regum lecta eſt, & ſacramenta, quæ Pipinus, & Carolus obtulerunt Beato Petro. Poſtea lecta ſunt capitula ſtatuta à Domino Joanne Summo Pontifice Romano, quæ Sancta Synodus amplectenda recepit, & confirmavit*; quamobrem dubitari neutiquam poteſt, Pipini, Caroli Calvi, & aliorum Imperatorum donationibus,

Pagii critica Annal. Baron. anno 875.

Joann. VIII. epiſt. 9.

nibus, totius Nationis Gallicanæ approbationem acceſſiſſe.

CXXII. Illud etiam ad oſtendendum Romanos Pontifices ſummo in Eccleſiæ ditionem imperio præditos fuiſſe non parum valet, quod apud Eginardum legimus, Campulum, nempè, Sacellarium, & Paſchalem Eccleſiæ Romanæ Primicerium, & Adriani primi nepotem, qui nefariam conſpirationem adversùs Leonem III an. DCCLXXXXIX. conflaverant, à Carolo Magno, poſtquam Imperator evaſit, capite damnatos fuiſſe *ſecundum Romanorum leges, ut crimine læſæ majeſtatis reos*. Eadem propè verba repetunt Poëta Saxonicùs in carminibus de vita Caroli Magni, & Annales Fuldenſes, atque Metenſes. Actio autem violatæ Majeſtatis in eum tantummodò intendi poteſt, qui conſpirationem adversùs Principem, vel adversùs Rempublicam facit. Sub Paſchale primo à nonnullis de familia Sancti Petri in Patriarchio ipſo Lateranenſi excęcati primùm, deindè decollati fuerunt Theodorus Romanæ Eccleſiæ Primicerius, & Leo Nomenclator ejus gener, qui primarias Eccleſiæ Romanę dignitates obtinebant. Facinoris hujus notitiam Pontifex ad Ludovicum Pium detulit; rumor enim increbuerat, eos ideò occiſos fuiſſe, quoniam Lothario Ludovici Pii filio, quem Paſchalis primus paulò ante conſortem paterni Imperii declaraverat, fideles extitiſſent; ex quo ſuſpicari licet, eos adversùs Paſchalem Pontificem non nihil machinatos fuiſſe, ut Lothario, qui adverſo fuit ſemper erga Romanam Eccleſiam animo, faverent. Miſit Romam Ludovicus Pius Legatos ſuos *ad inveſtigandam rei veritatem*, ut in Annalibus Eginardi, ac Bertinianis dicitur, *Sed rei geſtæ rectitudinem aſſequi non potuerunt: quia Paſchalis Pontifex, & ſe ab hujus facti communione cum magno Epiſcoporum numero jurejurando purificavit, & interfectores prædictorum hominum, quia de Familia Sancti Petri erant, ſummopere defendens, mortuos velut Majeſtatis reos condemnans, jure cæſos pronunciavit*. Aſtronomus quòque in vita Ludovici Pii miſſos fuiſſe Romam Legatos ſcribit, *inveſtigaturos de dubiis veritatem*, eoſque ad Ludovicum reverſos eidem nuntiaſſe, *quòd Paſchalis Papa ab interfectorum nece ſe cum plurimis Epiſcoporum ſacramento purgaverit, interfectores autem nequaquam exhibere potuerit: ſed & eos, qui interfecti ſunt, meritis exigentibus, talia perpeſſos aſſeveraverit*. Ex quibus omnibus conſtat, Ludovicum Pium, non judicium de atroci illo crimine inſtituiſſe; ſed tantum facti veritatem indagaſſe, & interfectos,

Eginard. Annal. an. 801.

Poëta Saxon. Vita Caroli Magni lib. 3. Annal. Fulden Bertiniani, & Metenſes.

Aſtron. Vita Ludovici Pii tom. 2. Duch. pag. 303.

utpotè,qui Paſchalem primum,ſummo in ditionem ſuam imperio fruentem, offenderant, pro læſæ majeſtatis reis habitos fuiſſe. Denique Nicolaus Alamannus, ad aſſerendam Romanis Pontificibus eandem ſummam poteſtatem, verſus coætanei auctoris in Caroli Magni, & Leonis III. obitum allegat ex pervetuſto Vaticano Codice, ſignato num. MMMDCCCXXVII. in quibus ſic ait.

Alaman. de Pariet. Lateran. pag 115.

Luge Roma tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo lumina luge.
Arcus frange tuos, ſicque triumphum,
Et te, Roma, tuis hoſtibus offer.

Quid? ſubdit Alamannus, Num ad rebellionem Romanos incitat? Id verò neque Romanorum fidem, neque Poëtæ modeſtiam decebat; ſed ità loquitur auctor, quia nullum Urbis, aut Eccleſiaſticæ ditionis dominium, Ludovico Pio, ſucceſſionis in imperium jure, cedebat, utpotè quod ad Romanam Eccleſiam ſumma cum poteſtate ſpectabat.

CXXIII. Confutanda nobis nunc remanent argumenta, quæ adversùs legitimam hanc Romanorum Pontificum poteſtatem in univerſam ditionem ſuam objiciunt, qui pro Eſtenſibus Principibus demum ſcripſerunt. Ajunt enim non modò ſubjectos Pontificio dominio populos, ſed & ipſos Pontifices fidelitatem Imperatoribus juramento pollicitos fuiſſe. Præterea ipſos interdum Imperatores, frequenter verò auguſtales Miſſos, in Romanæ Eccleſiæ ditione jus reddidiſſe. Summos quòque Pontifices confirmationem electionis ſuæ ab Imperatoribus optaſſe, ac nummos cum Imperatorum effigie, atque nominibus, cudiſſe; denique multos antiquos Scriptores de hocce Imperatorum dominio teſtatos eſſe. Verùm quàm futilia hæc argumenta ſint, clarè patebit, ſi Italiæ ſtatum ſub Carolo Magno, ejuſque poſteris, & quænam Romanorum Pontificum in illis temporibus conditio fuerit, animo repetamus; ſimulque cujuſnam generis obſequia Imperatores, dignitatis ſuæ ratione, Eccleſiæ Romanæ impendere debeant, ſedulo perpendamus. Imperatoriam Majeſtatem, in Occidentis partibus dudum extinctam, eâ potiſſimùm ratione Leo III. reſtituit, ut, Orientis Imperatoribus in hæreſim prolapſis, Catholicæ Fidei ſecuritati conſuleret, nec non, ut Eccleſia Romana Advocatum, ac Defenſorem haberet, qui præ cæteris Chriſtiani Orbis Regibus, atque Principibus, ejus dignitatem,

ac

ac jura tueretur. Hoc autem patrocinio, & defenſione temporibus Caroli Magni, ejuſque ſucceſſorum, maximè indigebat; Græci enim, ut num. CXVI. diximus, per ſpeciem reddendi regni Adelgiſo Deſiderii Longobardorum Regis filio, Italiam recuperare nitebantur: Longobardorum verò Proceres, & Longobardiæ populi in Caroli Magni fide nutabant, ut ex iis ſeditionibus conſtat, quæ in Italiæ Regno, ſtatim atque illud Carolus Magnus ſubegit, à Rotgauſo Forojulienſi, & Reginbaldo Cluſino Ducibus ſuſcitatæ fuerunt. Romani quoque Pontificiam dominationem ægrè ferentes, novas res moliri cœperant; quin & inter ipſos, præ dominandi libidine, tumultus frequenter, atque ſeditiones ſuſcitabantur, & in ſuorum Pontificum electionibus non raró vim Romano Clero inferebant; denique, ut Anaſtaſius Bibliothecarius, de Adriani II. temporibus loquens, refert, non pauci, *Factioſorum tyrannide liberiùs ſolito ſæviente, inter unius deceſſionem, & alterius ſubſtitutionem Pontificis, diverſis agebantur exiliis, variiſque afficiebantur incommodis*: præterquamquòd *ſolemne ipſis*, hoc eſt, Romanis, ut Sangallenſis Monachus in vita Caroli Magni ait, *& conſuetudinarium fuit, ut omnes alicujus momenti Apoſtolicis, ad Sedem Apoſtolicam per tempora ſubrogatis, jugiter eſſent infenſi, vel potiùs infeſti*. Ob hæc autem omnia Carolus Magnus, ejuſque ſucceſſores de Urbe, & Eccleſiæ ditione æquè, ac de Italiæ rebus anxio ſollicitoque animo erant, cum ingens periculum eſſet, ne Romani, ac cæteri Italiæ populi, aut Adelgiſo faverent, aut Græcorum Imperio, expulſa Francorum gente, ſeſe iterum ſubjicerent. Summi etiam Pontifices in ſuſpicionem optati Græcorum potiùs, quàm Francorum patrocinii, interdum veniebant; nec inanis erat ea ſuſpicio, quandoquidem Leonem III. Michaëlis Græcorum Imperatoris auxilium adverſus Romanos poſtulaſſe vidimus num. CXVII. Denique iidem Pontifices imperio magis, quàm auctoritate in ſubjectis ſibi provinciis dominabantur, quippè qui, ut num. CXIX. dictum eſt, ſupremi dominii recognitione, aliiſque nonnullis majeſtatis juribus contenti, præcipuarum urbium, puta Romæ, ac Ravennæ, Magiſtratibus, civium arbitrio plerunque electis, & Apoſtolica auctoritate confirmatis, amplam Reipublicæ adminiſtrandæ facultatem relinquebant.

Monac. S. Galli. Vita Caroli Magni lib. 1. cap. 28.

CXXIV. Quod attinet ad dilatam Romanorum Pontificum conſecrationem, quouſque, an electio Canonicè, & ſine tumultu facta fuerit, Imperator agnoſceret; quis non videt, nul-

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa pag. 18.

lum indè argumentum adverſus ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium elici poſſe: nam in cunctis electionibus Romanorum Pontificum, quæ tàm ante, quàm poſt Imperii reſtitutionem factæ fuerunt, Pipinus, Carolus Magnus Imperator, & Ludovicus Pius nullas ſibi partes vindicarunt. At Paſchale I. obeunte, cum duo per populi contentionem electi eſſent, & vincente Nobilium factione, Eugenius II. ſubrogatus, atque ordinatus fuiſſet, Ludovicus Pius Imper. ſtatim atque eâ de re à Quirino Apoſtolicæ Sedis Legato in Galliis commorante certior factus fuit, *Conventu circiter* VIII. *Kalend. Julii pronunciato, atque Compendii habito, ipſe ad Brittannicam expeditionem per ſe faciendam animo intento, Lotharium filium Imperii ſocium, Romam mittere decrevit: ut vice ſuâ functus, ea quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, Populoque Romano ſtatueret, atque firmaret*. Lotharius Romam venit, & ſedatis tumultibus, varia cum Eugenio II. capitula edidit, pro conſervanda Urbis, atque Eccleſiæ ditionis tranquillitate, de quibus infra ſermo erit. Statutum inter alia tunc fuit, ut electus Pontifex non conſecraretur, priuſquam, an electio libera fuiſſet, Imperatori innoteſceret, licet ab hac conventione receſſum fuerit in electione Leonis IV. qui anno DCCCXLVII. non expectato Imperatoris reſponſo, conſecratus fuit. Porrò morem hunc non imperatorio jure, ſed neceſſitate tantùmmodo extorquente, ad ſchiſmata, & ſeditiones vitandas inductum fuiſſe, vel ex eo patet, quòd Ludovicus Pius tale quidpiam in electionibus Stephani V. & Paſchalis I. à Romanis nequaquam exegerit. Hoc ipſum clarè colligitur ex Adriani II. electione ab Anaſtaſio Bibliothecario accuratè deſcripta. Erant tunc Romæ Imperatoris Miſſi, quibus ægrè ferentibus, *Quòd ſe*, ut Anaſtaſius ait, *dum præſentes eſſent, Quirites non invitaverint, nec optatę à ſe futuri Præſulis electioni intereſſe conſenſerint*, Romani ipſos eâ ratione placarunt; *Quod non Auguſti cauſâ contemptus*, ut Anaſtaſius ſubdit, *ſed futuri temporis hoc omiſſum fuerit omninò proſpectu, ne, videlicet, Legatos Principum in electione Romanorum Prçſulum mos expectandi per hujuſmodi fomitem inoleſceret*; quamobrem iidem Legati *omnem ſuæ mentis indignationem medullitus ſedavere, ac ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſerunt*. Tantum autem abeſt, ut Ludovicus II. Imperator violata tunc Imperii jura cenſeret, quin potiùs, habitâ unanimis electionis notitia, *Mox Imperialem ſcribens epiſtolam, cunctos Romanos, quòd*

Annales Eginardi, & Bertiniani an. 824

Anaſt. Bibliothecar. in Leone IV.

Anaſt. Bibl. in Adriano II. pag. 330.

dignum

dignum tanto elegiſſent officio Præſulem collaudavit, per quam videlicèt, innotuit, nulli quidpiam præmii fore ex conſecratione ipſius quoquo modo pollicendum, cum ipſe hanc non ſuorum ſuggeſtione, ſed Romanorum potiùs unanimitate commotus, ardentiſſimè cuperet provenire; maximè cum reddi, quæ ablata fuerant, non auferri ab Eccleſia Romana, vel deperire quidpiam, ſe diceret amare. Patet itaque ex hiſce Anaſtaſii verbis, non ſupremi dominii ratione, ſed voluntario Summorum Pontificum aſſenſu, ad Romanæ Eccleſiæ utilitatem morem hunc anno DCCCXXIV. inductum, ac deinceps continuatum fuiſſe: Ludovicum verò Imperatorem de eo ita loquutum fuiſſe, ut clarè ſatis oſtenderet, non Imperii jure, ſed ob ſedandarum contentionum neceſſitatem, Imperatores in Romanorum Pontificum electionibus poſt renovatum Imperium ſeſe ingeſſiſſe.

CXXV. Romanos, & conſequenter alios Eccleſiaſticæ ditionis populos, fidelitatem, ac ſubjectionem Summis Pontificibus recens electis, juramento profiteri conſuetos fuiſſe, Anaſtaſius Bibliothecarius pluribus in locis teſtatur. De Coſtantino ſiquidem Antipapa, adversùs Stephanum IV. intruſo, ſic ſcribit; *Alio verò die, illuceſcente ſecunda feria, Subdiaconus, atque Diaconus ab eodem Epiſcopo in Oratorio Sancti Laurentii intra eumdem Patriarchium, contra Sanctorum Canonum inſtituta, conſecratus eſt. Sicque univerſum populum ſibi ſacramentum præbere fecit, & adveniente dominico die, rurſum cum multitudine armatorum exercituum in Baſilica Beati Petri properans, Pontifex ab eodem Georgio Epiſcopo Præneſtino, & aliis duobus Epiſcopis, Euſtratio Albanenſe, & Citonato Portuenſe, conſecratus eſt. Sicque univerſum populum ſibi ſacramentum præbere fecit*. Acta ſunt hæc anno DCCLXVIII. Pari modo poſt Imperii reſtitutionem juratum fuit Benedicto III. & Stephano VI. legitimis Pontificibus, ut in eorumdem vitis apud laudatum Anaſtaſium legimus. Hallucinati enim ſunt, qui pro Eſtenſibus Ducibus ſcribentes, ad probandum eoſdem Pontifices fidelitatem Imperatori juraſſe, memorata Anaſtaſii loca allegant. Atqui, ajunt, Romanos, & reliquos Eccleſiaſticæ ditionis populos fidelitatem Imperatoribus quoque juraſſe, & conſequenter juramenta illa præſtita fuiſſe Romanis Pontificibus tanquã Vicariis, Imperatori verò tamquam ſupremo Domino. Hoc autem quantùm à veritate alienum ſit, nunc videbimus.

Anaſt. Bibl. in Steph. IV. pag. 131.

Anaſt. Bibl. in Bened. III. & Steph. VI. pag. 296. & 346.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 18.

CXXVI. Romanos interdum juramento ſe Imperatoribus

obſtrinxiſſe, non imus inficias; verùm juramenta iſta longè diverſa fuere ab iis, quibus fidem, ac ſubjectionem iidem Romanis Pontificibus pollicebantur; nam illa quidem raró, & pręter conſuetum ordinem, hęc verò ſingulis Pontificibus de novo electis ſtatim pręſtabantur. Præterea conſtat, Summorum Pontificum juſſu nonnullis, non verò ſingulis quibuſque Imperatoribus, & ob aliquam peculiarem cauſam, Romanos ea juramenta feciſſe, cum, ſcilicet, eorum fides Imperatoribus ſuſpecta eſſet, vel Pontifices Imperatorum ope ad eos in Eccleſiæ Romanæ fidelitate retinendos indigerent, ut num. CXVI. diximus. Sic Leo III. ante Imperii reſtitutionem, ſtatim atque factus fuit Pontifex, cum Romanorum ſeditiones vigerent, & Adriani I. Nepotes Urbis dominatum affectarent, Carolo Magno, Patritiatus confirmationem poſtulanti, claves Confeſſionis Sancti Petri, unâ cum Urbis vexillo, honorificentiæ causâ, tranſmiſit, rogans inſuper ipſum, *Ut aliquem de ſuis Optimatibus Romam mitteret, qui Populum Romanum ad ſuam fidem, atque ſubjectionem per ſacramenta firmaret*. Nam licet Baronii interpretationem non admittamus, qui Leonem, non Carolo Magno, ſed ſibi juramenta illa præſtari voluiſſe, contendit; tamen clarè patet, Leonem III. eam ob cauſam id poſtulaſſe, ut Caroli Magni, nondum Imperatoris, auctoritate, Romanorum tumultus ſedarentur, & ut de eorum fidelitate ipſi, tamquam Eccleſiæ Romanæ Advocato, pleniùs caveret, quod clarè indicat Poëta Saxonicus in vita Caroli Magni, ſic inquiens.

Epinardi Annales. Poëta Saxonicus in vita Car. Magni lib. 3.

Admonuitque piis precibus, quò mittere vellet
Ex propriis aliquos Primoribus, ac ſibi plebem
Subdere Romanam, ſervandæ fœdera cogens.

Romani ſiquidem fœdus, quod cum Carolo Magno à Stephani III. temporibus Pontificia auctoritate ſancitum fuerat, non ſemel deinceps renovaverant. Sic ſuſcitatis denuò Romanorum ſeditionibus poſt Leonis III. obitum, quem Romani acerbiſſimo odio proſecuti fuerant, Stephanus IV. anno DCCCXVI. *Statim poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem Populum Romanum fidelitatem cum jurejurando promittere Ludovico Pio*. Cur autem novum hocce fidelitatis juramentum, Imperatore non poſtulante, Stephanus ultrò exegiſſet, ſi Romani jamdiù antea illud Ludovico Pio Imperii jure præſtiterant, & ni pro ſedandis eorumdem tumultibus imperatoria auctoritate opus habuiſſet? Sic Sergio II. abſque Imperatoris notitia conſecrato, Lotharius anno DCCCXLIV.

Thiganus In vita Ludovici Pii cap. 16.

Ro-

Romam miſit Ludovicum filium ſuum Italiæ Regem cum exercitu, ut de Romanis ulciſceretur. Hic à Bononienſi Urbe, multas, Romam uſque, populorum cædes fecit. Tamen cum à Pontifice à quo benignè exceptus fuit, poſtularetur, *Ut omnes Primates Romani fidelitatem ipſi Ludovico Regi per ſacramentum promitterent*, Renuit Pontifex; *Quia ſi vultis*, inquiens, *Domno Lothario Magno Imperatori hoc ſacramentum ut faciant, ſolummodò conſentio, atque permitto. Nam Ludovico ejus filio, ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romanorum Nobilitas conſentit*; quandoquidem Romani nulla in re Italiæ Regibus obſequi volebant. Placuit Ludovico oblata à Pontifice conditio, ſtatimque Romani fidelitatem Lothario Imperatori promiſerunt; ſupervacaneum autem hoc fuiſſet, ab iis exigere, qui Lothario, cum à Paſchale I. Imperator declaratus fuit, fidelitatem juraſſent, ſi cunctis Imperatoribus ſubjectionem Imperii jure profiteri conſueviſſent. *Anaſt. Bibl. in Sergii II. vita pag. 249. & 251*

CXXVII. Porrò juramenta iſta, Romanorum Imperatoribus facta, fidelitatis fuiſſe, non ſubjectionis; ea verò, quæ Romanis Pontificibus præſtabantur, & fidelitatis, & ſubjectionis juramenta fuiſſe, clariſſimè conſtat ex formula juramenti, quod Formoſo Pontifice jubente, anno DCCCLXXXXV. Romani Arnulpho Imperatori tunc electo fecerunt, cujus hæc ſunt verba. *Juro per hæc omnia Dei myſteria, quòd ſalvo honore, & lege mea, atque fidelitate Domini Formoſi Papæ, fidelis ſum, & ero omnibus diebus vitæ meæ Arnolfo Imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine ſociabo, & Lamberto filio Agildrudæ, & ipſi matri ſuæ ad ſecularem honorem nunquam adjutorium præbebo, & hanc Civitatem Romanam ipſi Lamberto, & matri ejus Agildrudæ, & eorum hominibus per aliquod ingenium, aut argumentum, non tradam*. Nulla hic ſubjectionis mentio fit, & qui alicui, ſalvâ alterius fidelitate, jurat, eum, quem excipit, pro ſupremo utique domino habet. Hinc apud Guntherum in Ligurini lib. VIII. legas. *Appendix Analium Fuldensium tom. 2. Duchesnii pag. 58.*

Præterea quotiens feudali jure recepto,
Vaſſallus Domino fidei juramina præſtat,
Excipiendus erit Romanus nomine Princeps.

Fidelitatis itaque, ut diximus, non ſubjectionis erant juramenta illa tam Arnulpho, quàm antecedentibus Imperatoribus præſtita, cum Romani, & alii Eccleſiaſticæ ditionis populi in ſuſpicionem adducebantur, quòd averſo in Imperatores, & univerſam

Fran-

Francorum gentem animo eſſent. Hoc autem, ut clariùs pateat, conferenda eſt allata Romanorum juramenti formula cum ea, qua Franci ſubjectionem ſuis Regibus an. DCCCII. profitebantur. En ejus verba. *Sacramentale qualiter promitto ego, quòd ab iſto die in antea fidelis ſum Domno Karolo piiſſimo Imperatori filio Pipini Regis, & Berthanæ Reginæ, pura mente abſque fraude, & malo ingenio de mea parte ad ſuam partem, & ad honorem Regni ſui, ſicut per drictum debet eſſe homo Domino ſuo. Si me adjuvet Deus, & iſta Sanctorum patrocinia, quæ in hoc loco ſunt, quia diebus vitæ meæ per meam voluntatem, in quantum mihi Deus intellectum dederit, ſic attendam, & conſentiam.* Huic juramenti formulæ gemina eſt alia, quæ ſtatim in hæc verba ſubjungitur. *Sacramentale qualiter repromitto ego Domno Karolo piiſſimo Imperatori filio Pipini Regis, & Berthanæ fidelis ſum, ſicut homo per drictum debet eſſe Domino ſuo, ad ſuum Regnum, & ad ſuum rectum. Et illud ſacramentum, quod juratum habeo, cuſtodiam, & cuſtodire volo, in quantum ego ſcio, & intelligo, ab iſta die in antea. Si me adjuvet Deus, qui Cælum, & terram creavit, & iſta Sanctorum patrocinia.* Nil horum, quæ in hiſce juramentis continentur, Arnulpho Imperatori Primates Romanorum promiſere; ſed tantùm fidelitatem, illâ exceptâ, quam ſummi dominii ratione Formoſo in ejus electione de more polliciti fuerant. Arnulphus enim, qui ad expellendum Lambertum, & Agiltrudam Romana ab Urbe, quam occupaverant, accitus fuerat, expugnata Urbe, ſibi tantummodò cautum eſſe voluit, ne, dum bellum adversùs eundem Lambertum proſequebatur, Romani, à Formoſo rurſus deficientes, communi hoſti faverent.

Capitular. Regum Francorũ Baluzii tom. 1. pagin. 377. & inter Lindembrogii formulas num. 40.

CXXVIII. Agendum nobis nunc eſt de Miſſis illis, quos Imperatores ob varia negotia Romam, & in Eccleſiaſticæ ditionis Provincias interdum ablegaſſe legimus, ſimulque oſtendendum, id factum fuiſſe non ſummi imperii jure, ſed Advocatiæ, & protectionis debito, quo Carolus Magnus, ejuſque poſteri, ut Imperatores, & uti Francorum Reges, Summis Pontificibus præſto eſſe tenebantur, cum eorum auxilio, atque ope indigerent. Poſt Paſchalis, & Campuli conſpirationem adversùs Leonem III. nunquam in Urbe tranquillitas fuit, eò præſertim, quòd Leo III. acerrimus jurium ſupremi dominii vindex exiſteret, Romani verò à Summorum Pontificum ſubjectione eximi, deficiente Longobardorum metu, niterentur, ut odia, & inimicitias inter ſe liberiùs

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 17. & 19.

exer-

exercere poſſent. Ravennæ quòque non pauca ad fiſcum pertinentia, à Civibus occupata fuerant; quamobrem Leo ſæpè à Carolo Magno Miſſos poſtulavit, qui & Romanos compeſcerent, & ſua Romanæ Eccleſię bona reſtitui facerent. *Ad hoc*, inquit, Leo, *omnipotens, & inviſibilis Deus noſter veſtram à Deo protectam imperialem potentiam ſanctæ ſuæ Eccleſiæ fecit eſſe cuſtodem, ut ubique gubernatione laudabili ad augumentum gloriæ veſtræ vigilantior exiſteret, & quos conſilio exteriùs regitis, perire interiùs non permittatis.* Carolum pro Cuſtode Eccleſię, hoc eſt, Advocato, & Defenſore, non autem pro ſupremo Eccleſiaſticę ditionis domino, Pontifex habet, eumque conſilio, non ſupremi dominii poteſtate, Eccleſię Romanę ſubjectos regere dicit. Inferiùs quòque Carolum Magnum à Beato Petro in ſuis utilitatibus defenſorem conſtitutum fuiſſe affirmat, ideòque anguſtias, quas aſſiduè patiebatur, ſe ipſi intimare aſſerit, ut oblatio, quam Pipinus, & ipſe quòque Beato Petro obtulerant, illibata permaneret. Poſtea de Auguſtalibus Miſſis ita conqueritur. *Miſit igitur pia Serenitas veſtra Miſſos ſuos, ut juſtitiam nobis facere debuiſſent, ſed magis damnum, quàm profectum nobis fecerunt. & quia omnia, quidquid per veſtrum pium, ac legale judicium de cauſa, videlicet, Palatii Ravennatis, recollectamus, unde & juſſiſtis, ut nullus quilibet homo in poſterum conquaſſare, aut in judicio promovere præſumeret, tàm de vulgaria, quàm etiam de manſis, quos per veſtrum diſpoſitum Herminus fidelis veſter nobis reconſignavit; omnia cum caſis, vineis, ſeu laboribus, atque peculiis abſtulerunt, & nihil exindè nobis remanſit. Quamobrem quæſumus veſtram Imperialem Clementiam, ut ſic de veſtra à Deo accepta donatione, quam prædicto Dei Apoſtolo obtuliſtis, peragere jubeatis, quatenus in nulla minuatur parte, ſed maximè per veſtrum laborioſum certamen firma, atque ſtabilis, & inconcuſſa perennis temporibus perſiſtere valeat.* Agebatur itaque de fiſcalibus bonis, quæ ut Romanæ Eccleſiæ reſtituerentur, non tanquam ſupremus Eccleſiaſticæ ditionis Dominus, ſed uti Advocatus, & donationis ſuæ executor, Carolus Magnus curare debebat. In alia epiſtola ad eumdem Carolum data anno DCCCVIII, de eiſdem Miſſis denuò conqueritur his verbis. *Neſcimus enim ſi veſtra fuit demandatio, quòd Miſſi veſtri, qui venerunt ad juſtitiam faciendam, detulerunt ſecum homines plures, & per ſingulas Civitates conſtituerunt. Quia omnia ſecundum quòd volebat*

Leo III. ep. 12.

Leo III. ep. 7.

lebat Dux, qui à nobis erat conſtitutus, per diſtractionem cauſarum tollere, & nobis more ſolito annuè tribuere, ipſi eorum homines peregerunt, & multam collectionem fecerunt de ipſo populo, unde ipſi Duces minimè poſſunt ſuffragium nobis pleniſſimè præſentare. Modeſtè quidem de Miſſis conqueritur Pontifex, querelas tamen ſuas fruſtra fudiſſet, ſi Carolus Magnus in donationibus ſuis ſupremum Exarchatus dominium ſibi reſervaſſet. Interim notandum eſt, Summos Pontifices ſingulis urbibus Gubernatores tunc dediſſe, & delictorum mulctas in Pontificium ærarium intuliſſe.

CXXIX. Porrò Miſſos hoſce defenſionis titulo, non autem ſupremi dominii jure, deſtinatos à Carolo Magno fuiſſe, patet ex alia ejuſdem Leonis epiſtola, in qua eundem Carolum tot ejus querelas ægrè tuliſſe refert his verbis. *Continebatur enim in ipſo præfato ſexto capitulo, quòd Miſſos invenire non valetis, qui nobis placeant, de qua re valdè triſtatur veſtra Serenitas; & nullus de ipſis, qui jam ad nos fuit directus, per ſuam voluntatem ampliùs Miſſus erit, excepto quòd obedientiam veſtram voluntariè unuſquiſque adimplere cupit: & non ſolum Miſſi veſtri timent veſtram portare legationem ad noſtram puſillitatem, verùm etiam alii jam non ſunt auſi quærere à vobis auxilium, quia nullus eſt, qui veſtram quæſivit clementiam, ut dicunt, qui poſtmodum ad plenam potuiſſet pervenire gratiam noſtram; & quia plures directos habuiſtis Miſſos fideles, ex quibus jam alii mortui ſunt, & ipſi blaſphemati fuere, & de ipſis, qui vivunt, nullus jam ſine blaſphemio eſſe videtur.* Nemo profectò ſummi imperii poteſtate præditus de inveniendis Miſſis beneficiario gratis ſollicitus adeò fuiſſet. Miſſi quòque Caroli Magni ad Leonem accedere non trepidaſſent, quinimò parvî feciſſent Leonis querelas, ſi ſupremi Domini mandata curaſſent, & non ad inſerviendum Pontifici deſtinati fuiſſent. Leo, qui talia dicebant, mentitos fuiſſe, Carolo reſpondit, ſubditque, *Sed tamen ſi nos benè ſuſcepimus, & benè honoravimus pro veſtro amore, Deus nobis retribuat bona, & vos ſatisfaciat, ut in cauſis Beati Petri Apoſtoli amplius, & amplius decertetis; etſi non vobis nunciaverint, quomodo eos honorificè ſuſcepimus, quid aliud dicamus, niſi ut Deus illis indulgeat.* Ergo in obſequium Apoſtolicæ Sedis, & ad ejus utilitates procurandas, Imperatoris Miſſi, poſtulantibus Pontificibus, veniebant, quòd iterum affirmat Pontifex propè finem epi-

Leo III. ep. 3.

epiſtolæ, cum inquit. *De autem accuſatoribus Miſſorum veſtrorum, de quibus nobis emiſiſtis, ut aut in noſtram, aut in veſtram præſentiam ad diſcutiendum veniant; ſi placet pietati veſtræ, Miſſum veſtrum dirigite abſque illis, qui omnia liquidiùs inquirat, & veſtræ Imperiali potentiæ fideliter nunciet, quid, aut quomodo iſtis in partibus egerint, qualem profectum exindè Sancta Dei Eccleſia Mater veſtra habeat. Verumtamen omnia in veſtro committimus ſagaciſſimo arbitrio.* Sanè arbitrium judicandi de accuſatoribus Miſſorum ſuorum ſupremus Dominus aliis, ac præſertim Beneficiario non delegaſſet; nec, qui à ſupremo Domino leges accipit, novos Miſſos, cum vitare poſſet, ad jus in ditione ſua dicendum, delegari etiam atque etiam optaſſet.

CXXX. Objiciunt quòque Annalium veterum Francicorum narrationem de Romanis capitali ſupplicio à Leone III. damnatis, ajuntque Ludovicum Pium miſiſſe Romam Bernardum filium Italiæ Regem, qui de ea re judicium inſtitueret, Summumque præterea Pontificem per Legatos ſuos Imperatori ſatisfeciſſe. Atqui ex eiſdem Annalibus apparet, Bernardum non ad judicium ferendum, ſed ad inquirendam rei veritatem, & ad ſedandas Romanorum turbas, non aliter miſſum fuiſſe, quàm quod ſub Paſchali primo ab eodem Ludovico Pio, tanquam Eccleſiæ Romanæ defenſore, ut num. CXXII. obſervavimus, factum fuit, ac præterea Ludovicum, de re tota à Leone III. certiorem factum, nullam amplius de graviſſimo alioquin crimine inquiſitionem inſtituiſſe. Addunt judicium à Ludovici Pii miſſis coram Gregorio IV. Romæ habitum de rebus, quas Monachi Farfenſis Monaſterii ſibi ab Adriano I. & Leone III. ablatas eſſe jactabant. Monaſterium tamen Farfenſe ſub protectione Auguſtorum tunc fuiſſe conſtat, adeòque Romanos Pontifices permiſiſſe munificentiſſimis illis, deque Romana Eccleſia benemerentiſſimis Principibus, ut ipſi de rebus ad eorumdem Monachos pertinentibus judicium ferrent, eo prorſus pacto, quo iidem Imperatores juriſdictionem omnem Summis Pontificibus in ſuæ ditionis Monaſteria, quæ ſub Apoſtolicæ Sedis protectione poſita erant, relinquebant, juxta capitulum, quod à Lothario Imperatore, aſſentiente Eugenio II. editum fuit in hæc verba. *Conſtituimus, ut omnes, qui ſub ſpeciali defenſione Domni Apoſtolici, ſeu noſtra fuerint ſuſcepti, impetratâ inviolabiliter utantur defenſione. Quòd ſi* *Holſten Collect. Rom. par. 2. pag. 208.*

quis

quis in quocunque violare præſumpſerit , ſciat ſe periculum vitæ ſuæ incurſurum .

CXXXI. De capitulis hiſce operæ pretium eſt quędam adnotare , quandoquidem eorum auctoritate abutuntur , qui ſummum imperium Apoſtolicæ Sedi auferre conantur . Magni momenti etiam ad Italici Regni res erat concordia civium Romanorum, ad quam conciliandam Ludovicus Pius totius nationis Gallicanę conſilio, ut num.cxxiiii.diximus , Lotharium filium Imperii collegam anno dcccxxiv. Romam direxit unâ cum Hilduino Palatii Cæſarei Archicappellano , de quo ſic ſcribit auctor libelli de translatione Sancti Sebaſtiani . *A piiſſimo Cæſare , ad quorumdam improbitatem compeſcendam , qui adverſus ſummum Antiſtitem Eugenium intumuerant , Romæ delegatus , ſic judicium omne prudenti examinatione exercuit , ut & Cæſaris juſſum expleret , & Pontifici ſatisfaceret, & eos , qui contra hunc ſuperbè intumuerant , ſedata eorum contumaciâ, pacatos redderet, & quietos .* Miſſum autem fuiſſe Lotharium , *ut quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice Populoque Romano ſtatueret, atque firmaret,* eaque omnia *memorati Pontificis benevola aſſenſione* correxiſſe, teſtantur Annales Bertiniani , & Eginardus , ſeu Annaliſta Laureshamenſis . Capitula itaque illa juxta Eccleſiæ Romanæ neceſſitates, cum Eugenii II. ad temporum calamitatem ſeſe accommodantis , aſſenſu ſancita fuere . Inter ea ſequens capitulum habetur . *Volumus etiam, ut Miſſi conſtituantur à Domno Apoſtolico, & à nobis , qui annuatim nobis renuncient , qualiter ſinguli Duces , & Judices juſtitiam populo faciant , & quomodo noſtra conſtitutio ſervetur . Decernimus itaque , ut primùm omnes clamores , qui negligentiâ Ducum , aut Judicum fuerint , ad notitiam Domni Apoſtolici referantur , ut ſtatim , aut ipſe per ſuos Nuntios eoſdem emendare faciat , aut nobis notificet , ut legatione à nobis directâ emendentur .* In alio quoque capitulo ſic dicitur : *Placuit etiam nobis , ut cuncti Duces , & Judices , ſive alii , qui cæteris præeſſe debent in noſtram præſentiam , dum Romæ ſumus , conveniant ; volumus enim , & numerum , & nomina ſcire , & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere .* His capitulis probari putant Ludovicum Pium ſummam poteſtatem in Eccleſiæ Romanæ ditionem obtinuiſſe . Verum Cointius in Francorum annalibus Eccleſiaſticis ſcitè nos admonet , ea omnia à Lothario conſtituta fuiſſe , non tanquam ſupremo domino , ſed uti Eccleſiæ Romanæ Advocato ,

atque

Apud Bollād. die 20 Janu. cap. 1.

Annal Bertiniani, & Eginard. an. 824.

Holſten. Coll. Rom. par. 2. pag. 209.

Holſten. Coll. Rom. part. 2. pag. 211.

Coint. Annal. Eccleſ. Franc. an. 824. n. 10. & 11.

atque defenſore, quo nomine Francorum Reges, & Imperatores Urbis,Eccleſiæque Romanæ tranquillitati quolibet tempore, non tantùm per Legatos, ſed etiam per ſe, quando res exigebat, diligentiſſimè ſtudebant. Sanè qui ſumma poteſtate præditi ſunt, leges ſuas benevolo aſſenſu beneficiariorum non edunt, uti Lotharium feciſſe ſcribitur in laudatis Annalibus.

CXXXII. Quia verò his capitulis maximè delectantur, qui ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium oppugnant, lubet aliqua ex eiſdem ſubtexere. *Præcipimus etiam*, inquit Lotharius, *ut deprædationes in confinio noſtro non fiant; quæ factæ ſunt, & cæteræ injuſtitiæ, ſecundùm legem ab utriſque partibus emendentur*. Diſertè his verbis diſtinguitur, ut Cointius advertit, ditio Romanę Eccleſiæ ab Italiæ Regno, & Lotharius tamquam illarum protector, harum verò dominus, ne quid in utrarumque confiniis injuſtè fieret, & ſi quid injuſtè jam factum fuiſſet, illud præcepit emendari. In alio capitulo ſic ſtatuitur: *Volumus etiam, ut omnis Senatus, & Populus Romanus interrogetur, quali vult lege vivere, ut ſub ea vivat; eiſque denuncietur, quòd procul dubio, ſi offenderint contra eamdem, eidem legi, quam profitebuntur, diſpoſitione Domni Pontificis, & noſtra omnimodis ſubjacebunt*. Hinc autem clarè colligitur capitularia Regum Francorum à Romanis, & à Summis Pontificibus, ad Cæſaream majeſtatem honorandam, ſpontè ſuſcepta fuiſſe, ideòque nullum argumentum adversùs ſummam Romani Pontificis poteſtatem erui poſſe ex *capite* IX. *diſt*. X. & ex *capite Nos ſi incompetenter* II. *quæſt*. VII. in quorum primo Leo IV. capitula Imperatorum irrefragabiliter ſe conſervaturum fore pollicetur, quippè quia jam illa, tam Romani Pontifices, quàm Senatus Populuſque Romanus ſpontè ſuſceperant: in altero autem non ſubjectionis causâ, ſed, ut Gratianus adnotat, *humilitatis diſpenſatione*, ait Leo IV. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & ſubditis juſtæ legis tramitem, non conſervavimus, veſtra, ac Miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio*; nam voluntaria, ut Pontifex clarè innuit, non neceſſaria erat iſta Cæſarei judicii acceptatio, ſeque ab Imperatore poſtulare Miſſos, non verò ſupremi dominii jure deſtinatos admittere, diſertè Leo IV. teſtatur his verbis, *Inde magnitudinis veſtræ magnopere clementiam imploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda, Miſſos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum ſi veſtra præſens fuiſſet Imperialis gloria) diligenter*

Holſten. Coll. Rom. part. 2. pag. 210.

Holſten. Coll. Rom. part. 2. pag. 210.

genter exquirant; *& non tantùm hæc ſola, quæ ſuperiùs diximus, quærimus, ut examuſſim exagitent, ſed ſive minora, ſive etiam majora illis ſint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in poſterum nihil ſit, quod ex eis indiſcuſſum, vel indefinitum remaneat.*

CXXXIII. Objiciunt quoque Ludovici II. Imperatoris geſta Romæ adversùs Gratianum Magiſtrum militum, de quo ipſi nunciatum fuerat, palàm dixiſſe, *Franci nihil nobis boni faciunt, neque adjutorium præbent, ſed magis quæ noſtra ſunt, violenter tollunt. Quare non advocamus Græcos, & cum eis fœdus pacis componentes, Francorum Regem, & gentem de noſtro regno, & dominatione expellimus.* Ludovicus enim Imperator, Romam veniens, judicium quidem unâ cum Pontifice inſtituit adversùs Gratianum; ſed repetenda hic ſunt, quæ ſupra num. CXVI. diximus, lege, ſcilicet, perpetui fœderis inter Apoſtolicam Sedem, & Gallicanam Nationem dudum initi, non pauca licuiſſe Imperatoribus in Eccleſiaſtica ditione, præſertim ſi ad fœderis ſtabilitatem, & ad communem fœderatorum utilitatem ſpectarent, quemadmodum erat comminata Francorum expulſio, de qua Gratianus accuſabatur. Hoc autem fœdus, non verò ſubjectionem ullam exprobarunt Græci Apoſtolicæ Sedis Legatis petentibus, ut Bulgariæ Eccleſiæ Romano Pontifici ſubderentur, nam ut Anaſtaſius Bibliothecarius in narratione de actis generalis ſeptimæ Synodi ſub Adriano II. refert, eiſdem reſponſum fuit, *Satis indecens eſt, ut vos, qui Græcorum imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in Regno noſtri Principis ordinandi jura ſervetis.* Præterea apud Anaſtaſium Bibliothecarium Ludovicus malè audit. *Quòd immenſo furore accenſus, ſine literis etiam ad Romanum directis Pontificem, & Senatum, Romam venire velociter procuravit*, ex quibus verbis, & aliis veterum Scriptorum locis conſtat, Francorum Reges, & Imperatores Romam venturos, de eorum conſilio literas priùs Pontifici, ac Senatui dediſſe, quod officii genus non præſtitiſſent, qui ſummo in eoſdem imperio præditi eſſent.

Anaſt. Bibl. in Leone IV. pag. 292. 293.

Anaſt. Bibl. in Adriano II. pag. 343.

CXXXIIII. Hæc omnia majorem ex Joannis VIII. literis lucem accipient. Maximis Eccleſia Romana ſub hoc Pontifice calamitatibus angebatur, cùm Saraceni per ipſius Urbis territorium incurſiones facerent, & Spoleti, Tuſciæque Marchiones non modò Romanam Provinciam, ſed & Pentapolim ipſam, atque

Exar-

Exarchatum ita infeſtarent,ut pejores ipſis Saracenis,quemadmodum Joannes VIII. ait,eſſe viderentur. Marchas theutonico nomine vocabant Francorum Reges limitaneas ſuorum regnorum provĩcias, earumque Gubernatores Marchionum appellatione à reliquis Regni Ducibus, atque Comitibus diſtinguebantur. In Ducatus Romani, & Exarchatus confinio Marchiones diſpoſiti erant, non autem in Tuſciæ, & Spoletani Ducatus finibus, utpotè quia regiones iſtæ à ſummo Imperatorum, aut Italiæ Regum imperio pendebant; quamobrem haud incerto argumento hinc quoque deducitur, Apoſtolicam Sedem pleno dominio Romanam Provinciam, Exarchatum, atque Pentapolim poſſediſſe. Marchiones iſti Romam versùs Tuſciæ, ac Spoleti Duces erant, ab Exarchatus verò parte, Veronæ, & aliarum fortaſſe urbium Comites, nàm quominus in una Marchia plures eſſent Marchiones, nil vetabat. Ab hiſce,ut diximus,Marchionibus Romana Eccleſia,eique ſubjecti populi plurima damna patiebantur: nam licèt Carolus Calvus Spoleti Ducatum, ut num. cxxi. obſervavimus, Eccleſiæ Romanæ ex toto reddidiſſet, ac ejus factũ non modò Pontigonenſis Concilii Patres confirmaſſent, verùm etiam Anſegiſus Senonenſis, & Adelgarius Auguſtodunenſis Archiepiſcopi Romam ab eodem Carolo ablegati fuiſſent, ut Marchiones compeſcerent, & conſequenter Spoleti Duces ad obedientiam Pontifici præſtandam inducerent, iidem tamen Duces, qui præ cæteris Marchionibus bellica virtute,& ditionis amplitudine pollebant, Carolo Calvo morem brevi admodum tempore geſſerunt(conſtat enim Lambertum Spoleti Ducem,ac Widonem fratrẽ unâ cum Joanne VIII. Trajectum paulò poſt Caroli Calvi coronationem iviſſe, ut Capuanos, Cajetanos, Amalphitanos, Salernitanos, ac Neapolitanos à Saracenorum amicitia divellerent)mox verò tantùm abfuit, ut Pontificibus ſubderentur, ut nec eidem Carolo Calvo, neque Carolo Craſſo ejus ſucceſſori parere, multòque minus à vexanda Romanæ Eccleſiæ ditione ceſſare voluerint, donec poſt Caroli Craſſi obitum imperium ipſum invaſerint. Ad auferendum itaque Romanæ Eccleſiæ ſummum imperium in univerſam ditionem ſuã, fruſtrà adducuntur Joannis VIII. Epiſtolæ, in quibus utrumq; Carolum ad Marchiones ſollicita Miſſorum delegatione, vel ſuomet adventu in ordinem redigendos,Pontifex excitat, cum ſibi ſatis virium ad id perficiendum nequaquam ſuppeteret.Agebatur enim de coërcendis, puniendiſque Italici Regni Ducibus, atque Comitibus,

Petrus de Marca lib. 3. de Marca Hiſp. cap. 9. et 19. Sigon. de Regno Italiç lib. 4.

Herempertì Hiſt. cap. 39.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 25.

K 2 ac de

ac de expellendis Saracenis ab Urbana Provincia. Id muneris ad Imperatores tamquam Romanæ Eccleſiæ Defenſores, &, ut Italici Regni Dominos, pertinebat; ideòque auxilium adverſus eoſdem jure, ac meritò Joannes VIII. à Carolo Calvo, & à Carolo Craſſo, qui Longobardiæ dominabantur, poſtulabat, non quòd Imperatores pro ſupremis Eccleſiaſticæ ditionis dominis haberet, ſed ut ab ipſis debitum Advocatiæ, ac defenſionis officium exigeret.

CXXXV. Romanus Ravennæ Archiepiſcopus, cum varios ejuſdem urbis optimates, ablatorum Eccleſiæ ſuæ bonorum prætextu, vexaret, à Carolo Craſſo obtinuit, ut Albericus Comes ad eas lites dirimendas, Joanne VIII. penitùs ignorante, Ravennam iret. Indignatus eâ de re Pontifex ita ad Romanum ſcripſit. *Quia multi Nobilium Ravennatium crebris dumtaxat querimoniis Apoſtolatus noſtri aures pulſare non deſinunt, circa te clementiæ noſtræ benevolentia commota non immeritò habetur. Nam ut cætera omittamus, quia Albericum Comitem, quaſi ex parte Imperiali, Ravennam adſciſcere, & Nobiles Cives ipſius, nobis inconſultis, auſu temerario diſtringere enormiter coëgiſti, miramur, eò quòd te adverſùs tuam promiſſionem, jurejurando coram nobis, & Sede Apoſtolica prolatam penitùs egiſſe cognoſcimus. Pro quo nimirum te valdè cavere oportet, ne pro talibus tuâ te ſententiâ, velut tranſgreſſorem ulciſcamur &c. Tamen cum nos, Deo volente, Neapoli, quò nunc proficiſcimur, fuerimus reverſi; & aut tu ſecundùm noſtram tibi juſſionem directam, Romam veneris, aut nos, vel Miſſus noſter, iſtas in partes venerimus, plenariam de omnibus, quæ tuæ Eccleſiæ cognoverimus eſſe neceſſaria, juſtitiam omnimodo faciemus.* Supremi dominii jura tuentis hæc uerba ſunt, non beneficiarii, aut Vicarii, qui ſui domini mandatis obſequi debeat. Joannes Romanum perjurii accuſat, quia, nimirum, in conſecratione ſua, de propugnandis Eccleſiæ Romanæ juribus ſacramentum emiſerat. Pro injuſto itaque habitum fuit, quòd inſcio, & non poſtulante Summo Pontifice, Miſſi Auguſtales in Eccleſiæ Romanæ ditionem venirent. Pontifex quòque Ravennam, *quaſi ex parte Imperiali* acceſſiſſe Albericum ait, ut injuſtè ab Imperatore miſſum fuiſſe indicaret; nam & Conſtantinum Faventię Epiſcopum contra Canones electum, *quaſi ad Epiſcopalem honorem* promotum fuiſſe, in altera epiſtola dicit. Præterea Joannes Ravennã ſtatim miſit Leonem Gabinenſem Epiſcopũ Apoſt. Sedis Legatum, ut de controverſiis illis dijudicaret, licet Albericus Comes de eiſdem judicium inchoaſſet, ut ex altera ejuſdem Pontificis epiſtola,

Joan. VIII. epiſt. 271.

Joan. VIII epiſt. 274. & 276.

la, paulò poſt exarata, liquet, in qua tàm Leoni, quàm Imperatoris Miſſis, cunctiſque Ravennatibus jubet, ut Romanum cohiberent, ne in bona Deuſdedit Ducis Ravennæ odium, quo ipſum proſequebatur, exerceret. Pontificis autem mandata executa fuiſſe indè colligitur, quòd nullæ amplius eo de negotio querelæ in toto Joannis VIII. epiſtolarum regeſto appareant. Omittendus non eſt alter epiſtolarum Joannis VIII. locus, in quo Lambertum Spoleti Ducem increpans, quòd Romam venire comminaretur, ut Apoſtolicæ Sedi rebelles, deque variis delictis damnatos homines, reſtitueret, ſic ait, *Audivimus quòd inimicis, & infidelibus noſtris per cujuſdam exhortationem cupiatis ferre ſolatium, atque Romam venientes ſuis eos rebus, & beneficiis, contra noſtram etiã voluntatem, inconvenienter reſtituere debeatis, quòd nullus Imperatorum, vel Regum, aut Comes anteceſſoribus noſtris feciſſe recolitur.* Hoc autem Joannis effatum à vero alienum eſſe, quis haud immeritò judicaverit, cum in antiquis Annalibus legatur, interdum quidem Italiæ Reges, interdum verò Auguſtales Miſſos, Romæ ſimilia peregiſſe. Notanda itaque ſunt illa Joannis verba, *Contra noſtrã etiam uoluntatem*, ex quibus clarè dignoſcitur, tam Italiæ Reges, quàm alios Miſſos, de voluntate Pontificum, ope atque auxilio indigentium, ab Imperatoribus deſtinatos fuiſſe, non ratione ſummi imperii, ſed defenſionis, ac tuitionis, quam in neceſſitatibus ſuis Romanæ Eccleſiæ præſtare tenentur. Quomodo enim ſummum imperium eſſe poſſet, quod ab alterius voluntate penderet?

Joan. VIII. epiſt. 72.

CXXXVI. Quòd nummos cum Imperatorum nominibus Romani Pontifices cuderint, eos ſummâ in ditionem ſuam poteſtate caruiſſe non indicat. Etenim in Doctorum virorum cimeliis extant Leonis III. denarii cum S. Petri tantùm imagine, & inſcriptione D.N.LEONI PAPE, quorum ectypum exhibet Alamannus. Quinarios quòque ejuſdem formæ præ manibus habui. Joannis VIII. monetam, ſine Imperatoris nomine, edidit Gallus ille anonymus, qui anno MDCLXXXIX. diſſertationem de monetis à Carolo Magno, ejuſque ſucceſſoribus Romæ cuſis, vulgavit. Itaque non ſupremi dominii jure, ſed ad honorandos Auguſtos Rom. Eccleſiæ defenſores, & Advocatos, morem conjungendi in nummis eorum nomina cum Summorum Pontificum nominibus, inductum fuiſſe dicendum eſt; alioquin nulla varietas in eiſdem deprehenderetur. Præterea nullum certum argumentum ex nummis hiſce ad probandum, quod intendunt, deduci poteſt; ſiquidem memoratus Anonymus,

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papaan. 1708. pag. 19.

Alaman. de Pariet. Lateran. pag. 102. & 110. Diſſert. Hiſtorique ſur les monoyes de Charle Magne &c. pag. 73. & 137.

mus,atque Alamannus plures Romani Senatus monetas proferunt, interque eas unum Caroli Neapolitani Regis, Romani Senatoris nummum, abſque Summi Pontificis nomine. Alterius quoque monetę cum Crucis tantùm ſigno,& inſcriptione S.P.Q.R. in poſtica parte, mentionem facit Turrigius; & tamen liquidò conſtat, tàm Senatum, quàm Carolum Regem ſubjectionem ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio profeſſos fuiſſe.. Cæterum nil opus eſt diutius immorari in confutandis antiquis Scriptoribus, qui Carolum Magnum ejuſque ſucceſſores Italia tota, & ipſa Roma potitos fuiſſe, aſſerunt, cum ex iis, quæ hactenus diximus, contrarium evidenter appareat; & aliòquin eorum nonnulli Italiam pro Longobardia accepiſſe videantur; plerique verò panegyriſtarum more locuti ſint, ac præterea,vel de Caroli Magni per Italiam, à qua longè aberant, dominio non benè inſtructi fuerint, vel defenſionem, quàm Imperatores Eccleſiæ Romanæ præſtare tenentur, pro ſummo in ejuſdem Eccleſiæ ditionem imperio perperam acceperint.

Turrig. de Crypt. Vaticanis pag.461.

CXXXVII. Poſt Caroli Craſſi obitum,quem Caroli Calvi,& anteceſſorum donationes,Eccleſiæ Romanæ factas,confirmaſſe vidimus num.xiv. inteſtinis bellis æſtuante Italia,licet Romani Pontifices ditionis ſuæ poſſeſſione majori ex parte ob populorum rebellionem decidiſſent; nihilominus ab Imperatoribus, ex Italica natione tunc electis,præcedentium Imperatorum donationes confirmari curarunt, cùm ut jura ſua illibata ſervarent, tùm etiam, ut eos ad recuperanda, quæ amiſerant, jurejurando obligarent, ut de Lamberto, & Berengario vidimus num. xvi. & ſeqq; nam præter alia ibi notata,Pagi,quos Berengarium Eccl. Romanæ donaſſe vetus Poëta refert, non pro villis,ac prædiis, ſed pro civitatibus, ac provinciis accipi debent, quemadmodum Cæſar Helvetiam in vi. pagos partitam fuiſſe ait, & Flodoardus, aliique auctores Virdunenſem, Silvanectensẽ, Laudunensẽ pagos,earum civitatum territoria atq; provincias appellare ſueverunt. Joannes XII. ut tot,tantiſque Italiæ calamitatibus remedium afferret, & ablata Eccl.Romanæ recuperaret,Ottoni Germaniæ Regi imperium obtulit. Extat apud Gratianum,& in multis antiquis codicibus juramentum, quod Otto, imperium accepturus, edidit, in quo inter alia ſic Joanni Papæ promittit, *In Romana Urbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, ſine tuo conſilio. Et quidquid in noſtram poteſtatem de terra Sancti Petri pervenerit, tibi reddam. Et cuicumque Regnum Itali-*

Cæſar.lib.1. de bello Gallico Flodoard.in Chron.an.939 & 948.

Decr. Grat. diſt.63. cap.33.

cum

cum commiſero, jurare faciam illum, ut adjutor tui ſit ad defendendum terram S. Petri ſecundùm ſuum poſſe. Romam deindè veniens Otto, quod in Germania pollicitus fuit, edito ſolemni diplomate, in coronationis actu confirmavit. Diploma iſtud ſimile prorſus eſt ei, quod Ludovicus Pius edidit ſine ulla ſupremi dominii reſervatione, ut num. CXIX. probavimus. Perperam enim nonnulli opinantur in additionibus, quas Ludovici Pii diplomati fecit Otto, ſupremum dominium exceptum fuiſſe, his verbis, *Omnium, quæ ſuperiùs leguntur, ideſt, Provinciæ, Civitates, Urbes, oppida, caſtella, territoria, & patrimonia, atque inſulæ, cenſuſque, & penſiones, ad partem Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli, atque Pontificum in ſacratiſſima illius Sede reſidentium, nos in quantum poſſumus, defenſores eſſe teſtamur, ad hoc, ut ea in illius ditione ad utendum, & fruendum, atque diſponendum firmiter valeant obtinere; ſalva in omnibus poteſtate noſtra, & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum, ſecundùm quòd in pacto, & conſtitutione, ac promiſſionis firmitate Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius continentur, ideſt, Ut omnis Clerus, & univerſa Populi Romani Nobilitas propter diverſas neceſſitates Pontificum, irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obligent, quatenus futura Pontificum electio (quantùm uniuſcujuſque intellectus fuerit) canonicè, & juſtè fiat, & ut ille, qui ad hoc Sanctum, atque Apoſtolicum regimen eligitur, nemine conſentiente, conſecratus fiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri, ſeu univerſæ generalitatis, faciat promiſſionem, pro omnium ſatisfactione, atque futura conſervatione, qualem Domnus, & venerandus Spiritualis Pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur*. Sequuntur autem alia capitula nobis num. CXXX. & ſeqq. relata, quæ Eugenius II. unâ cum Lothario Italiæ Rege ſancivit. Verùm, ſi attente Ottonis verba conſiderentur, evidenter patebit, reſervationem illam non ad antecedentia, ſed ad ſubſequentia ſpectare, ita ut ad evitanda mala multa, quæ ob populorum pervicaciam, ſuo potiſſimum tempore vigebant, Joannes XII. aſſenſerit, ut Otto tamquam Eccleſiæ Romanæ defenſor, & Advocatus, iis facultatibus præditus eſſet, quibus Ludovicus Pius ſpontaneâ Eugenii II. conceſſione pro Romanæ Eccleſiæ utilitate potitus fuerat.

CXXXVIII. Ottonem ſanè Magnum Apoſtolicæ Sedi ablata ſtatim reſtituiſſe, num. XX. Luitprandi teſtimonio probavimus; verùm promiſſa tunc plenè Ottonem non exolviſſe, liquet ex laudatę *Luitprand. lib.6. cap.6.*

ibidem

ibidem ejuſdem hiſtoriæ loco, in quo legimus, Joannem XII. apud Ottonem per Nuntios ſuos conqueſtum fuiſſe, *Quòd promiſſionis ſuæ fidem violaret, dum eos, qui eò loci manebant, non ipsi, ſed ſibi juramento aſtringeret*, ideoque Adelbertum Italiæ Regem adverſus eumdem Romam evocaſſe. Acceptis Papæ literis Otto, quo tempore Berengarium Adelberti patrem in Monte Feretrano obſidebat, ita Joanni XII. reſpondit, *Omnem terram S. Petri, quæ noſtræ poteſtati proveniret; Eccleſiæ promiſimus reddere, atque id rei eſt, quod ex hac munitione Berengarium cum omni familia pellere laboramus. Quo enim pacto terram hanc ei reddere poſſumus, ſi non priùs eam ex violentorum manibus ereptam, poteſtati noſtræ ſubdamus.* Romam deinde veniens Otto, quamvis fugiente Joanne XII. unâ cum Adelberto, Urbem Romanis annuentibus, occupaverit, & ab eis fidelitatis juramentum, ac inſuper promiſſionem à Clero, & populo, de non eligendo citra aſſenſum ſuum Pontifice, exegerit, ac mox coacto conciliabulo, Joannem XII. depoſuerit, & Leonem VIII. elegerit huic tamen fidelitatem, ac ſubjectionem populus Romanus, Ottone ipſo non renuente, juxtà antiquam conſuetudinem à Gregorii III. temporibus exacte obſervatam, juravit, ac præterea idem quoque Imperator anno DCCCCLXVII. Joanni XIII. urbem, & terram Ravennatium, aliaque complura, multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata, reddidit, ut antiquus Reginonis Continuator num. xx. relatus diſerte teſtatur.

Luitpr. lib.6. cap.6. pag.628.

Luitpr. lib.6. cap.10. & 11.

CXXXIX. Poſt Ottonis Magni obitum Summis Pontificibus libera, plenaque ditionis Eccleſiæ Romanæ poſſeſſione ob pertinaces populorum rebelliones frui non licuit; id quod Imperatorum culpâ accidit, quippe qui pleroſque Apoſtolicæ Sedis rebelles populos ſuo dominio ſubdere potiùs, quàm ad antiquam Romanorum Pontificum ſubjectionem, prout injunctum ipſis Eccleſiæ Romanæ Advocati, ac Defenſoris munus poſtulabat, revocare voluerint. At verò ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium in univerſam ditionem ſuam nulla præſcriptione tunc temporis deletum fuiſſe, validiſſimis argumentis evincitur. Dominium quippe ab Imperatoribus tunc uſurpatum frequentiſſimis mutationibus obnoxium fuit, nunquam verò in univerſam Romanæ Eccleſiæ ditionem invaſit: nonnullæ ſiquidem civitates libertatem, licet injuſtè acquiſitam, diuturno tempore retinuerunt; aliæ conſtantiam in Pontificibus debita ſubjectione ſervarunt; pleræque modo Pontificibus, modo Imperatoribus ita obſecutæ ſunt, ut ex intermiſſa ſæpe poſ-

poſſeſſione præſcriptio nulla oriri potuerit. Prætereâ Summi Pontifices in novorum Cæſarum coronationibus donationes anteceſſorum confirmari curabant. Et Henricus quidem ſecundus iiſdem prorſus, quibus Otto Magnus, verbis uſus fuit; an autem illam ipſam formulam eorum ſucceſſores adhibuerint, non liquet, tametſi ambigi nequeat, eos Eccleſiæ Romanæ privilegia confirmaſſe. Nam licet Henricum V. in ſchedula promiſſionis, quam pro componenda inveſtiturarum controverſia fecit, Paſchali II. generatim in hæc verba ſpopondiſſe legamus. *Patrimonia, & poſſeſſiones Sanctæ Rom. Eccleſ. quæ abſtuli, reſtituam, & cuncta, quæ habere debet, more anteceſſorum meorum recuperare, & tenere adjuvabo*; & quamvis etiam idem Imperator in ſcripto, quo Epiſcopatuum inveſtituras an. MCXXII. damnavit, Calixto II. ita promiſerit, *Poſſeſſiones, & regalia Divi Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernam diem, ſive tempore patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem S. Rom. Eccleſiæ reſtituo, quæ autem non habeo, ut reſtituantur, fideliter juvabo*; tamen ex alia conventionum ſchedula, quam Petrus Leonis an. MCX. eidem Henrico obtulit, lucidè apparet, tam Romanum Pontificem, quàm Imperatorem, ad Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. donationem reſpexiſſe; conventum enim in eâ ſchedulâ fuit, ut Henricus *Patrimonia, poſſeſſioneſque B. Petri reſtitueret, ſicuti à Carolo, Ludovico, Henrico, aliiſque Imperatoribus conceſſa ſunt libera, ſervaretque ea B. Petro pro viribus*. Utcunque tamen res fuerit, ex adductis Imperatorum confirmationibus conſtat, Romanos Pontifices, etſi per eas plenum amiſſarum provinciarum dominium plerumque nacti non fuerint, illas tamen animo ſemper poſſediſſe, nullamque præſcriptionem inductam fuiſſe in jura ſummæ poteſtatis, quam ante Imperii reſtitutionem acquiſiverant, & longo deinceps tempore integram illibatamque Eccleſiæ Romanæ ſervaverant. Lotharius II. priuſquam Imperii coronam acciperet, Innocentio II. tale juramentum præſtitit; *Ego Lotharius Rex promitto, ac juro, tibi Domino Papæ Innocentio, tuiſque ſucceſſoribus ſecuritatem vitæ, & in membris, & malæ captionis, & defendere Papatum, & honorem tuum, & Regalia Sancti Petri, quæ habes manutenere, & quæ non habes, juxta meum poſſe recuperare*. Conradum III. id ipſum feciſſe teſtatur Otto Friſingenſis in Chronico, cum inquit, *Venientes ad ſe ex parte Romanæ Eccleſiæ viros magnos, & claros, quorum unus Guido Piſanus ejuſdem Curiæ Cardinalis, & Can-*

Baro. an. 1111. pagin. 79. edit. Rom.

Baron. ann. 1122. pag. 151.

Baron. ann. 1110. pag. 71.

Baron. ann. 1133. pag. 225.

Otto Friſing. lib. 1. cap. 28.

& Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum poſtulantes, honorificè ſuſcepit, & honeſtè dimiſit. De ſimilibus Federici I. & Henrici VI. confirmationibus locuti ſumus nu.XXXVIII. & XLII. Nil itaque adverſus Apoſtolicæ Sedis jura in calamitoſiſſimis illis Eccleſiæ Romanæ temporibus præſcriptum fuit.

CXL. Hoc ipſum aliis argumentis, ex diſſertatione noſtrâ petitis, comprobatur. Gregorius V. ann. DCCCCXCV. & DCCCCXCVI. nec non Joannes XV. in proximè antecedentibus annis Ravennati Eccleſiæ Exarchatum, atque Comaclum ipſum, confirmarunt. Arnaldi Archiepiſcopi Rom. Eccl. rebellis ſucceſſores, interque eos Guibertus ipſe, qui poſtmodũ Antipapa fuit, fidelitatem Summis Pontificibus de Eccl. Ravennatis regalibus jurarunt. Leo IX. in Synodo Vercellis habita ann. ML. *Hunfridum Archiepiſcopũ Ravennatem pro quadam inter Ravennatem, & Romanam Eccleſiam contentione ab officio ſuſpendit*, teſte Hermanno Contracto, quæ ſanè contentio de Exarchatus dominio fuiſſe videtur. Paſchalis II. in Guaſtallenſi Concilio an. MCCVI. inter alia Ravennatibus Archiepiſcopis, ob diuturnam rebellionem, Exarchatum ademit, quem tamen Gelaſius II. an. MCXIX. Honorius II. ann. MCXXV. & Innocentius II. an. MCXXXIII. eiſdem, ad Romanę Eccl. obedientiam redeuntibus reſtituerunt. Prȩterea Calixtus II. in Concilio Lateranenſi anno MCXXII. juribus Eccl. Ravennatis, adeoque Apoſtolicæ Sedis, in Exarchatum conſuluit, edito canone, cujus hæc ſunt verba. *Alienationes, quæ ſpecialiter per Ottonem, Guidonem, Hierȩmiam, ſeu fortè Philippum* (Archiepiſcopos, ſcilicet, Ravennates) *ubilibet de poſſeſſionibus Ravennatis Exarchatus factæ ſunt, damnamus*. Denique præſcriptioni ſummi imperii, ad Eccleſiam Romanam pertinentis, officit fidelitas, atque ſubjectio, quam nonnullæ Exarchatus urbes Apoſtolicæ Sedi, mediis inter Ottonem I. & Innocentium III. tẽporibus, præſtiterunt, ut de Imolenſibus, de Maſſa fiſcalia, atque Ferraria vidimus; præterquamquod diſſidia illa, quæ ob occupatam Eccleſiæ Romanæ ditionem, inter Summos Pontifices, atque nonnullos illius ævi Imperatores non rarò exorta fuerunt, ſatis ſuperque demonſtrant, nullam prȩſcriptionem adverſus Eccleſiæ Romanæ ſummum imperium inductam fuiſſe, eò præſertim, quod Federicus I. in tractatu pacis Venetiis habito, an. MCLXXVII. Exarchatum, aliaque cuncta Romanæ Eccleſiæ ablata, Alexandro III. reſtituerit, & Henricus VI. ann. MCXCVII. eadem in teſtamento ſuo Apoſtolicæ Sedi reſtitui mandaverit.

Vide num. 23. & 24.

Vide num. 31.

Herman. Cõtr. in Chron.

Vide num. 36.

Concil. Lateran. 1122. can. 32.

Vide num. 31. 32. 33.

CXLI.

CXLI. Innocentius itaque tertius imperii jura non invaſit, ſed ſummam poteſtatem ab Apoſtolica Sede, tam antè, quàm poſt reſtitutum Occidentis Imperium legitimè poſſeſſam, & nullo unquam tempore ab Imperatoribus præſcriptam, in integrum reſtituit, cum anno MCXCVIII. expulſis Theutonicis, univerſam propemodum Eccleſiæ Romanæ ditionem recuperavit, & ab Ottone IV. ac Federico II. editis cum ante, tum poſt eorum coronationem diplomatibus, ac juramentis, non generalibus verbis, ſed cum ſpeciali ſingularum Provinciarum enumeratione, Apoſtolicæ Sedi confirmari curavit. Federici II. confirmationi univerſæ Germanicæ nationis aſſenſus acceſſit, non modo ſub Innocentio III. verùm etiam ſub Honorio III. ejuſdem ſucceſsore in ſolemni Curia ann. MCCXVIII. apud Francofordiam celebrata, ut num. XLVIII. oſtenſum fuit.

CXLII. Quin & ipſum Federicum II. quantumvis acerrimus eſset Romanæ Eccleſiæ hoſtis, eamque injuſto, impioque bello perſequeretur, ſummum tamen ejuſdem imperium agnoviſſe patet ex inedita ejus epiſtola, quam an. MCCXLIV. ad univerſos per Chriſtianum orbem Principes exaravit, cùm Innocentius IV. ejuſdem inſidias metuens, è Sutrina Urbe, quò pro componenda cum ipſo, in vicinis locis commoranti, concordia ſeſe contulerat, Centumcellas mediâ nocte ſeceſſit, indeque Januam primùm à Januenſium Claſse vectus, deindè Lugdunum migravit. In ea epiſtola Federicus de Innocentii IV. fuga conqueritur, deindè jura exponens, quæ Auguſtalis dignitatis nomine in univerſam Eccleſiæ Romanæ ditionem ſibi competere jactabat, ſic inquit. *Volumus etiam declarari, & ſpecificari jura noſtra, quæ habemus, & habere debemus in Marchia, & Ducatu, & alia terra, quam Eccleſia tenet, videlicet de exercitu, cabalcata, & parlamento, mercato, & procuratione, quæ nos tanquam Advocati, Patroni, & Defenſores Eccleſiæ habere debemus de terra prædicta &c.* Et inferius, *Super declaratione facienda ſuper jure, quod habemus in terra Eccleſiæ petivimus expreſsè apponi de exercitu, parlamento, cabalcata, fodro, & procuratione, aut ſi prædicta expreſſim deſignare noluerint, contenti ſumus, quòd ſerventur nobis ea omnia, quæ Principes Imperii habent in terris Eccleſiarum, quarum ipſi ſunt Advocati, & ſuper hoc ſtabimus teſtimonio Principum prædictorum.* Federicus prætenſa Imperii jura ab Advocatia, & protectione, quam Eccleſiæ Romanæ præſtare debent Auguſti, non autem

Federici II. epiſt. in Arch. Caſtri S. Angeli, & in ſcripto Cod. Vat. ſign. num. 4957. fol. 19.

tem

tem à ſumma in ejuſdem ditionem poteſtate repetit, ſeque cum aliis Germaniæ Principibus Eccleſiarum Advocatis comparans, nil amplius à Romana ſibi concedi poſtulat, quàm quod illi à Germaniæ Eccleſiis exigerent. Injuſta quidem erant Federici poſtulata; nam in privilegiis, & juramentis, quæ coronationis ſuæ tempore emiſerat, nil ſibi conceſſum, aut reſervatum fuerat, præterquam procurationes, ſeu fodrum, de Summi Pontificis mandato, non auctoritate propria, tunc tantummodò colligendum cum Imperii coronam accepturus, vel pro Eccleſiæ neceſſitatibus à Summis Pontificibus vocatus accederet. Advocati quòque Eccleſiarum Germaniꝫ,& aliarum regionum ex pacto,& conventu juribus illis ad Eccleſiarum utilitatem in earum ditionibus, dominio apud Prælatos ſemper remanente,fruebantur. At Summi Pontifices nunquam de Advocatia cum Imperatoribus pepigerunt, quinimò Federicum II. talia ſibi Advocatiæ nomine injuſtè aſſerentem, cenſuris, & Auguſtalis dignitatis privatione mulctarunt: tanta enim eſt Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Romanæ dignitas, atque amplitudo, ut piiſſimi Cæſares honorem inſerviendi Beato Petro, Eccleſiæque Romanæ pro maxima obſequii, præſtitique miniſterii mercede reputaverint, tantumque ab fuerit, ut Summos Pontifices pro Imperii beneficiariis habuerint, ut Civitates potius, atque oppida, regnaque ipſa, fiduciario jure à Summis Pontificibus accipere, haud alienum à ſua dignitate putaverint: Lotharium enim ſecundum allodia,quꝫ Mathildis Comitiſſa Eccleſiæ Romanæ legaverat, ab Innocentio II. in feudum cum annui cenſus penſione recepiſſe conſtat, immo & ipſe Federicus II. pari conditione Neapolitanum Regnum ab Apoſtolica Sede poſt adeptum Imperium retinens, debitum eidem cenſum perſolvit, teſte Innocentio IV. in Bulla, qua ipſum ob invaſam Eccleſiæ Romanæ ditionem, aliaque crimina, Imperio dejecit: Summos autem Pontifices, Feudi jure quidpiam ab Imperatoribus nactos fuiſſe nunquam reperias,cum in Imperatorum diplomatibus,atque etiam in memoratis Imperii Principum approbationibus, cunctæ Provinciæ, ac Urbes, quas Romana Eccleſia poſſidet,*cum omni juriſdictione diſtrictu, & honore ſuo, de voluntate, & conſcientia, conſilio, & conſenſu Principum Imperii in perpetuum* Summis Pontificibus liberè, & abſque ulla ſupremi dominii reſervatione, confirmentur, atque reſtituantur.

Vide in Append. pag. 13. 16. 17. 18.

Petrus de Marca de concordia lib. 1. cap. 12. num. 1. Magerus de Advocatia armata.

Baron. an. 1133 tom. 12. pag. 225.

Apud Rainald an. 1245. n. 43

CXLIII. Jam verò Nicolai III. temporibus ſummum Apo-

ſtolicæ

ſtolicæ Sedis imperium, quod Federicus II. aliique ejus anteceſſores agnoverant, Rodulphus quòque Cæſar, piiſſimus Auſtriacæ majeſtatis auctor, iterum iterumque probavit, accedente ſeptem Imperii Electorum, & duorum aliorum Germaniæ Principum, necnon totius, ut claris indiciis colligitur, Nobiliſſimæ Germanicæ Nationis aſſenſu, de qua re latè egimus numero LVII. & ſeqq. Cum itaque poſt Innocentii III. tempora tot Imperatorum diplomatibus, triplicique cunctorum Germaniæ Principum approbatione, quam pro lege, atque conventione nunquam infringenda apud Germanos haberi exploratiſſimum eſt, Romani Pontifices ſummā poteſtatem, antè Imperii translationem legitimis titulis acquiſitam, & nunquam à Cæſaribus præſcriptam, uſque ad hanc diem pacificè obtinuerint (quandoquidem diſſidia illa, quæ Federicus II. & Ludovicus Bavarus adversùs Summos Pontifices ſuſcitarunt, nil Apoſt. Sedis juribus officere potuerunt) nemo profecto dubitare ampliùs poterit, quin Ferrariæ, atque Comacli inveſtituram Principibus Eſtenſibus Romana Eccleſia legitimè conceſſerit. At quoniam Comaclum in Vicariatu Ferrarienſi nequaquam comprehenſum fuiſſe contendunt, neceſſarium videtur eorum, qui ita ſentiunt, opinionem, jam num. LXXXIV. breviter perſtrictam, ulteriùs confutare.

Oſſervationi ſopra la lettera intitolata il dominio tēporale del Papa anno 1708. pag. 53. e ſeguenti.

CXLIV. Antiqua Ferrariæ ditio ſeptentrionem versùs, à Salvaterræ Oppido, ejuſque territorio Lendenariæ propinquo, uſque ad Laureti portum, in quo Venetorum olim confinia, per Atheſis deſcenſum protendebatur; quin & Ariani inſulam continebat. Ab occidente, ac meridie eadem ferè nunc, quæ olim Veronenſium, Mutinenſium, Bononienſium, & Ferrarienſium confinia fuerunt. Huic ditioni Comaclum, ut diximus num. XL. & XLI. jam adjectum fuerat, quo tempore Henricus VI. Imperator Ferrarienſes, à Federico I. ejus Patre, ob ſervatam Romanis Pontificibus fidem, hoſtes Imperii denuntiatos, in ſuam clientelam, Salinguerræ Torelli operâ, anno MCXCI. ſuſcepit. Conſtant hæc omnia ex Henrici VI. diplomate dato anno MCXCI. de quo in laudatis locis egimus: nam Imperator poſtquam juriſdictionem, ſeù diſtrictum in Civitate, & extra Civitatem Ferrarienſibus conceſſit, & poſtquam Ferrariæ diſtrictum cum diſerta Comacli mentione deſignavit, ſe Ferrarienſibus confirmare, ait, *omnia jura, & conſuetudines, quas hactenus intra prænominatos terminos habuerant*, Innocentium autem Tertium, cum Ferrariæ gubernacula Azoni Eſtenſi

commiſit, & Innocentium IV. cum Lugduno rediens anno MCCLI. eundem Azonem Ferrariæ obviam habuit, Comacli ad Ferrarienſem diſtrictum acceſſionem, Henrici VI. temporibus antiquiorem approbaſſe, Pignæ ipſius teſtimonio, aliiſque rationum momentis oſtendimus numero XL. Ferrarienſes quòque ante Henrici VI. tempora interdum ex toto, interdum ex parte poſſediſſe Comaclum, liquet ex concordia inter eoſdem, ac Ravennates inita anno MCC. in qua definitum fuit, ut tam Ferrarienſes, quàm Ravennates eam jurisdictionem in Comaclo exercerent, quam ante poſtremum illud bellum obtinuerant, ut vidimus num. XLV. quod non ita intelligendum eſt, ut Ferrarienſes nunquam toto Comaclo olim potiti fuerint, nam anno MCXCI. integrum Comacli Comitatum, ut diximus, obtinebant; ſed quòd interdum ob bellorum viciſſitudines ab integra ejus poſſeſſione, abſque primævorum jurium detrimento, deciderint. Idem dicendum eſt de illis dominii mutationibus, quæ ob frequētia Ravennates inter, ac Ferrarienſes bella, & ob conſuetas Comaclenſium rebelliones, ſubſequentibus temporibus uſque ad annum MCCCXXXII. accidiſſe, per totam Diſſertationem noſtram oſtendimus; nam omnis ratio ſuadet, Comaclenſes illis temporibus, quibus Ravennatibus non paruerunt, in Ferrarienſium plerumque poteſtate fuiſſe, cum tantæ Comaclenſibus vires nequaquam ſuppeterent, ut libertatem ſuam, quando à Ravennatum ſubjectione eximebantur, per ſe diutiùs tueri poſſent: nec interruptio illa antiqui dominii, quod belli jure, vel aliqua alia ratione Ferrarienſibus in Comaclum antiquitùs competebat, eorum juribus quidquam officere poterat, cum illa nec præſcriptione aliqua, nec ulla ceſſione Ravennates unquam deleverint.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 57.

Extāt in Clementis V. literis de eorundē pactorum confirmatione in Regeſto an. 8. epiſt. 118.

CXLV. Fruſtrà autem nonnulli Comaclum à Ferrariæ ditione ſegregatum fuiſſe colligunt ex iis conventionibus, quas Ferrarienſes anno MCCXXX. die XIII. Auguſti cum Venetis inierunt, in quibus inter alia ſancitur; *Quod omnes homines undecumque venientes, tàm per portum maris, quàm per Padum cum blava, vino, & aliis victualibus extra diſtrictum Ferrariæ, poſſint ire Venetias per portum maris, vel per flumina, ſive aliunde cum ipſa blava, vino, & aliis victualibus.* Et inferiùs. *Item quòd Veneti poſſint liberè, & abſolutè emere piſces à Ferraria inferiùs, nominatim in ambobus Mantiis, Fracta, Villa comeda, Gorgnano, Villa marzana, Arquada, Grugnano, Adria, Adriano, Corneto, & Cochanile, & ipſos piſces deferre Venetias, ſine aliquo banno, vel teloneo, aut male ablato; ita quod nul-*

lo

lo tempore homines prædictorum locorum à Poteſtate Ferrarienſi compelli poſſint, ut piſces prædictos Ferrariam ducere teneantur. Nam tota iſta conventio præcipuè vult, ut libera ſit Venetis per univerſum Padum navigatio, quæ cæteris fluviorum navigationibus, ut Clemens V. in eorumdem pactorum confirmatione aſſerit, à Venetis frequentiùs exercebatur. In iis itaque ſermo non habetur de maritima navigatione, quà Comaclum itur; & cum nominatim loca quædam exprimuntur, alia quoque indicatur fuiſſe in Ferrarienſi diſtrictu loca, unde piſces à Venetis peti poſſent. Incertum præthereà eſt, an Comaclum tunc ſaltem ex parte Ferrarienſes juxtà conventionem anno MCC. ſancitam, poſsederint, quandoquidem ab anno MCCXIX. uſque ad annum MCCXXXIV. vigente Ravennatum cum Venetis bello, multas in Comaclo rapinas factas fuiſſe vidimus numero L. ex quo colligi poteſt, Comaclum anno MCCXXX. in Ravennatum poteſtate fuiſſe, ideoque in conventionibus, quas tunc Veneti cum Ferrarienſibus inibant, nulla Comacli mentio facienda erat, licet alioquin antiqua Ferrarienſium in Comaclum jura ſubſiſterent.

CXLVI. Comaclum ſanè ad Ferrariæ diſtrictum pertinuiſſe, clarè colligitur ex alia Ferrarienſes inter, ac Venetos conventione à Gregorio de Montelongo Apoſtolicæ Sedis Nuntio *auctoritate ſuæ legationis, & poteſtatis ſibi datę à Communi Ferrariæ*, ſancita anno MCCXL. die v. Junii, cum prioris conventionis pacta ad decennium tantummodo firmata fuiſſent. Expulſus tunc Ferraria fuerat à Gregorio IX. Venetorum ope Salinguerra Torellius, qui ſuæ tyrannidis tempore plura, teſte Rubeo, Ravennatis ditionis loca armis occupaverat, ipſumque, ut credere eſt, Comaclum ſibi præ cæteris expetitum, cum eam urbem ſuæ ditionis eſſe Ferrarienſes contenderent. In poſteriori hac conventione novum pactum antecedentibus additum fuit in hæc verba. *Poteſtas Ferrariæ, & Ferrarienſes perpetuò, modo aliquo non recipient aliquem mercatorem venientem Ferrariam per mare, ſcilicet, per portus Primarii, Volanę, & Gauri, vel undecumque per mare, cum aliquibus mercimoniis.* Vetus verò pactum de piſcium mercimonio ità declaratum fuit: *Item ubi dicitur, quòd Veneti poſſint liberè, & abſolutè emere piſces à Ferraria inferiùs à ſpecificatis locis, ſic ordinatum, & confirmatum eſt, quòd ubique per totum diſtrictum Ferrariæ, tam à Ferraria inferiùs, quàm à Ferraria ſuperiùs liberè, & abſolutè, abſque impedimento aliquo emere poſſint piſces ipſos, & deferre Venetias.*

Rub. hiſt. Raven. pag. 414.

Hæc & alia pacta eodem anno die xv. Auguſti, partim totidem verbis confirmata; partim clariùs explicata fuerunt his verbis. *Item quòd Veneti poſſint liberè, & abſolutè emere piſces ubique per totum diſtrictum Ferrarienſem, tam à Ferraria inferiùs, quàm à Ferraria ſuperiùs, & nominatim in ambobus Manetiis &c.* ut in altera pactione anni MCCXXX. Subjungitur aliud capitulum in hæc verba. *Præterea promiſerunt &c. quòd Poteſtas Ferrariæ, & Ferrarienſes perpetuò modo aliquo non recipient aliqua mercimonia in Ferraria, vel diſtrictu, quæ per mare fuerint apportata, ſcilicet, per portus Primarii, Volanæ, & Gauri, vel undecumque per mare, niſi à Venetis.* Hac ſanè verborum generalitate, ac peculiari non *portus maris*, ut in conventione anni MCCXXX. ſed *maris portuum* deſignatione, Gauri, nempe, Volanæ, ac Primarii ſitum inter eos Comaclum, tunc à Ferrarienſibus recuperatum, clarè deſignatur.

Clement. V. ep. 118. in Regeſto an. 8. in Archiv. ſecr.

CXLVII. Cuncta hæc, aliaque pacta confirmata, explicata, & ad ſuorum temporum uſum revocata fuere à Clemente V. anno MCCCXIII. menſe Februario, poſt expulſos Ferrariâ Venetos, ut legibus, quas cum Friſco Eſtenſi Ferrariæ occupatore ſanciverant, abolitis, commercii libertas Venetos inter, & Ferrarienſes reſtitueretur. Eo autem tempore jam ab anno MCCXCVII. Comaclum è Ravennatum dominio, in Ferrarienſium, & Principum Eſtenſium poteſtatem redierat, qui ſummo Romanæ Eccleſiæ imperio ſe ſubjectos eſſe profitebantur. Inter ea autem pacta, quæ antiquis conventionibus juſſu Clementis V. & Venetorum, Ferrarienſium, Eſtenſiumque Principum aſſenſu, ab Apoſtolicæ Sedis Nuntiis tunc addita fuere, capitulum aliud, inter eoſdem anno MCCLVIII. ſub Alexandro IV. firmatum, quo mercatores cunctos à novis datiis per Ferrarienſem diſtrictum eximi ſtatuebatur, explicatum fuit in hæc verba. *Ita tamen quòd hoc non extendatur ad Forenſes, qui nec Venetias accedunt, nec de Venetiis veniunt, nec ad mercationes, vel alias res, quæ nec Venetias deferuntur, nec de Venetiis apportantur.* Porrò ſi in antiquioribus memoratis conventionibus, nulla Comacli Comitatus ratio habita fuiſſet, parùm prudenter rebus ſuis conſuluiſſent Veneti anno MCCCXIII. in quo Clemens V. eas confirmavit, & nonnullis additis, ad ſuorum temporum uſum aptavit; potuiſſent enim tunc Ferrarienſes, & Principes Eſtenſes apud Comaclum tributa Venetis Mercatoribus indicere, aliaque facere, à quibus Veneti ſuos Mercatores, & indige-

digenas per Ferrarienſem diſtrictum eximi poſtulabant. Pontifex quoque in additionibus, quæ tunc de Venetorum, & Ferrarienſium conſenſu fiebant, debuiſſet eadem antiqua pacta ita declarare, ut ad Comaclum quoque, ejuſque Comitatum extendi clarè conſtaret. Cum itaque neceſſario tunc facienda Comacli mentio, nequaquam facta fuerit, dicere oportet, in generali diſtrictus Ferrarienſis appellatione Comaclum quoque, tam in ultimis hiſce, quàm in antecedentibus conventionibus intellectum fuiſſe. Denique Clemens V. aliud pactum cofirmavit, quo an. MCCLXXIII. die III. Novembris inter Venetos, & Ferrarienſes, ac Marchionem Eſtenſem conventum fuit, *Quòd ipſe dominus Marchio, Poteſtas, & Commune, ac Homines Ferrariæ non recipient, nec recipi facient, ſeu recipi promittent à modò in antea, uſque ad tres annos completos, ſalem in Civitate Ferrariæ, vel in diſtrictu per aquam, vel per terram ab aliqua parte, niſi à Venetis, vel diſtrictu*. Comaclum tunc in Ferrarienſium poteſtate fuiſſe videtur, nam anno MCCLXXV. Comaclenſes denuo ad Ravennates defeciſſe ajunt. Itaque ſi in Ferrariæ diſtrictu tunc poſitum non fuiſſet Comaclum, quanam ratione tam anno MCCLXXIII. quàm anno MCCCXIII. ſibi caviſſent Veneti, ne Comaclenſes ſal aliunde, quàm è Venetiarum diſtrictu emerent?

CXLVIII. Petita ex hiſce conventionibus argumenta mirificè confirmantur judicio illo, quod pro adipiſcenda poſſeſſione diverſorum, bonorum, quæ in Comaclenſi territorio, &, ut videtur, in ipſa quoque urbe Comaclo ſita erant, Ferrarienſis Salinguerra an. MCCCIX. inſtituit. Præſtat autem integrum judicii tunc habiti inſtrumentum cum ſuis nævis ex Comaclenſium rerum authentico codice, anno MDXXXVIII. publica auctoritate compilato, in medium proferre.

Succeſſio Salinguerræ Ferrarienſis in bonis quondam Petri Traverſari, & quondam Domini Ubertini de Ravenna.

IN Chriſti nomine amen, Anno ejuſdem nativitatis milleſimo tercenteſimo nono indictione ſeptima, die quartodecimo Martii in Palatio Communis Ferrariæ, præſentibus Franciſco de Rennis Notario, & Rocobono Notario Domini Gujelmi, & aliis, & coram vobis Domino Antonio de Cæſena Judice, & Aſſeſſore Poteſtatis Ferrarienſis, comparuit Dominus Petrus Fabe de Ferraria

Procurator, & procuratorio nomine Domini Salinguerræ, & petiit dictum Dominum Salinguerram, ſive ejus procuratorem pro eo, poni, & induci in tenutam, & corporalem poſſeſſionem infraſcriptarum petiarum terræ, & poſſeſſionum, tamquam de bonis, & poſſeſſionibus pertinentibus eidem Domino Salinguerræ, ſecundum quod apparet publico inſtrumento, ſcripto ſub ſigno, & nomine Turchetti Notarii, quod inſtrumentum productum fuit coram dicto Domino Antonio, qui dominus Antonius examinata juſtitia dictæ petitionis, commiſit, & licentiam dedit dicto Domino Petro Faba nomine antedicto, ut vadat, & intret, & apprehendat tenutam, & corporalem poſſeſſionem dictarum terrarum, & poſſeſſionum infraſcribendarum, imponens cuilibet Præconi Communis Ferrariæ, ut vadat, & inducat dictum dominum Petrum dicto nomine in poſſeſſionem dictarum terrarum, & poſſeſſionum, & ut faciat omnia, & ſingula præcepta Cavarzellanis villarum, quæ ad expeditionem dicti negotii pertineant; mandans præcipiendo omnibus, & ſingulis Cavarzellanis villarum, & Rectoribus earum, ut debeant præſtare auxilium, & favorem dicto domino Petro dicto nomine; mandans præcipiendo inſuper ſub pœna decem librarum Ferrarinorum omnibus, & ſingulis laboratoribus, & detentoribus dictarum poſſeſſionum, ut ſibi perlecto præſente inſtrumento, vel habito præcepto à Præcone, in continenti poſſeſſiones ipſas, & bona, quæ detinent de prædictis prædicto domino Petro dicto nomine debeant manifeſtare, tenere, & poſſidere; & prædicta commiſit, & impoſuit dictus Judex ſecundùm formam pactorum pacis, & ſtatuti, ſive reformationis Communis Ferrariæ, ſalvo omni jure omnium perſonarum, ex quo dictus dominus Salinguerra fuerit in poſſeſſione dictorum bonorum judicio ordinario, ſecundum formam ſtatuti Communis Ferrariæ, res verò ſunt hæc: Primò omnes terræ, & poſſeſſiones, tàm in terra, quàm in aqua, ubique conſiſtant, quas habuit, & tenuit quondam dominus Ubertinus de Ravenna ipſe, vel alii pro eo in Pado veteri, incipiendo à confinibus Campi lunghi, majoris, & minoris, deinde deſcendendo uſque ad mare, & quidquid intra dictas cohærentias continentur, Item tres partes medietatis Verzenexe, ab uno latere trames, qui vadit ad Eccleſiam de Oſtelato, qui eſt terminus inter Campum lungum, & Fiſcagliam, ab alio Meza vallis, inter Fiſcagliam, & Campum lungum, ab alio Media luiba inter ambos Campoluongos. Item quidquid detinentur infra

fra hos confines, ab uno latere medietas Verzeneſæ, à ſecundo medietas Luibæ, à tertio locus qui dicitur Cona: à quarto uſque ad mediam Corbam. Item medietas quondam Petri Ducis majoris IN TOTO COMITATU COMACLENSI. Item quantum habuit dictus Ubertinus de capite Caldiroli, uſque ad ſtadium qui vocatur Delera, cum medietate fluvii Paliſoli, & con medietate fluvii Miliarolo uſque in CAMPUM COMACLI, & totum canale, quod vocatur Rupta de lungula, & totum canale, quod vocatur Vulpione, deſcendens in CAMPUM COMACLI; con tertia parte de fluvio de Miliarolo, con tertia parte vallis à ſupraſcripto Miliarolo uſque in CAMPUM COMACLI, & uſque ad ſtadium Delera. Item omnes valles, piſcariæ, & paludes à capite prædicto Caldirolo, deſcendens per Verzeneſe con ipſo medio Verzenexe uſque in CAMPUM DE COMACLO. Item omnes valles, & poſſeſſiones integræ, quas habuit dominus Ubertinus in Pado vetere, quas detinuerunt Veele, Veſuis, & Fiſcardus germani, & Martinus Presbyter con germanis ſuis, ſcilicet à plebe Sanctæ Mariæ de Pado vetere uſque ad Eccleſiam Sancti Michaëlis, ab ambabus partibus con ipſo Verzeaneſe in med. Vivirumi, qui vocatur Area, quem detinuerunt hæredes quondam domini Pauli Traverſari con ipſa Area., & ſupraſcripto Pado vetere. Item plebs Sanctæ Mariæ de Pado veteri ab uno latere Corigium de Peolardo, à ſecundo altera medietas de rivo de Ara, à tertio uſque ad medium fluvium Trebe, à quarto jus monaſterii Sancti Alberti &c.

Ego Diachinus magiſtri Naſcimbene Muratoris ſcripſi mandatis dicti Judicis ſubſcripſi.

CXLIX. Quo tempore hæc acta fuerunt, Pontificii Internuntii in Ferrarienſi urbe commorabantur, licet Veneti ex conventionibus cum Apoſtolica Sede, poſt expulſum Friſcum Eſtenſem, initis, arcem Thedaldi urbi proximam adhuc obtinerent, à qua poſtmodum Auguſto menſe expulſi fuerunt. Plura autem in hoc inſtrumento notanda veniunt. Salinguerra Ferrarienſis bona quædam in Comaclenſi territorio poſita repetens, ac judicio proſequens, non apud Comacli Gubernatorem, ſed apud Ferrariæ Poteſtatem agit. Hic *ſecundùm formam ſtatuti Communis Ferrariæ* poſſeſſionem Salinguerræ decernit. Comaclum itaque non ſuis, ſed Ferrariæ legibus, ut alia quoque Ferrarienſis diſtrictus loca, regebatur, cum in ejuſdem Urbis ditione cenſeretur. Præconi

Rub. hiſt. Rav. lib. 6. pag. 519. Antiqui Annales apud Peregr. Priſcianum lib. prim. Chrō. Ferrar. cap. 7. m. s.

con i etiam Communis Ferrariæ jubetur, ut Salinguerram in poſſeſſionem adjudicatorum ipſi bonorum inducat. Præcipitur inſuper non Comaclenſi Comiti, aut Judici, ſed Rectoribus villarum in Comaclenſi territorio ſitarum, ut ejuſdem Procuratori auxilium ad eorum poſſeſſionem nanciſcendam, comminatâ etiam, ni parerent, pœnâ, impendant, *Secundùm formam pactorum pacis, & ſtatuti, ſeu reformationis Communis Ferrariæ*. Quæ ſanè verba certiſſimo argumento ſunt, Ferrarienſes tunc in ſuo diſtrictu habuiſſe Comaclum, ejuſque cives ab eiſdem Ferrarienſibus leges accepiſſe, quemadmodum à Ravennatibus quoque, cum iis ſubderentur, acceperant. Memoratæ autem pacis conventiones eæ eſſe videntur, quæ poſt expulſum Friſcum Eſtenſem inter Ferrarienſes, & Venetos, Apoſtolicæ Sedis auctoritate, antecedenti anno ſancitæ fuerunt: ex quibus omnibus patet, verum eſſe, quod diximus, Comacli, ſcilicet, rationem habitam fuiſſe in aliis conventionibus, quæ Ferrarienſes ab anno MCCXL. ad annum MCCLXXIII. Apoſtolica Sede approbante inierunt, & quas Clemens V. anno MCCCXIII. ſupremi dominii auctoritate comprobavit. Dubitari itaque nequit Comaclum in Ferrarienſi diſtrictu non modo anno MCCCIX. verum etiam antecedentibus temporibus fuiſſe.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708. pag. 59. 60. 61. e 65.

CL. At inquiunt, de Comaclo Ravennæ, vel Apoſtolicæ Sedi ablato conqueri debuiſſet Joannes XXII. cum bellum ſacrum anno MCCCXXIV. adversùs Eſtenſes Principes indixit, ſi tunc ad Romanæ Eccleſiæ ditionem pertinuiſſet. Exprimi quoque Comaclum neceſſe videbatur, cùm idem Pontifex decennalem Ferrariæ Vicariatum Principibus Eſtenſibus, ad obedientiam Eccleſiæ reverſis, anno MCCCXXXII. conceſſit; nam ea urbs ſuum Comitatum, ac diſtrictum habebat, & nihilominus Joannes XXII. Ferrarienſis tantummodo urbis diſtrictum, ſine diſerta Comacli adjectione, in Vicariatus bullis expreſſit. Denique ajunt, exteros, non verò Apoſtolicæ Sedi ſubjectos, in concedendo Eſtenſibus Ferrariæ Vicariatu, Joannem XXII. & Clementem VI. pro fidejuſſoribus quærere debuiſse, & tamen Florentinos, Adrienſes, & Comaclenſes unâ cum non paucis Mercatoribus Ferrarienſibus Joanni XXII. & poſtmodum Clementi VI. pro Eſtenſibus Vicariatum optantibus fidejuſſiſse comperimus.

CLI. His argumentis tantum abeſt, ut extra Ferrarienſis Urbis diſtrictum ponendum eſſe Comaclum adſtruatur, ut potiùs contrarium inde clarè colligatur; obſervavimus enim num. LXXXII.

Joan.

Joannem XXII. Eſtenſes inter cætera damnaſſe, non ſolùm quia Eccleſiis, & Clericis indebita tributa indixiſſent, verùm etiam, quia Laicos ad ea ſolvenda contra Pontificias leges, in tota ditione Eccleſiæ Romanæ exactè ſervatas, coëgiſſent; nec nominatim de Comacli occupatione conqueſtum fuiſſe, quia in generali occupati Ferrarienſis diſtrictûs accuſatione illud comprehenderat. Cauſa quoque non exprimendi in Ferrarienſi Vicariatu Comacli à nobis allata eſt num. LXXXIV. diximus enim hoc à Pontifice factum fuiſſe, quia Ferrarienſes, non uno nomine, Comacli comitatum ſuo diſtrictui attribuebant; cavit item tum Pontifex, ne Ravennates commoveret, qui ſuæ ditionis Comaclum ab antiquiſſimis temporibus eſſe contendebant. Quis enim crederet Pontificem de tuendis Eccleſiæ Romanæ juribus adeo ſollicitum, quique totius Exarchatus dominium acritèr adversùs Ludovicum Bavarum ſibi vindicabat, Comaclum, à Rodulpho Romanorum Rege non multos ante annos de novo Eccleſiæ Romanæ reſtitutum, & ab Eſtenſibus tunc poſſeſſum, prętermiſiſſe?

CLII. Nil autem, ex eo conficitur, quòd idem Pontifex voluerit, ut Eſtenſes de ſolutione annui cenſus, deque aliis eorumdem promiſſionibus Apoſtolicæ Sedi caverent; datique fidejuſſores fuerint Florentini, Adrienſes, Comaclenſes, & non pauci Ferrariæ mercatores. Nam licet nemo pro ſeipſo fidejubere cenſeatur, & ab exteris potiùs, quàm à ſuis fidejuſſionem exigi par ſit; ſubditos tamen pro dominis fidejubere nil vetat, utpote qui non tamquam ſervi eamdem, ſed diſtinctam à dominis perſonam conſtituant. Præterea difficile adeo erat Eſtenſibus exteros reperire, qui pro ipſis fidejuberent, ut Joannes XXII. ea de cauſa Bertrando Cardinali Legato anno MCCCXXXI. die XIII. Novembris mandaverit, ut pro fidejuſſoribus Florentinos tantummodo acciperet; quamobrem neceſſitate coactum Pontificem ſubditarum eiſdem urbium fidejuſſionem deinceps admiſiſſe conſtat; quæ tamen opportuna admodum, utiliſque ſummis Pontificibus erat, quia ſi Eſtenſes Principes infideles Pontifici evaſiſſent, & finito vicariatu, ejuſdem poſſeſſionem, invito Pontifice, retinere tentaſſent (quod ne fieret, Comaclenſes inter alios Apoſtolicæ Sedi caverunt) potuiſſent ipſi ad plenam Romanæ Eccleſiæ ſubjectionem tranſeundo, Eſtenſes Principes non modica ſuæ ditionis parte mulctare. *Joan. XXII. Regeſt. an. 16. fol. 293.*

CLIII. Jam verò ex alia Clementis VI. inveſtiturâ Ferrarienſis

ſis

cluſis urbis Eſtenſibus Principibus traditâ, Comaclum ad Apoſtolicam Sedem, adeoque ad ejuſdem urbis diſtrictum pertinere colligitur. Poſtularunt Eſtenſes à memorato Pontifice, ut vicariatum Ferrariæ ad decennium ſub Joanne XXII. ipſis conceſſum, ad alios novem annos prorogaret. Annuit Pontifex *plurium*, ut ipſe ait, *Comitatuum, Civitatum illarum partium noſtrarum, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ devotarum humiliter ſupplicantium ſupplicationibus inclinatus*. Atqui ex ejuſdem inveſtituræ Bullâ conſtat, Florentinos, Mutinenſes, Ferrarienſes, Adrienſes, & Comaclenſes eâ de re preces Pontifici porrexiſſe, ac prætereà de ſolutione cenſus, de fidelitate Eccleſiæ Romanæ præſtandâ, deque reſtituendâ, finito vicariatu, Ferrariâ cum ejus Comitatu, & diſtrictu, ejuſque omnibus juribus, ac pertinentiis, cautionem feciſſe. Comaclum itaque pro Pontificiæ ditionis urbe æquè ac Ferraria habebatur, & conſequenter ejus quoque precariam poſſeſſionem ad tempus Eſtenſibus Principibus unâ cum Ferrariæ vicariatu Summi Pontifices largiebantur.

Clem.VI. Bulla ad perpetuã rei mem. data IX. kal. Apr. an. 2. hoc eſt an. 1344.

CLIV. Verum enim vero ex pactis, atque promiſſis, quæ Joanni XXII. pro Ferrariæ Vicariatu obtinendo Obizo Marchio Eſtenſis fecit, Comaclum in Ferrarienſi diſtrictu contentum fuiſſe ulteriùs probatur. Horum unum in hæc verba conceptum eſt. *Et etiam promiſit idem Dominus Obizo, ſuo, & dictorum ſuorum fratrum, nomine, & ut eorum procurator, & nuntius, quòd Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, Archipresbyteros, Clericos Regulares, & Seculares, & alias Eccleſiaſticas perſonas gaudere permittent, ſublatis impedimentis quibuslibet, omnibus ſuis libertatibus, reditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus in Civitate Ferrarienſi, ac diſtrictu, & Comitatu ejuſdem, & in Marchionatu, & diſtrictu Eſtenſi, quantum erit in eis; nec impedientibus Prælatos, & Perſonas Eccleſiaſticas in præmiſſis; dabunt per ſe, vel per alium, ſeu alios, directè, vel indirectè, publicè, vel occultè, auxilium, conſilium, vel favorem; & hoc idem ſpecialiter intelligi voluit, eſſe promiſſum, & promiſit nominibus antedictis, quantùm ad ea, quæ Prælati habent in prædictis Civitate, Comitatu, Marchionatu, & diſtrictu, vel extra, ſcilicet, Ferrarienſis, Comaclenſis, & Adrienſis Epiſcopi, & alii quicumque, aut quæcumque Eccleſiæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ, Seculares, vel Regulares*. Omnium Eccleſiaſticorum cujuſcumque ordinis, ac dignitatis, tàm indigenarum, quàm exterorum

Joan. XXII. Bul. Vicariatus Ferrar. circa medium.

rum

rum bona Eſtenſes Principes rebellionis tempore invaſerant per totam ditionem, quam, vel antiquitùs poſſederant, vel de novo occupaverant. Exteri odio non erant Eſtenſibus, ſecus verò Ferrariæ, Comacli, atque Adriæ Epiſcopi, quos bonis omnibus ſpoliatos, ab Eccleſiis ſuis expulerant. Horum indemnitati præ cæteris conſulens Pontifex, diſertam non modò ipſorum mentionem ab Eſtenſibus fieri voluit, verùm etiam ne in bona, quibus extra Ferrariæ diſtrictum fruebantur, odium ſuum iidem Eſtenſes, vel per ſe, vel per alios, quocumque pacto deflecterent, enixè curavit. Deſcribens autem Pontifex loca, in quibus tàm Epiſcopis illis, quàm cæteris aliis Sacratis viris, cautum eſſe volebat, Marchionatum Eſtenſem, & Ferrariæ diſtrictum tantummodò commemorat. Atqui nec exteris, nec Ferrariæ diſtrictûs Epiſcopis, atque Eccleſiaſticis plenè caviſſet Pontifex, ni Comacli quoque meminiſſet. Oportet itaque Comacli Comitatum, cum in Marchionatu Eſtenſi comprehendi nequeat, Ferrarienſis diſtrictus nomine veniſſe, cujus Vicariatum Pontifex tunc Eſtenſibus Principibus largiebatur.

CLV. Porrò & ſi Comaclum Comitatûs nomine decoretur, non ideò tamen extra diſtrictum Ferrariæ ponendum eſt; nam Comitatus, ac Territorii vocabula in antiquis monumentis pro ſynonimis paſſim habentur, ut in Henrici IV. diplomate pro Eccleſia Ravennate, in quo, ne longè exempla petamus, *Territorium Ferrarienſe* legimus, cum paulò ante *Comitatus Ferrariæ*, ſenſu prorſus eodem ſcribatur. Idem quoque obſervatur in Ottonis IV. privilegio pro eadem Eccleſia. In uno autem, eodemque diſtrictu plura territoria, atque Comitatus contineri poſſe palam eſt; nec Comitatus aliquis extra alterius urbis diſtrictum eſse cenſetur, ni peculiares pro ſuo territorio leges habeat, & ni à ſuis magiſtratibus gubernetur, nulluſque alterius urbis judex ordinariam in ejus territorio juriſdictionem exerceat. Atqui multis exemplis demonſtravimus Comaclenſes ſuis legibus nequaquam rectos fuiſse, & à Ravennatibus Prætores ſæpenumero accepiſse, eiſque piſcium cenſum quotannis perſolviſse. Ipſos autem meliore conditione nequaquam fuiſse, quo tempore Ferrarienſibus paruerunt, cùm omnis ratio ſuadet, tùm acta judicii à Salinguerra pro recipiendis poſseſſionibus in Comaclo ſitis, apud Ferrariæ Poteſtatem habiti, de quo numero CXLVIII. locuti ſumus, clarè demonſtrant. Comaclum itaque etſi Comitatus appellatione

Henr. IV. dipl. apud Ughel. to. 2. pag. 262. & Ottonis IV. ib. pag. 375.

latione

Nicolai Marchi. Eſt dipl. pro Villa Bagnoli in alio Alphonſi I. quo illud cõfirmavit an. 1516. In Regeſto except. Ducatus Ferrar. ſign. lit D. fol. 450.

lațione inſigniretur, tamen Territorium ſolummodo, non autem peculiarē diſtrictum, à Ferrarienſi diſtrictu diverſum obtinebat. Sic in Nicolai III. Marchionis diplomate dato an. MCCCCXXIV. Villa Bagnoli diſtrictûs Ferrarienſis Comitatûs Ficaroli eſse dicitur, licet uterque locus Ferrarienſi diſtrictui accenſeretur. Hoc ipſum Argentæ, & Traverſariæ exemplo comprobatur; nam Comitatuum Argentæ, & Traverſariæ in antiquis diplomatibus mentio occurrit, & tamen Argenta, & Traverſaria in Ravennate diſtrictu continebatur. Ex ſola itaque Comitatus Comaclenſis appellatione deduci nequit, Comaclum æquè principaliter, ut ajunt, & non acceſsoriè cum Ferrarienſi Comitatu unitum fuiſse, ideoque illud pro Ferrarienſis diſtrictus parte haud immeritò Joannem XXII. in Ferrariæ Vicariatus conceſſione reputaſse. Sanè in memoratis Vicariatibus, à Joanne XXII. & Clemente VI. conceſſis, Marchiones Eſtenſes faſſi ſunt, *Civitatem Ferrarienſem, ejuſque Comitatum, & diſtrictum cum pleno dominio, ac omnibus juribus, & pertinentiis eorum, nec non juriſdictione omnimoda, & poteſtate, ab antiquo integrè, & plenè ad Romanam Eccleſiam pertinere*, eaque omnia, finito Vicariatu, tàm ipſi, quàm eorumdem fidejuſſores Apoſtolicæ Sedi reſtituere pollicentur. Prætereà tàm in inveſtituris illis, quàm in aliis, quas Summi Pontifices variis temporibus dedere, ſemper ajunt, ſe Ferrarienſem civitatem, comitatum, & diſtrictum cum omnibus juribus, & pertinentiis eorumdem, Eſtenſibus conferre, ut non ſolùm Ferrariæ Comitatum, ſive territorium, ſed & Diſtrictum, hoc eſt, alia extra Ferrariæ territorium loca, ejuſdem urbis juriſdictioni ſubjecta, & cætera cuncta, quæ ad Ferrarienſem urbem quocumque titulo pertinebant, Eſtenſibus ab Eccleſia Romana tradita fuiſſe intelligerentur, ut ſcitè probat Ghinus in defenſione jurium Apoſtolicæ Sedis adverſus Eſtenſes. Quamobrem Comaclum etiamſi in Ferrarienſi diſtrictu, uti reverà contineri monſtravimus, nequaquam contineretur; tamen, cum Ferrarienſes non pauca ſaltem in ejuſdem comitatum jura tamdiù ante; ac poſt Eſtenſium inveſtituras obtinuiſſe, nullus inficias ire poſſit, de Comaclo etiam, uti ad Ferrariam pertinente, tàm Pontifices, in concedendo ejuſdem urbis Vicariatu, diſpoſuiſſent, quàm Eſtenſes Principes, fatendo ad Apoſtolicam Sedem ab antiquo ſpectare ſummum imperium in urbem, comitatum, atque diſtrictum Ferrariæ cum omnibus juribus, & pertinentiis eorumdem, cun-

Federici I. dipl. apud Vghel. tom. 2. Ital ſacr. pag. 37. & Greg. IX. bull. Ii ibid. pag. 380.

Defenſio jur. S. Sedis pro reſpon. ad maniſeſtum Ducis Mutinæ pag. 49. n. 278.

ctaque

ctaque iſta à Summis Pontificibus precariè accipiendò, Comaclum quoque in Ferrarienſi Vicariatu comprehendi faſſi fuiſſent.

CLVI. Quæ hactenus diximus, magis magiſque confirmantur publicis quibuſdam Eſtenſium Principum actis, quæ ipſi poſt obtentum Ferrariæ Vicariatum diverſis temporibus ediderunt. Extant in Archivo Molis Adrianæ confœderationes duæ inter Urbanum V. Franciſcum Carrarium Patavii dominum, Guidonem, Ludovicum, & Franciſcum Mantuæ dominos, & Nicolaum, Ugonem, & Albertum Marchiones Eſtenſes, habitæ die XXIX. Julii, & die ultima Auguſti anno MCCCLXVII. adversùs Bernabonem Vicecomitem Mediolani dominum, Italiæ univerſæ inhiantem. In earum inſtrumentis memorati Marchiones Eſtenſes vocantur *Ferrariæ &c. pro Sancta Romana Eccleſia Vicarii*, quo loquendi modo, non ſolùm uſi ſunt, ne ſingula quæque Ferrarienſis ditionis oppida enumerarent, verum etiam ut præter Ferrariæ Comitatum, ac territorium, alia quoque loca in ejuſdem urbis diſtrictu comprehendi indicarent, ac præcipuè Comaclum, quod una cum Ferrarienſi urbe in Vicariatum à Ioanne XXII. habuerant; nam Argentam tunc locationis titulo ab Archiepiſcopis Ravennatibus acceperant; Lugum verò, & Centum cum aliis Romandiolę Oppidis in Vicariatum ſubſequentibus temporibus ab Apoſtolica Sede obtinuerunt. Conventum in eadem confœderatione fuit, ut pro communi hoſte haberetur quicumque fœderatos, durante fœdere, offenderet, eorumque diſtrictus invaderet, *Salvo quòd prædicta non extendantur ad mercatores, & bona eorum, euntes Venetias per territorium Ferrariæ, Policini, & Argentæ, & aquas dominorum Marchionum, Ferrariæ, Policini, & Argentæ, & indè redeuntes cum mercimoniis ſuis, & rebus*. Poſſidebant tunc Eſtenſes Comaclum, quod cum ad Policinum, & Argentam pertinere non poſſit, neceſſariò dicendum eſt, Ferrariæ appellatione Comaclum quoque ſubintellectum fuiſſe, utpote quod in ejus diſtrictu contineretur; alioquin mercatores illi per Comaclum, & alia maritima loca, ſecuri mercimonia ſua exercere, ac privilegio iſto, terra, marique per omnem Eſtenſium Principum ditionem frui nequaquam potuiſſent. Similia habentur in alio ejuſdem fœderis inſtrumento, die ultima Auguſti ejuſdem anni edito. Quin & in alio fœdere cum eiſdem Principibus icto die III. Aprilis anno MCCCLXX. Nicolaus de Chremaſchis *Illuſtrium, & magnificorum dominorum Nicolai, Vgonis, & Alberti fratrum Mar-*

M *chio-*

chionum Eſtenſium Ferrariæ &c. pro Sancta Romana Eccleſia, & Mutinæ pro ſacro Imperio, Vicariorum Procurator inſcribitur; ut novum non ſit, nec Procuratoris error eſſe poſſit, quòd anno MDVI. Alphonſus, & ante ipſum Hercules Ferrariæ Dux an. MDII. & MDIV. priuſquam diſſidium ullum inter Alphonſum, & Julium II. ortum eſſet, Cameræ Apoſtolicæ cenſum ſuorum prędeceſſorum more perſolverint, *Ut in Civitate Ferrariæ, & in nonnullis aliis Civitatibus, & locis pro Sancta Romana Eccleſia in temporalibus Vicarii*, quod utique de Comaclo potiſſimum intelligi debet, ut Contelorius, & Ghinus Juriſconſulti doctiſſimi, in Comaclenſi cauſa adversùs eoſdem Eſtenſes pro Camera Apoſtolica ſcribentes, ſcitè obſervarunt.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temperale del Papa an.1708 pag. 61.

CLVII. Cæterùm clarum adeò eſt, Ferrarienſes in ſuæ urbis diſtrictu ab antiquiſſimis temporibus habuiſſe Comaclum, ut recentiori etiam ævo à Comaclenſibus cenſum piſcium, in ſubjectionis utique ſignum, exegerint. Extat in Comaclenſium rerum regeſto clariſſimum hac de re teſtimonium in literis Maſſariorum Comaclenſium ad Ferrariæ Communitatis Maſſarios in hæc verba, licet rudia, conceptis.

In Chriſti nomine Amen.

Copia de le licentie date, et conceſſe per li magnifici Supperiori delle Valli di Comacchio alla Communità predetta ſopra la Paſſarara.

Capitano di Paiviero M. di Marozzo, laſciate paſſare Julio Parmiano Agente della Communità di Comacchio cum certe ceſte di peſce, che eſſa Communità paga alla Communità di Ferrara, & certi altri preſenti da Comacchio à di XIX. Decembre MDLIII.

Voſtri Supperiori di Comacchio &c.

Ego Jacobus Maccapanus Notarius prædictæ Communitatis ſcripſi, ut inveni in earum Originali.

A di XVI. Decembre MDLIV.

Gli Maſſari del Commun di Comacchio hanno licentia di cercar per le valli per le paſſarare, per mandare à Ferrara ſecondo il ſolito, e condurle à Comacchio.

Alberghetto de Lucceti.

MDLIV. à di XX. Decembre.

Capitano da Marozzo laſciati paſſare Zan Battiſta de Verzo figliolo de Alberto, & Chiergate Spinaſo Agenti della Communità di Comacchio con peſce, che eſſa Communità manda, e

paga

paga alla Communità di Ferrara, & altri preſenti, che eſſa Communità manda à più perſone, zoè à più Signori, & gentilomini.

Joanne Cuoco. } *Supperiori di Comacchio.*
Alberghetto de Luceti. }

Ego Jacobus Maccapanus Notarius ejuſdem Communitatis ſcripſi, ut inveni in eorum Originali.

CLVIII. Xenia, quæ nobilibus Ferrariæ viris Comaclenſes largiebantur, clarè in hiſce literis diſtinguuntur à piſcium cenſu, quem Communitati Ferrariæ, non autem Eſtenſibus Principibus, quantumvis ejuſdem urbis Apoſtolica auctoritate Vicarii eſſent, annuatim perſolvebant; Illa enim liberalitatis officio, hic verò ſubjectionis, dudum Ferrarienſibus præſtitæ, debito mittebantur. In memoriam autem revocanda ſunt, quæ de ſoluto Ravennatibus, cum Comaclenſes eiſdem interdum ſubjicerentur, piſcium cenſu in pluribus Diſſertationis noſtræ locis obſervavimus, ex quibus lucidè apparet, eoſdem Comaclenſes cùm in Ferrarienſium poteſtatem venerunt, nil minus ipſis, ut diximus, obnoxios fuiſſe, quàm Ravennatibus fuerint; ut certo argumento inde pateat, Comaclenſes quemadmodum in Ravennatum diſtrictu comprehendebantur, cum à Ferrarienſibus deficiebant, ita in Ferrariæ diſtrictu, cum ad Ferrarienſium obedientiam redibant, comprehenſos fuiſſe, & conſequenter Comaclum, unà cum Ferraria, Eſtenſibus Principibus in vicariatum ab Apoſtolica Sede traditum fuiſſe, reſervato cenſu illo Communitati Ferrariæ, qui in antiquæ ſubjectionis argumentum eidem ſingulis quibuſque annis ſolvebatur. Cæterum in eodem Comaclenſium rerum regeſto nullum inſtrumentum Imperatorum annis inſignitum apparet, idque ipſum in cunctis actis publicis Ferrariæ confectis obſervatur, cum tamen Longobardiæ urbes Imperio ſubjectę Cęſarum annis cuncta inſtrumenta in ſubjectionis teſtimonium conſignare ſueverint.

Vide notata num. 53. 74. & 78.

CLIX. Comaclenſes præterea quemadmodum anno MCCCIX. obnoxios dudum Ferrarienſi ſtatuto fuiſſe vidimus num. CXLIX. ita & ſubſequentibus temporibus, cùm jam Eſtenſibus parerent, ejuſdem urbis ſtatuta obſervarunt. Hinc in publico inſtrumento compromiſſi inter Commune Comacli, & Canonicos Lateranenſes de ſolutione cujuſdam cenſus eiſdem Canonicis debiti ob inveſtituram loci, cui nomen l'Affitada, Comaclenſes juxtà formam ſtatuti Ferrariæ in arbitrum eligunt Fr. Auguſtinum Ordinis

S. Franciſci, cum tamen Canonici, ſæculari ſtatuto ſe ſubjici renuentes, in eundem arbitrum, ſed ad formam juris conſentiant. Inſtrumenti verba hæc ſunt.

In Chriſti nomine Amen. Anno ejuſdem Nativitatis MDLI. *Indict.* IX. *die* XIV. *menſis Aprilis in Monaſterio S. Franciſci Conventualium Civitatis Ferrariæ, præſentibus teſtibus &c. providus vir Julianus de Guidis &c. & Joannes Franciſcus de Alberio &c. de Comaclo, Agentes nomine, & vice Communis, & Homines Conſilii terræ Comacli, pro qua de rato promiſerunt &c. ad inſtantiam Rev. in Chriſto Patris D. Raphaelis de Pergamo recipientes nomine, & vice Canonicorum Regularium S. Joannis Baptiſtæ, & S. Lazari Civitatis Ferrariæ &c. renunciaverunt inſtrumentum Inveſtituræ loci, detto la Affitada, ſiti in inſula Volanæ uſque ad foveam Gorgadelli &c. & id ultrà ipſe Julianus, & Joannes Franciſcus procuratores nominibus dicti Communis ex inſtrumento mandati &c. ex una obligando dictum Commune &c. & ipſe D. Raphael Prior dicti Monaſterii &c. ex alia obligando ſe &c. compromiſerunt, & cōpromiſſum fecerunt de jure, & de facto juxta formam ſtatuti de compromiſſis in Rev. in Chriſto Patrē D. Magiſtrum Auguſtinum Ordinis S. Franciſci Civitatis Ferrariæ præſentem, & acceptantem, in ſuum arbitrum, & arbitratorem, & amicabilem compoſitorem ipſarum partium, ſuper affictibus, ſeù uſibus præteritis dictæ rei debitis per ipſum Commune dictis monaſteriis, ita tamen quòd reſpectu inſtantis non intelligatur compromiſſum factum juxta formam ſtatuti prædicti, ſed tantùm juxta formam juris. Dantes, & conferentes dictæ partes dictum arbitrium plenum liberum &c.*

In Ferrarienſi itaque diſtrictu comprehenſos fuiſſe neceſſe eſt, qui peculiaribus Ferrariæ ſtatutis, longè diverſis ab Eſtenſium legibus, ad univerſam eorum ditionem indiſcriminatim ſpectantibus, ſubjecti tam antiquioribus, quàm recentioribus temporibus fuere.

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 *pag.* 57.

CLX. Nec obſtat, Principes Eſtenſes uti conſueviſſe titulis Ducis Ferrariæ, & Domini, vel Comitis Comacli, ac ſi hæc urbs nil commune haberet cum diſtrictu, ac Vicariatu Ferrarienſi, utpote quam per dominii translationem ab ipſis, ut ajunt, Civibus factam, acquiſiverint. Plura enim circa hujus tituli uſum ſunt obſervanda, & primò quidem illum, utpote privata auctoritate inductum, nil detrimenti Apoſtolicæ Sedis juribus afferre

poſſe,

poſſe; quæ Eſtenſes Principes tali numquam nomine appellavit: tum verò non ſatis conſtare, an translatio illa à Comaclenſibus facta fuerit; contra verò certum eſſe, per eam nil juris Eſtenſibus Principibus conferri potuiſſe; nam Comaclenſes quod legitimè non habebant, alteri largiri nequibant, utpote qui à Pipino, & Carolo Magno, in Romanæ Eccleſiæ poteſtatem redacti, eique ab anno DCCLV. ad annum DCCCLXXIX. plenam ſubjectionem profeſſi fuerint; deinceps verò, cùm Summorum Pontificum rebelles erant, modò Ferrarienſibus, modò Ravennatibus ita paruerint, ut numquam legitimæ libertatis jura, deque iis diſponendi facultatem acquiſierint. Denique obſervandum, non ſatis eſſe tituli iſtius uſum ad probandum urbem Comaclum à Summo Apoſtolicæ Sedis imperio exemptam eſſe: nam Obizo Eſtenſis Marchio, etſi *perpetui*, *& generalis Ferrariæ domini* titulum uſurparet, ejus tamen urbis dominium fiduciario jure ab Apoſtolica Sede tenebat, ut ex aliis inſtrumentis apparet, in quibus idem Obizo *Dei*, *& Apoſtolica gratia Eſtenſis*, *& Anconitanus Marchio*, *perpetuus*, *& generalis Ferrariæ dominus* appellatur, eadem prorſùs ratione, qua Obizo à Mutinenſibus, & Regienſibus in Dominum aſſumptus, tantùm abfuit, ut ſe à ſupremo Imperii dominio exemptum cenſuerit, ut ejus poſteri urbes illas à Federico III. tamquam earumdem ſupremo domino in Ducatum erigi poſtulaverint.

Concordia inter Ferrar. & Bononien an. 1271. & 1287. ms. in Arch. Secr.

CLXI. Illud autem maximè urget, quòd Domini Comacli titulum poſt ducentos, & ampliùs annos ab aſſerta Comaclenſium deditione, & poſt Julii II. tempora, qui ejus urbis dominium Eccleſiæ Romanæ acerrimè aſſeruerat, Eſtenſes Principes uſurpare cœperint; ut liquidò pateat futilem hanc rationem ſubtrahendi Comaclum ab Apoſtolicæ Sedis imperio ipſos tunc demùm excogitaſſe, cum Pontifices Romani ſummæ poteſtatis jura in Comacli Comitatum ſedulò magis, quàm antè, ob exortam ſub Julio II. de ſupremo in eumdem Comitatum dominio controverſiam, exercebant: ſanè imbecille iſtud conſilium nequaquam adhibuerunt Herculis II. prædeceſſores, quippe qui Comaclum Vicariatus Ferrariæ partem eſſe probè ſciebant. Hinc in bino illo fœdere de anno MCCCCLXVIII. & MCCCCLXX. cujus numero CLVI. meminimus *Ferrariæ &c. Vicarii*, non Comacli domini titulus occurrit. Hinc Nicolaus III. in ſuis diplomatibus non alios titulos adhibet, quàm Eſtenſis Marchionis, & pro S. R. E. civitatis Ferrariæ Vicarii Generalis, ut videre eſt in multis Alphonſi I. diplomatibus, in quibus

Informazione ſopra le ragioni di precedenza tra i Duchi di Fiorenza, è di Ferrara ſtampata l'an. 1562. pag. 1. Regeſtum exēptionum Duc. Ferrariæ in Arch. Secr.

alia Nicolai III. retulit atque confirmavit. Hinc an. MCCCCLXXXIII. die XVI. Maii Hercules I. *Dux Ferrariȩ, Mutinȩ, ac Regii, Marchio Eſtenſis, Rhodigiique Comes* inſcribitur in epiſtola data Antonio de Montecatino ejus apud Florentinam Rempublicam Legato; & in omnibus privilegiis, quæ ſubditis ſuis diverſis temporibus conceſſit, idque ipſum in Borſi Ducis anteceſſoris ejus diplomatibus obſervatur. Extat adhuc magnum volumen authenticum immunitatum publicorum onerum, ac vectigalium quas Alphonſus I. Herculis memorati ſucceſſor toto ſui Ducatus tempore multis Communitatibus, plurimiſque privatis perſonis vel confirmavit, vel de novo conceſſit, nec alium titulum diplomata illa præſeferunt, quam *Ducis Ferrariȩ, Mutinȩ, & Regii, Marchionis Eſtenſis, Rhodigiique Comitis* uſque ad annum MDXXXII. quo tempore alium Domini Carpi titulum præcedentibus addere

Ferri hiſtoria di Comacchio lib. 4. cap. 39. pag. 450. Ordini vecchii delle Valli di Comacchio foglio 15. à tergo Alphonſi I. mandatū procuræ de anno 1531. in Arch. Caſtri S. Angeli & teſtam. ad calcem reſponſionis Contelori.

cœpit. Hoc ipſum obſervare licet in quibuſdam ejus diplomatibus datis anno MDXX. & MDXXII. apud Ferrum in hiſtoria Comaclenſi, & in libro veterum Ferrariæ Ducum mandatorum circa Comacli valles. Item in Procuræ mandato ad acceptandum laudum Caroli V. de controverſiis inter eundem Alphonſum, & Clementē VII. dato die XXIV. Maii anno MDXXXI. nec non in poſtremi teſtamenti ejuſdem Alphonſi I. tabulis die XXVIII. Auguſti anno MDXXXIII. in quibus omnibus titulus Comacli Domini non legitur, licet in memorato teſtamento Carpi Domini titulo utatur, idem profecto de Comaclo longè præſtantiore urbe facturus, eo præſertim tempore, quo de ſupremo in eandem dominio contendebatur, ſi ſegregatam eſſe à Ferrariæ Vicariatu putaſſet. Hercules II. Alphonſum I. excipiens menſe Novembri anni MDXXXIV. titulorum numerum auxit, ſeſe *Ferrariȩ, Mutinȩ, ac Regii Ducem IV. Carnutum I. Marchionem Eſtenſem, Carpi principem, Rhodigii, & Giſordi Comitem, et Montis Arguti Dominum* inſcribens, rarò tamen Comacli Domini titulum addidit hoc pacto

Regeſtum exēptionum Ducum Ferrariæ ſignat. lit. B. Ragioni di precedēza della Caſa d'Eſte in fol an. 1562. pag. 41.

Montis Arguti, et Comacli Dominus. Cum autem de præcedendi jure inter ipſum, & Coſmum Ethruriæ tunc Ducem lis orta eſſet, titulorum ſeriem anno MDXLII. & deinceps amplificavit, aſſumptis titulis *Ferrariæ, Mutinȩ, et Regii Ducis IV. Carnutum I. Marchionis Eſtenſis, Rhodigii, et Giſordi Comitis, Carpi Principis, Provinciarum Carfagnanȩ, Frignani, et Romandiolȩ, Comaclique, et Montis Arguti Domini.* Verùm in tractatu quem Eſtenſes Principes de memorato præcedendi jure adverſus Coſmum

Du-

Ducem anno MDLXII. edidere, licet ſingula queque Eſtenſium dominia recenſeantur, Comitatus tamen Comacli nulla fit mentio. Sed nec Rodulphus II. Imperator in facultate eligendi ſibi ſucceſſorem in Mutinæ, Regiique Ducatu Alphonſo II. tradita die VIII. Auguſti anno MDXCIV. nec in ejuſdem Ducatus inveſtitura Cæſari Eſtenſi die XIII. Januarii anno MDXCVIII. conceſſa, ullum alium ipſis titulum adſcribit, præterquam Ducis Mutinæ, & Regii, Marchionis Eſtenſis, Rhodigii, & Carpi Comitis. Tantùm itaque abeſt, ut ex uſu tituli Comacli domini probetur Comaclum extra diſtrictum Ferrariæ poſitum eſſe, ut inde potiùs dilucidè appareat, eam urbem in Ferrariæ diſtrictu incluſam fuiſſe, cum Imperatores ipſi ab hocce titulo Eſtenſibus concedendo abſtinuerint, nec illum Eſtenſes Principes ante Herculem II. uſurpaverint.

CLXII. Huic argumento magnum pondus accedit ex variis publicis actis, aliiſque monumentis, in Comaclenſium rerum regeſto contentis. In eo enim codice extant Herculis I. Alphonſi I. & Herculis II. non pauca diplomata, data ab anno MDIV. ad annum MDLX. in quibus omnibus ſeſe inſcribunt Duces Ferrariæ, Mutinæ, & Regii, Marchiones Eſtenſes, Rhodigiique Comites, abſque Comacli Domini titulo, quo tunc maximè uti debuiſſent, cum ad Comaclenſes ſcribebant, ſi ea urbs principaliter, non autem acceſſoriè, ut loqui amant, Ferrarienſi Ducatui unita fuiſſet. Borſus quoque Dux anno MCCCCLX. & MCCCCLXII. in reſcriptis ad Comaclenſium poſtulata de exemptione datiorum, titulum Comacli Domini nequaquam adhibuit; nec Comaclenſes in ſupplicibus ad memoratos Duces libellis, aut in quolibet alio actu publico, eoſdem Ferrariæ Duces Comacli Domini titulo unquam ſalutarunt. Siquidem in inſtrumento, quo Nicolaum Eſtenſem Principem in arbitrum inter ipſos, & Monachos S. Jacobi Cellæ Volanæ elegerunt, Marchionem tantummodò Eſtenſem eundem Nicolaum vocant. In inſtrumento prætereà, quo Ferrariæ Ducibus Communitas Comacli anno MDXVII. die X. Februarii locavit paſcua nonnulla Magnavaccæ portui propinqua, nec non in alio inſtrumento de ceſſione memorati portus eiſdem Ducibus facta anno MDXX., nullo alio titulo decorantur Eſtenſes Principes, quàm *Ferrariæ, Mutinæ, ac Regii Ducum, Marchionum Eſtenſiũ, Rodigiique Comitũ.* In ſupplicibus etiam libellis, quorum non pauci in laudato regeſto ab anno MDXIX. ad annum MDLX. recenſentur, Comaclenſes, tamquam ad Ferrariæ Duces, ſuas Eſtenſibus Principibus porrigunt preces, & ipſi

Regeſt. Comaclen. fol. 4. 51. 53.

Regeſt. Comaclen. fol. 60. & ſeqq.

ipſi demùm Principes Eſtenſes tamquam Ferrariæ Duces, non tamquam Comacli Domini reſcripta ſupplicantibus tradunt, cum omnium Principum moris ſit, cum ad Provinciarum non acceſſoriè, ſed principaliter eorum dominio ſubjectarum, populos ſcribunt, titulum peculiarem, eiſdem Provinciis antiquitus attributum cæteris ſuis titulis adjicere. Denique in toto illo Comaclenſium regeſto titulus Domini Comacli anno tantùm MDLXV. die XV. Julii prima vice apparet in tranſactione quadam inter Comaclenſes, & Principes Eſtenſes de hoſpitii Magnavaccæ paſcuis, eumque titulum non Comaclenſes, ſed Eſtenſium Procurator ſuis Dominis adſcribit. Ex quibus omnibus patet, quàm recens ſit tituli hujus uſus, eumque non alia, ut videtur, ratione, quàm pro ſubtrahendo Comacli Comitatu à ſupremo Sedis Apoſtolicæ dominio inductum fuiſſe.

Oſſervationi ſopra la lettera intitolata il dominio ſupremo del Papa an. 1708. p. 57. & 60.

CLXIII. Objiciunt etiam Bonifatii IX. bullam de ſublata bonorum emphyteuticorum caducitate ad Eccleſiarum favorem, cum Emphyteutarum linea deficit; ajunt enim eam bullam, pro Ferrariæ diſtrictu editam, nunquam ad Comaclenſes extenſam fuiſſe. At in ea bulla non diſtrictus, ſed Ferrarienſis tantùm populi ratio habetur, ut patet ex illis ejuſdem verbis, *Per particulares perſonas, ſeu incolas, & ejuſdem populi, & Communis*, ideoque mirum non eſt, Comaclenſes ejus privilegii nunquam participes fuiſſe. Futile etiam eſt, quod ajunt, Sixtum IV. Eccleſiæ Ravennati confirmaſſe Comaclum, adeoque putaſſe, Ferrariæ nequaquam attributum fuiſſe, cum ejus urbis Vicariatus Principibus Eſtenſibus à Joanne XXII. aliiſque Summis Pontificibus conceſſus fuit. Etenim Sixtus IV. nil de Comaclo decrevit, ſed literis ſuis, datis die XXI. Maji anno MCCCCLXXII. inſtante Ravennæ Archiepiſcopo, Honorii II. bullam, de qua num. XXXVI. egimus, authenticam eſſe tantummodo declaravit; quo facto nec urbem Comaclum, nec aliud quidquam Eccleſiæ Ravennati addixit, nec quidquam novi conſtituit; ſed ejus tantum jura, abſque alterius cujuſpiam præjudicio, Ravennatibus Archiepiſcopis integra illibataque conſervavit, additâ ad hoc ipſum indicandum clauſula. *Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus*. Idem dicendum de aliis Romanis Pontificibus, qui ab anno MCXIX. ad annum MCCLV. ſuis bullis Ravennatis Eccleſiæ privilegia confirmarunt; nam illis temporibus Archiepiſcopi Ravennates à Comacli, & aliarum urbium, quas eiſdem Pontifices largiri dicuntur, domi-

Sixtus IV. lib. 10. Diverſorum fol. 192.

dominio dudum exciderant, cum Ravenna, aliæque in eorum bullis memoratæ urbes, à ſuis Magiſtratibus, vel Comitibus, tunc temporis, ac deinceps quòque, ſub ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio poſſeſſæ fuerint. Hos autem adepto dominio privare Pontifices, nec volebant, nec poterant, ſed tantùm antiqua in eaſdem Civitates jura, qualiacumque erant, Eccleſiæ Ravennati aſſerere cogitabant; & quemadmodum in inveſtituris, quas de eiſdem urbibus diverſis temporibus conceſſerunt, nulla obſoletorum jurium Eccleſiæ Ravennatis revocatio facta fuit, ita nec in concedendo Comaclo, unâ cum Ferraria, Eſtenſibus Principibus, de ſimilibus Archiepiſcoporum juribus loqui voluerunt; ſecus de Argenta, cujus poſſeſſione eoſdem Archiepiſcopos recenter Eſtenſes Principes ſpoliaverant.

CLXIV. Denique nil Apoſtolicæ Sedis juribus detrahit, quòd Hippolytus Cardinalis Eſtenſis, & ante ipſum Peregrinus Priſcianus confinia Ferrarienſis ditionis ita deſcripſerint, ut extrà ipſam Comacli Comitatum poſuerint; nam præterquamquod deſcriptiones illæ privata auctoritate concinnatæ ſint, ſolam territorii, non verò diſtrictus Ferrarienſis deſcriptionem exhibent, licet Priſcianus haud propriè territorium, diſtrictus nomine appellet, quemadmodum, & Chronicæ parvæ Eſtenſium antiquus auctor, cujus verba refert Priſcianus in capitulo, *Quod portus Gauri ſit de territorio, & juriſdictione Ferrariæ*, in quo poſt allatam primam probationem ſic loquitur, *Secundò ex verbis, & confinibus Civitatis, & diſtrictus Ferrar. datis nobis per antiquos annales noſtros, quibus ſic determinantibus totius quidem diſtrictus Ferrar. confines hi nominantur &c. Inde ad ortum verſus ſunt confines Argentenſes, Ravennates*, COMACLENSES, *Monaſterium Pomposianum &c.* Hippolytus verò Cardinalis ait, *Li confini del Ferrareſe ſono gl'infraſcritti &c. verſo l'Oriente li confini di Argenteſi, Ravennati*, COMACCHIESI, *il Monaſtero di Pompoſa, mediante il fiume Goro, & il mare Adriatico*. Atqui tam laudatorum à Priſciano annalium, quàm Hippolyti Cardinalis Eſtenſis verba, de territorio, non autem de diſtrictu Ferrarienſi accipienda eſſe patet; nam etſi concedamus Argentam, utpote à Ravennatibus Archiepiſcopis locationis titulo Eſtenſibus conceſſam, extra Ferrariæ diſtrictum ponendam eſſe, id tamen de monaſterio Pompoſiano dici nequaquam poſſe videtur, quippe quod territorium quidem, non verò diſtrictum habere par eſt, & alioquin non deſunt auctores Hippolyto

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708. pag. 58.

polyto

polyto Cardinali, & Peregrino Priſciano coævi, qui Comaclum in Ferrarienſi diſtrictu poſitum eſſe diſertè affirmaverint, uti Cælius Calcagninus in Apologia Alphonſi I. nomine Julio II. exhibita, itemque Gaſpar Sardius, & ejuſdem cognominis Alexander in Ferrarienſis urbis, & Joannes Baptiſta Pigna in Eſtenſium Principum hiſtoria, quos num.XL. laudavimus.

Calcagnin. Apolog. inter ejus opera pag. 533. 534.

CLXV. Ex his quæ hactenus diximus, dilucidè ſatis apparet, Comaclum in Vicariatu Ferrarienſi comprehenſum fuiſſe: quod ſi quis pertinaciùs adhuc contendat, eam urbem unà cum Ferraria ab Apoſtolica Sede Eſtenſibus nequaquam datam fuiſſe, is utique, oportet, ut ſaltem fateatur, Comaclum ad Ferrarienſem, vel ad Ravennatem urbes, ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio æquè ſubjectas, ſemper ſpectaſſe. Nam Ravennates Archiepiſcopi antiquitus Comaclum cum toto Exarchatu à Summis Pontificibus obtinuerunt; poſtquã verò iiſdem Archiepiſcopis omnis penè poteſtas in Exarchatum ob populorum rebelliones adempta fuit, Ravennates adjacentium urbium dominium ſibi arrogarunt, invitis licet populis, nulloque reſpectu habito ad Pontificum Bullas, quibus antiqua in Exarchatum juriſdictio Archiepiſcopis aſſerebatur. Ravennatum conatibus reſtiterunt pro viribus Comaclenſes, at nihilominus Ferrarienſibus Ravennatum hoſtibus parere primùm coacti ſunt; mox, anno, ſcilicet, MCC. & ſubſequentibus temporibus, cum jam Innocentius III. univerſam Eccleſiæ Romanæ ditionem recuperaſſet, eiſdem interdùm neceſſe fuit Ferrarienſibus æquè ac Ravennatibus, interdum verò eorum alterutri ita viciſſim ſubjici, ut fidelitatem ipſis jurarent, Prætores ab eiſdem acciperent, piſciumque annuum cenſum perſolverent, donec Marchiones Eſtenſes, tunc Apoſtolicæ Sedis rebelles, ſacriſque interdictos irrito actu in urbis dominos anno, ut ajunt, MCCCXXV. elegerint, qui poſtmodùm ad Summi Pontificis obedientiam redeuntes, Ferrariæ, & ab ipſa pendentium locorum Vicariatum à Joanne XXII. obtinuerunt. Comaclum itaque, ſi nòn unà cum Ferraria Eſtenſibus Principibus ab Apoſtolica Sede traditum fuiſſet, illud utique Ferrarienſibus, vel Ravennatibus injuſtè abſtuliſſent Eſtenſes, ita tamen ut utrique ſuis in Comaclum juribus numquam ſpoliati fuerint, multòque minus Apoſtolica Sedes, cujus ſumma in Exarchatum poteſtas, vel ipsâ Imperii per eandem Sedem reſtitutione vetuſtior, nulla uſurpatione, nullaque præſcriptione labefactari potuerit. Licitum itaque ſemper fuiſſet Summis Pontificibus

Vide notata num. 45. 53. 74. 78. 80. 82.

ficibus

ficibus, utpote ſupremis Ferrariæ, Ravennæ, & totius Exarchatus dominis, earum urbium numquam præſcripta ab Eſtenſibus jura, ſummi in univerſum Exarchatum imperii juribus cumulando, urbem Comaclum, quæ Exarchatus pars erat, & ad Ferrariam, ac Ravennam diverſis temporibus pertinuit, data occaſione, ab Eſtenſium Principum ſubjectione redimere; quandoquidem rem ab aliis occupatam, atque injuſtè detentam, numquam non repetere fas eſt, præſertim ſi pro derelicta nequaquam habita fuerit. Quamobrem etſi à Vicariatu Ferrariæ demas Comaclum, tamen ſivè Exarchatus, ſivè Ferrarienſis, ſivè Ravennatis urbium ratione, ſemper ad ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium ſpectabit; ac juſtè legitimèque potuerit Clemens VIII. eam quoque urbem, cum primùm facultas data fuit, ad Sedis Apoſtolicæ demanium revocare.

CLXVI. Supereſt modo, ut quid ſentiendum ſit de Comacli inveſtituris, quas Imperatores diverſis temporibus dediſſe Eſtenſibus Principibus ajunt, breviter explicemus. Et primo quidem loco Lotharii, & Ludovici II. Imperatorum privilegium quoddam proferunt, Othoni Eſtenſi datum anno DCCCLIV. cujus hæc ſunt verba. *In Nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hlotarius, & Hludovicus Divina ordinante providentia Imperatores Auguſti. Dilecto Equiti noſtro Othoni Eſtenſi, ob beneficia, & merita Henrici Patris, ac ipſius in nos, regnique noſtri fidelem dilectionem, dedimus, damuſque* COMACLUM, *cum toto Territorio, & aquis, paludibus, ſylvis, & piſcariis ab uno capite ad Inſulam Laureti, ſeu Canarioli, ab alio verò ad Inſulam Lacus, & indè ad territorium uſque ad aquas Ravennæ; indè ad Auſtrum per Padum ad fluvium de fine, & Occidentem versùs ad territorium uſque Epiſcopi Ferrarienſis. Si quis autem hanc noſtram conceſſionis auctoritatem irritam facere tentaverit, emunitatis mulctam, ideſt, argenti libras* XXX. *prædicto Equiti perſolvere cogatur; & ut hoc conceſſionis præceptum diuturnis temporibus in ſuo robore permaneat, atque in omnibus veriùs credatur, & diligentiùs obſervetur, manus noſtræ ſubſcriptiones ſubter annotavimus.* *Riſpoſta alle Scritture mandate da Roma ſtampata nell' anno 1708.*

Ego Hlotharius miſericordia Dei Imperator (locus monogrammatis) *ſubſcripſi.*

Ego Hludovicus Imperator (locus monogrammatis) *ſubſcripſi.*

Datum menſe Majo, die vigeſimo, anno Imperii Regnorum quarto, Indictione undecima. Actum in Palatio Regio Aquiſgrani.

CLXVII.

CLXVII: Pivilegium hocce ſuppoſititium eſſe, plura nos docent. Otho Eſtenſis vocatur Eques, ac ſi vox iſta eo, quo nunc ſenſu accipitur, Lotharii, & Ludovici II. temporibus uſurparetur. Confinia Comitatus Comaclenſis eodem prorſus pacto, quo nunc ſunt, deſcribuntur. Pœna violatoribus Cæſareæ largitatis ita deſignatur, ac ſi res tunc omnibus nota, explicatione indigeret. Nulla adeſt Cancellarii mentio, aut ſubſcriptio, quæ in genuinis diplomatibus ſolet apponi, ſigillum quòque deficit, cunctis ejus generis diplomatibus apponi ſolitum. Præterea Comaclum Othoni Eſtenſi dari potuit, vel in feudum, vel in allodium, vel in temporariam præfecturam. Priori modo traditum fuiſſe dici nequit, nam Lotharii Imperatoris temporibus nondum feudorum conceſſio in uſu fuit, ut latè probat Cantarellus, qui ex profeſſo de eorum origine tractatum edidit. Sed nec in præfecturam per allegatum privilegium dari potuit, cum diverſum prorsùs deprehendatur ab ea formula conceſſionis Ducatus, Patritiatus, vel Comitatus, quam Marculfus paulò anteriorum temporum ſcriptor exhibet, rudibus hiſce verbis expreſsâ. *Perſpicuè regalis in hoc perfecta colludatur clementia, ut inter cuncto populo bonitas, & vigilantia requiratur perſonarum; nec facilè cuilibet judiciariam convenit committere dignitatem, niſi priùs fides, ſeu ſtrenuitas videantur eſſe probata. Ergo dum, & fidem, & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideò tibi actionem Comitatus, Ducatus, ac Patritiatus, in pago illo, quem anteceſſor tuus ille uſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum, regendumque commiſimus; ita ut ſemper erga regimine noſtro fidem illibatam cuſtodias, & omnis populus ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, quàm reliquas nationes, ſub tuo regimine, & gubernatione degant, & moderentur, & eos recto tramite ſecundùm legem, & conſuetudinem eorum regas, viduis, & pupillis maximus defenſor appareas, latronum, & malefactorum ſcelera à te ſeveriſſimè reprimantur; ut populi benè viventes, ſub tuo regimine gaudentes, debeant conſiſtere quieti; & quidquid de ipſa actione in fiſci ditionibus ſperatur, per temetipſum annis ſingulis noſtris ærariis inferatur.* Supereſt itaque, ut in allodium dicant fuiſſe collatum. Atqui villæ tantùm, & prædia, non verò Civitates, & Comitatus ea conditione Lotharii, & Ludovici II. temporibus tradebantur, ut ex Thegano colligitur, qui in libro de geſtis Ludovici Pii ejus liberalitatem extollens, ait, *In tantum largus, ut antea, nec*

Louis Chante-reau des fiefs lib. 1.

Marculf. lib. 1 formul. cap. 8.

Thegan Vita Lud. Pii cap. 19.

nec in antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum eſt, ut Villas regias, quæ erant ſui, & avi, & tritavi, fidelibus ſuis tradidit eas in poſſeſſiones ſempiternas, & præcepta conſtruxit, & annuli ſui impreſſione cum ſubſcriptione manu propria roboravit. De donatis autem urbibus, aut Comitatibus nullam mentionem facit. Hinc etiam in formulis hujuſcemodi donationum apud Marculſum villæ tantummodò in pagis ſitæ conceduntur, ac præterea nulla privilegii violatoribus pœna infligitur, ſecus ac in prætenſo Lotharii, & Ludovici Imperatorum diplomate legitur. Denique cum hoc privilegio convenire nequaquam poſſunt, quæ ex probatæ fidei antiquis monumentis attulimus num. XII. & XIII. ex iis enim conſtat, Comaclenſes annuum cenſum Apoſtolicæ Sedi, à qua Comites etiam accipiebant, uſque ad annum DCCCLXXVII. perſolviſſe, ac Venetos, expulſo Marino Comite, anno DCCCLXXXI. Comaclum ſibi ab Apoſtolica Sede concedi optaſſe: neutrum autem fieri poterat, ſi anno DCCCLIV. Comaclum Otho Eſtenſis à Lothario, & Ludovico II. Imperatoribus accepiſſet; quamobrem dicendum eſt, privilegium, in quo id aſſeritur, ſuppoſititium exiſtere.

Marculſ. lib. 1 Formul. c. 14. & 17.

CLXVIII. Non aliter cenſendum eſt de tertio Almerici cujuſdam Comitis teſtamento, Agapeti Papæ, ut putant, & Lotharii Italiæ Regis temporibus circa annum DCCCCXLVII. edito, ex quo hæc verba referunt, *Alias autem res noſtras, quæ in noſtro Territorio* COMACLO *habere viſi ſumus, & omnes Inſulas Maris Hadriatici ad Monaſterium Sancti Apollinaris relinquimus*. Comaclum quippe ab an. DCCCCXXXII. ad annum DCCCCLIV. nullũ Comitem habuit, & vel à Venetis occupatum, vel à Magiſtratibus, è civium numero electis gubernatum fuiſſe conſtat, ut num. XVIII. & XIX. probavimus. Præterea qui nunc Apoſtolicæ Sedis in Comaclum jura ſcripto oppugnarunt, ingenuè fatentur, Comaclum anno DCCCCL. à Berengario, & Adelberto Italiæ Regibus poſſeſſum fuiſſe; Quonam itaque pacto iidem aſſerere poſſunt, Almericum iis temporibus fuiſſe Comacli Comitem, & anno DCCCCXLVII. de rebus in territorio ſuo Comaclo poſitis diſpoſuiſſe? Porrò Teſtamentum iſtud confectum dicitur *anno Pontificatus D. N. Agapito Summo, & univerſali Papa in Apoſtolica Sacratiſſima B. Petri Apoſtoli Domini Sede II. ſicque imperante D. N. Ugo, & Lothario filio ejus anno XXII. octavodecimo die menſis Julii Ind.* VI. *Ferrariæ*, quod incidit in annum DCCCCXLVIII. verùm ex hac data

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 28.

Teſta-

Teſtamentum iſtud ſuppoſitionis arguitur; conſtat enim ex multis horum Regum diplomatibus in authentico Farfenſis Monaſterii regeſto contentis, Hugonem unâ cum Lothario filio dare ſimul diplomata cœpiſſe anno DCCCCXXX. quo tempore in Regni ſocium Lotharium filium aſſumpſit; deſiiſſe autem anno DCCCCXLV. cum Lotharius, Hugone ab Italici Regni Proceribus depoſito, ſolus regnare cœpit: quamobrem in Lotharii diplomatibus, quæ in eodem Regeſto leguntur, datis anno DCCCCXLVII. & ſequentibus numquam Hugonis nomen apparet. Suppoſititium itaque eſſe patet Almerici Comitis teſtamentum, quod datum dicitur Hugone, & Lothario regnantibus anno DCCCCXLVIII. triennio, ſcilicet, poſtquam Hugo Italico Regno excidiſſet. Præterea cum Hugo, & Lotharius diplomata ſimul dederunt, non unum eundemque regni annum numerarunt, quemadmodum fit in teſtamento, quod Almerico Comiti affingitur; ſed Hugonis anni ſexennio majores ſunt annis Lotharii, qui inſuper anno DCCCCXLVIII. annum regni numerat decimumoctavum, non verò vigeſimum ſecundum, ut in laudato teſtamento dicitur. Cum itaque non uno indicio ejuſdem teſtamenti ſuppoſitio eluceſcat, dicendum eſt, Peregrino Priſciano haud emunctæ naris viro, qui primus omnium teſtamentum Almerici Comitis laudavit, à ſciolo quopiam fucum factum fuiſſe, aut ipſum Priſcianum fictitio monumento Eſtenſibus Principibus, hujuſcemodi artibus ad probandam ipſorum proſapiæ nobilitatem nequaquam indigentibus, impoſuiſſe.

Regeſt Farfen. num. 365. & ſeqq.

Ibid. num. 382. 383. 384.

CLXIX. Toto illo tempore, quod inter annum DCCCCXLVII. & annum MCCXCVII. excurrit, nullum adhuc proferunt ex Eſtenſi proſapia Comitem, qui Comaclum Imperatoria auctoritate poſſederit, & revera nequaquam proferre poſſunt, cùm eam urbem rarò à ſuis Magiſtratibus, ſæpiſſimè verò à Ferrariæ, & Ravennæ Prætoribus, ac interdum fortaſſe ab ejuſdem urbis Archiepiſcopis gubernatam fuiſſe, clariſſimè à nobis oſtenſum ſit. Meliùs itaque ſuis argumentationibus conſuluerunt, qui prætenſa Eſtenſium Principum in Comaclum jura tuentes, ea non à Lotharii, & Ludovici II. Imperatorum conceſſione, ſed à Caroli IV. neſcio qua inveſtitura, anno MCCCLIV. & MCCCLXI. Eſtenſibus Principibus tradita, arceſſunt. At ne ſic quidem, quod ſibi faciendum propoſuerunt, efficiunt. Nam aſſerta Caroli IV. inveſtitura, quod ad Comaclum attinet, contraria prorſus eſſet reſtitutioni totius Exarchatus, atque Comacli, à Rodulpho I. Romanorum Rege antè

ſeptua-

ſeptuaginta quinque annos, Romanæ Eccleſiæ cum Imperii Principum aſſenſu factæ, & conſequenter pro irrita, atque infecta haberi deberet. Viderentur etiam Eſtenſes Principes eo prorſus pacto, quo Marchionatus Anconitani, ſibi jam ab Innocentio III. conceſſi, inveſtituram ab Ottone IV. acceperunt, ita & Comaclum ſub Carolo IV. feudis Imperii, dum eorum inveſtituram peterent, adjeciſſe, ut prætenſa eorum in Comaclum jura Auguſtali conceſſione prætexerent. Atqui nil juris, niſi ex Joannis XXII. Vicariatu Eſtenſibus Principibus in Comaclum competere poterat; nam eam urbem, utpote à Ferrarienſibus dudum poſſeſſam, Eſtenſes non alio jure, quàm dominii illius, quod in Ferraria ex Apoſtolica conceſſione habebant, ſibi arrogarunt anno MCCXCVII. ideoque in ea imperialium feudorum inveſtitura, quam anno MCCLXXV. & annò MCCLXXXI. à Rodulpho Romanorum Rege obtinuiſſe ajunt, nulla Comacli mentio facta fuit: ſupervacanea autem fuiſſet, quin immò prætenſis eorum juribus detrimentum potiùs, quàm adjumentum attuliſſet, deditio illa, quam Comaclenſes anno MCCCXXV. Rainaldo, ac Obizoni Eſtenſibus feciſſe ajunt, ſi Comacli Comitatum aliâ, quàm Ferrariæ dominii ratione, aut ex Lotharii, & Ludovici II. Imperatorum conceſſione jamdudum obtinuiſſent. Obſervandum etiam eſt, inter aſſertam hanc deditionem, & primam Caroli IV. inveſtituram, XXIX. annos interceſſiſſe; præſtando autem debito Imperatoribus obſequio, præſertim Ludovico Bavaro, cujus partes ſequebantur, tamdiù ſuperſedere non debuiſſent Eſtenſes Principes, ſi Comaclum ad ſupremum Imperii dominium ſpectaſſet; quamobrem non alia mente Comacli inveſtituram à Carolo IV. poſtulare potuerunt, quàm ut urbem in Ferrarienſi Vicariatu comprehenſam, è ſumma Romanorum Pontificum Avinione degentium, adeoque eorum conſilia ignorantium, poteſtate ſubtraherent.

Vide notata num. 82.

CLXX. Sed etſi concederetur Carolum IV. Comacli inveſtituram Eſtenſibus Principibus dediſſe, eam tamen ab ipſomet ejus auctore abolitam revocatamque fuiſſe anno MCCCLXVIII. ex iis, quæ diximus numero LXXXVI. colligitur. Vidimus enim Carolum IV. inſtante Urbano V. cuncta aboleviſſe, quæ tàm adversùs Imperii, quàm adversùs Apoſtolicæ Sedis jura, toto illo tempore, quo Romani Pontifices apud Avinionem permanſerant, ab Italiæ Urbibus, atque Regulis attentata fuerunt, ac de novo Romanis Pontificibus aſſeruiſſe ſummum imperium in univerſam Eccleſiæ Ro-

manæ ditionem juxta Henrici VII. & Rodulphi I. conſtitutiones, in quarum poſtrema Comacli diſerta ſit mentio. Obſervatum autem fuiſſe, quòd tunc temporis juſtè, ac æquè à Carolo IV. ſtatutum fuerat, indè colligitur, quòd mortuo Nicolao II. Eſtenſi Principe anno MCCCLXXXVIII. die XXVI. Martii, quem ajunt poſt Aldebrandini obitum anno MCCCLXI. inveſtituram à Carolo IV. accepiſſe, nullus ex Principibus Eſtēſibus per ſeptuaginta duos annos aliam Comacli inveſtituram à Venceslao Cæſare, in iis tradendis ad prodigalitatem uſque largiſſimo, aut à Roberto ejus ſucceſſore obtinuit, licet per totum illud LXXII. annorum ſpatium inveſtituram neceſſariò renovandi occaſio non ſemel data fuiſſet, die, ſcilicet, XXVI. Martii anno MCCCLXXXVIII. & die penultima Julii anno MCCCXCIII. quibus Nicolaus II. & Albertus V. ejus ſucceſſor obierunt. Albertum Nicolaus III. excepit, quem non ſtatim atque ejus anteceſſor abiit è vita, ſed poſt quadraginta annos Comacli inveſtituram à Sigiſmundo Imperatore an. MCCCCXXXIII. conſecutum fuiſſe affirmant. Cum itaque obſoleta eſſet ejus declarationis memoria, quam Carolus IV. pro aſſerendis tam Imperii, quàm Apoſtolicæ Sedis juribus anno MCCCLXVIII. ediderat, facile fuiſſet Eſtenſibus Principibus Comacli inveſtituram à Sigiſmundo Cæſare Carolinæ Conſtitutionis ignaro obtinere, ut ejus comitatum à ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio ſubtraherent. Cæterum, quæ à ſubſequentibus Imperatoribus, uſque ad hanc diem inveſtituræ datæ fuiſſe dicuntur, eodem, quo alia Sigiſmundi, vitio laborarent, cunctæ enim, ut ajunt, ad Sigiſmundi conceſſionem referuntur, hæc verò alteri Caroli IV. innititur, quæ cum ab ipſomet Carolo per memoratam poſteriorem conſtitutionem revocata fuiſſe videatur, neceſsè eſt, alias omnes unâ cum Caroli IV. inveſtitura corruere.

Oſſervationi ſopra la let. del Dominio temp. de Papi. pag. 86. e ſeguenti.

CLXXI. Confutanda nunc nobis eſt eorum opinio, qui ex continuato, ut putant, per memoratas inveſtituras, etiam poſt Innocentii III. tempora, prætenſo Cæſarei dominii exercitio, & ex eo, quòd Eſtenſes Principes earumdem tantummodò inveſtiturarum auctoritate, ſe Comaclum poſſidere putaverint, perperam deducunt, præſcriptionem adversùs Apoſtolicam Sedem inductam fuiſſe, ideoque nullum jus in Comacli Comitatum Romanis Pontificibus ſuppetere. Supremam ſummorum Pontificum poteſtatem in ſubjectas Romanæ Eccleſiæ Provincias, nil detrimenti per injuſtas Cæſarum occupationes, vel per populorū rebellio-

nes,

nes, poſt Ottonis Magni obitum paſſam fuiſſe, pluribus argumentis num. CXXXIX. & ſeq. evicimus, quibus addendum, quod tunc memoria exciderat, nempe, Joannem XV. ſummi imperii auctoritate uſum fuiſſe, cum Ferrariam Thedaldo Mathildis Comitiſſæ proavo in feudum conceſſit, quemadmodum Domnizo in poëmate de geſtis Comitiſſæ Mathildis lib. I. cap. III. & Anonymus antiquus de ejuſdem vita recenter à Leibnitio editus teſtantur. Præterea addendum, Summos Pontifices in confirmationibus veterum privilegiorum Eccleſiæ Ferrarienſis, inter alia Comacli mentionem facientes, eam urbem Romanæ Eccleſiæ juris eſſe, multoties declaraſſe, ut videre eſt in Bullis Paſchalis II. datis Landulpho Epiſcopo Ferrarienſi VI. Idus Aprilis Ind. XIII. anno MCVI. Innocentii II. datis eidem Epiſcopo V. Id. Martii anno MCXXXIII. & ejus ſucceſſori Griffoni X. Kal. Maii anno MCXXXIX. Cæleſtini II. datis eidem Griffoni II. Non. Maji anno MCXLIII. & Lucii II. datis pariter Griffoni, & ex regeſto Ferrarienſis Epiſcopi deſcriptis apud Peregrinum Priſcianum ad calcem primi libri Chronicorum Ferrariæ, in quibus omnibus Bullis iidē Pontifices NOSTRUM COMITATUM COMACLI diſertè dicunt. Addenda etiam, quæ Guntherus in Ligurino à Pontificiis Legatis Federico I. in Lombardiæ partibus degenti, repoſita fuiſſe teſtatur his verbis.

Leibnit. Brunſvicen. rerum Scriptores pag. 691.

Peregr. Priſc. Chron. Ferrariæ. m.s. lib. I.

Quidquid ad eximii rectè patrimonia Petri
Pertinuit dudum poſſeſſio, ſive tributum
Reſtituatur ei. Comitiſſæ terra Mathildis,
Et Spoletanus ſub eodem jure Ducatus.
Quidquid ab excelſis Romanæ mœnibus urbis
Pendentem ſejungit aquam, Ferraria maſſa
Et cum Sardois uberrima Corſica campis
Pontifici Summo, priſco de more tributum
Solvat, & antiquas juſto ſub canone leges.

Gunther. Ligur. lib. 9. pag. 422. Vide Radevic. de geſt Feder. I. lib. 2. cap. 30.

CLXXII. Innocentius III. initio ſui Pontificatus, ut n. CXLI. diximus, Eccl. Romanæ ditionem à Summis Pontificibus ante renovatum per ipſos Occidentis Imperium acquiſitam, & diuturno deinceps tempore poſſeſſam, nunquam verò, aut populorum rebellione, aut Imperatorum occupationibus præſcriptam, & in ſui Pontificatus initio feliciter recuperatam, Apoſtolicæ Sedi ab Ottone IV. & Federico II. confirmari curavit, inſtituta novi juramenti formula, qua inter alia poſſeſſiones ab eorum anteceſſoribus, ſeu à quibuslibet aliis ante detentas, & tunc demum ab ipſo receptas,

enumeratis ſingulis quibuſque provinciis, factaque expreſsâ Exarchatus mentione, diſertis verbis Romanæ Eccleſiæ reſtituantur. Huic reſtitutioni totius Germaniæ Principum aſſenſus non ſemel acceſſit, Romanique Pontifices ſummo in ditionem ſuam imperio ſubſequentibus temporibus, continuata uſque ad hanc diem poſſeſſione, potiti fuerunt; Nam Otto IV. brevi admodum tempore Eccleſiam Romanam vexavit, Federicus verò II. licet fallaci advocatiæ prætextu non pauca Eccleſiæ Romanæ abſtulerit, ejus tamen ſupremum dominium, ut numero CXLII. probavimus, agnovit. Poſt Rodulphum Auguſtum, qui unâ cum Imperii Principibus eandem poteſtatem an. MCCLXXIV. & MCCLXXVIII. & MCCLXXIX. Summis Pontificibus aſſeruit, Ludovicus tantùm Bavarus Eccleſiam Romanam ſua ditione ſpoliare tentavit. At hic è fidelium albo deletus, Imperii tandem dignitatem anno MCCCXLVI. amiſit, electo Carolo IV. qui, caſſatis cunctis ejus iniquè geſtis, ſupremum Apoſtolicæ Sedis dominium eidem confirmavit. Quin & ipſe Ludovicus Bavarus, antequàm Carolus IV. Imperator evaderet, ſe injuſtè Eccleſiæ Romanæ ditionem invaſiſſe faſſus eſt, miſſis Avenionem pluribus Legatis, cum ampliſſimo ad id inter alia agendum mandato, in ſcriniis Apoſtolicæ Sedis adhuc extante, qui in Conſiſtorio publico ejuſdem juſſa executi fuere, teſte Clemente V. in duabus epiſtolis Rainaldo editis. Illud quòque ſine animadverſione prætereundum non eſt, Germaniæ, ſcilicet, Principes in diſſidiis illis, quæ inter Summos Pontifices, & Federicum II. Ludovicumque Bavarum viguerunt, eiſdem in occupanda Romanæ Eccleſiæ ditione nunquam faviſſe; quippè qui ſub Innocentio III. Honorio III. & Nicolao III. recognitiones ſummi imperii Apoſtolicæ Sedis à Federico II. & Rodulpho I. factas, approbaverant. Cæterum Comaclenſes, poſtquam Innocentius III. Romanæ Eccleſiæ ditionem recuperavit, ſub Ferrarienſium, & Ravennatum dominio alternis vicibus permanſerunt, uſque ad annum MCCCXXV. ac propterea ſubjectionis iſtius ratione, Comaclum æque, ac Ravenna, & Ferraria, ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio obnoxium fuit. Comaclenſis enim Epiſcopus, itemque cæteri Provinciæ Ravennatis Antiſtites, Roberti Neapolitani Regis, & Romandiolæ, atque Comitatus Brittenorii Apoſtolica auctoritate Rectoris opem pro recuperandis ſuarum Eccleſiarum bonis poſtularunt anno MCCCXI. & Joannes XXII. Eſtenſes Principes ob impoſitas laicis Ferrariæ, Adriæ, & Comacli

Rainald. an. 1346. n. 1. & 3.

macli inſolitas collectas an. MCCCXXIV. damnavit, ut num. LXXX. & LXXXI. oſtenſum fuit.

CLXXIII. Cum itaque poſt Innocentii III. tempora, nulla præſcriptio adversùs Apoſtolicam Sedem, univerſam ditionem ſuam legitime poſſidentem, oriri potuerit, quandoquidem præſcriptio poſſeſſionem in præſcribente ſupponit; conſequens eſt, ut illam ab anno MCCCXXV. quo Eſtenſes dominium Comacli à Civibus accepiſſe tradunt, vel à prima Caroli IV. inveſtitura anno MCCCLIV. ut ajunt, editâ, repetant, qui Comacli dominium præſcriptionis titulo, tam Imperio, quàm Principibus Eſtenſibus addicere conantur. Atqui ad neutrum eorum annorum prætenſæ hujus præſcriptionis initium referri poteſt; nam præterquamquod Eſtenſes anno MCCCXXV. rebelles Apoſtolicæ Sedis erant, iidem quoque Ferrariæ Vicariatũ poſt quinquennium unâ cum Comaclo à Sũmis Pontificibus obtinuerunt; Carolus verò IV. anno MCCCLV. & MCCCLXVIII. nullum Imperio jus in Eccleſię Romanæ ditionem eſſe, juxta Henrici VII. & Roberti I. ac præſertim Rodulphi I. conſtitutiones, de Comaclo expreſsè loquentes, declaravit, ut num. LXXXV. & LXXXVI. oſtenſum eſt; quamobrem & ſi revera idem Carolus inveſtituram Comacli Eſtenſibus dediſſet, ea tamen nullius ponderis eſſet, ut pote quæ tamquam injuſta ab eodem Carolo revocata fuiſſet. Ab an. MCCCLXVIII. uſque ad an. MCCCCXXXIII. nullas Eſtenſes per ſeptuaginta duos annos inveſtituras ab Imperatoribus acceperunt; nam ſi accepiſſent, earum utique meminiſſent, qui pro Eſtenſibus Principibus ſcripſere. Summi verò Pontifices ſupremo in Comaclum imperio liberè uſi ſunt; Anglicus enim Cardinalis, ſuæ Legationis munere functus, Comaclũ inter urbes Apoſtolicæ Sedi ſubjectas anno MCCCLXXI. recenſuit, & ſub Martino V. Ludovicus Cardinalis Camerarius Collectorem jurium Apoſtolicæ Sedis per Exarchatum inſtruens anno MCCCCXIX. Provinciæ ipſi commiſſæ limites ita ex Cameræ Apoſtolicæ regeſtis deſcripſit, ut Comaclum in ipſa comprehenderit, quamobrem, vel nulla tunc præſcriptio vigere potuit, vel memoratis Romanorum Pontificum geſtis interrupta fuit. Sed nec præſcribendi animũ Imperatores habuerunt, qui toties Comaclũ Apoſtolicæ Sedis eſſe declararunt. Denique Sigiſmundus Imperator an. MCCCCXXXIII. Apoſtolicæ Sedi confirmavit omnem ditionem ſuam juxta præcedentium Imperatorum, & nominatim juxta Rodulphi I. conſtitutiones, adeòque legitima eſſe non potuit inveſti-

veſtitura illa, quam Eſtenſibus eodem anno dediſſe ajunt, & alioquin edita ab ipſo Romanæ Eccleſiæ privilegiorum confirmatio ad præſcriptionem impediendam ſatis eſt.

CLXXIV. Sed ſi ad ann. MCCCCXXXIII. aſſertæ præſcriptionis initium referatur, ejus tamen curſum remorata fuiſſent varia tam Romanorum Pontificum, quàm Imperatorum acta, nobis ſuperiùs recenſita. Federicus quippè III. anteceſſorum ſuorum donationes anno MCCCCXII. renovavit. Sixtus IV. qualiacunque tunc erant Eccleſiæ Ravennatis jura in Exarchatum, atque Comaclum præſervando, ſupremum in eamdem provinciam dominium exercuit. Julius II. ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium in Comacli Comitatum adverſùs Alphonſum Ducem Eſtenſem acriter aſſeruit anno MDX. Adrianus VI. cum eodem Alphonſo an. MDXXII. de ſale apud Comaclum colligendo, tamquam ſupremus ejuſdem dominus in hunc modum convenit. *Item in recompenſum ejuſdem reductionis cenſus convenerunt, quòd prædictus Dominus Dux, aut ſui hæredes, ſucceſſores, vaſſalli, ſeù ſubditi quicunque, nullo unquam tempore poſſint per ſe, vel alium, ſeù alios in Civitate, Comitatu, ſeu valle* COMACLI. *aut alio loco in territorio, vel dominio per eum ad præſens poſſeſſo, vel in poſterum quoquo modo poſſidendo, ſal uniuſcujuſque generis fabricari facere, vel permittere, abſque Sanctitatis ſuæ, & ſuorum ſucceſſorum expreſſa ſcientia, & mandato, ſub pœna perditionis Ducatus Ferrarienſis, & aliorum feudorum, quæ à Romana, & aliis Eccleſiis quibuslibet obtinet, & in poſterum obtinebit, ipſo facto, ſi contra fecerit, incurrenda, & abſque alia declaratione deſuper facienda; ſed ſolus Romanus Pontifex illud ſibi fabricare, ſeù fabricari facere, ſi, & quando ſibi placuerit, liberè poſſit*: Paulus III. Julius III. & Paulus IV. ab an. MDXLVII. ad an. MDLXVI. varias de ſale ibidem conficiendo leges, nobis num. XCI. & XCII. memoratas, Eſtenſibus Ducibus indixere. Clemens denique VIII. Comaclũ unâ cum Ferraria jure caducitatis recepit anno MDXCVIII. ejuſque ſucceſſores, tam Ferrariæ, quàm Comacli poſſeſſione uſque ad præſens ſumma cum poteſtate pacificè potiti ſunt, itaut Romani potius Pontifices, quàm Imperatores ſummam in Comaclum poteſtatem præſcripſiſſe dicendi eſſent, ſi eo titulo ad jura ſua tuenda indiguiſſent. Atqui nil ipſis opus erat hac ratione Apoſtolicæ Sedis juribus conſulere, qui ante, & poſt reſtitutum ab ipſa Imperium diuturno tempore Comaclum ſumma cum poteſtate poſſederant,

qui

qui ejus poſſeſſionem animo ſemper in difficillimis Eccleſiæ Romanæ temporibus retinuerunt,& non àb Imperatoribus modò,verùm etiam à cunctis Germaniæ Principibus, tot vicibus illud ſibi confirmari curarunt, quique demùm Germanica Natione non repugnante, ab Innocentii III. ætate uſque ad hæc tempora,Exarchatum ſumma cum poteſtate gubernarunt, nec eorum quidpiam Imperio præſtiterunt, quæ à fiduciariis Principibus exigi ſolent.

CLXXV. Porro & ſi veræ eſſent aſſertæ inveſtituræ, tamen fruſtra diceretur, Summos Pontifices earum notitiam habuiſſe, & nihil opponendo, ipſas pro legitimis quodammodo agnoviſſe. Agitur enim de rebus inter alios actis, quas Summis Pontificibus innotuiſſe præſumi nequit, eò præſertim, quòd Comacli inveſtituram non ſeorſim, ſed unâ cum Imperialibus Feudis, Eſtenſes Principes accepiſſe dicant. Summi enim Pontifices in Cæſarum inveſtituris, quæ ad ipſos non pertinebant, exquirendis, curioſi nequaquam eſſe debebant; nec facilè admodum, ut aſſerunt extitiſset, inveſtituras, de quibus agimus, in Cæſareæ Cancellariæ regeſtis indagare; quandoquidem diu multùmque anno MDXCVIII. laborandum fuit Apoſtolicæ Sedis Nuntio, ut ſciret, data nec ne fuerit Cæſari Duci unâ cum Imperialibus Feudis Comacli inveſtitura, & poſt multas tergiverſationes, ejus tandem exemplar ab Aulæ Cæſareæ miniſtris eidem traditum fuit, in quo nulla Comacli mentio fiebat. Conſtat hoc ex Contelorii teſtimonio, & ex variis memorati Nuntii literis in ſecretiori Apoſtolicæ Sedis Archivo ſervatis, ut non ægrè ferre debeant Eſtenſes Principes. quod adductis eorum nomine imperialibus inveſtituris plena fides non habeatur, cum tranſmiſſum tunc ab Apoſtolico Nuntio memoratæ inveſtituræ exemplar, ab ea, quàm ipſi allegant, penitùs, quod ad Comaclum attinet, diſcrepare deprehendatur. Præterea Eſtenſis Marchionatus, Rhodigiiq; Comitatus in iis, quas allegant, Cæſarum inveſtituris Principibus Eſtenſibus confirmantur, quorum plenum dominium à longo jam tempore penès Rempublicam Venetam eſt, quæ licet ſolertiæ, ſagacitatis, ac prudentiæ laudibus jure merito cumuletur, quidquam tamen adversùs eas inveſtituras opponere negligit, utpotè quæ loca illa jure belli, & Eſtenſium Principum ceſſione, dudum acquiſita, pacificè poſſidet. Sic quoque Romani Pontifices, recuperatâ poſt varios caſus, adeptæ ante reſtitutionem Imperii, ſupremæ in Comaclum poteſtatis poſſeſſione fruentes, nil de ejus inveſtituris à Cæſari-

Oſſervationi ſopra la let. del Dominio temp. de' Papi pag. 74. & 85.

Regiſtro de lettere ſopra la recuperazione di Ferrara nell' Archivio ſecreto. Riſpoſta alle ſcritture publicate per parte del Duca di Modena pag. 72. & 73. an. 1643.

bus, quovis tempore conceſſis, etiamſi veræ eſſent, ac earum notitiam habuiſſent, ſolliciti admodum eſſe debebant; & conſequenter ex hoc capite nulla adversùs Apoſtolicam Sedem præſcriptio induci poterat.

CLXXVI. Præterea de aſſertis hiſce inveſtituris notandum maximè eſt, eas ſuſpectæ fidei admodum eſſe, cum veteres auctores, qui inveſtiturarum, diverſis temporibus Eſtenſis familiæ Principibus ab Auguſtis datarum, meminerunt, Comaclum in ipſis comprehenſum fuiſſe nequaquam aſſerant, etſi alia in eiſdem contenta loca exactè deſcribant. Æneas Sylvius, qui poſtea, aſſumpto Pii II. nomine, Eccleſiæ univerſæ præfuit, ita de Federici III. inveſtitura Borſo Principi Eſtenſi conceſſa loquitur; *Cæſar Ducatum ex duabus Civitatibus, Rhodigiumque cum territorio adjacenti in Comitatum erexit*. Loquitur autem de Mutinæ, Regiique Ducatu, nec ullam Comacli mentionem ingerit. Franciſcus quoque Modius ſolemnitates, in concedenda eadem inveſtitura obſervatas, pluribus deſcribens, tria tantùm vexilla, unum, ſcilicet, Rhodigii, alterum Mutinæ, ac Regii, tertiumque cum Imperatoriis inſignibus publicè delata fuiſſe teſtatur, idque ipſum aſſerit Fornarius in Commentariis, quibus celeberrimum Ludovici Areoſti poëma illuſtravit. Hoc etiam clarè probatur ex non uſitato Eſtenſibus Comacli Comitis, aut Domini titulo, antequam de Comaclo inter Julium II. & Alphonſum I. lis orta eſſet, imò & poſt triginta circiter annos, ut lucidiſſimè apparet, ex publicis illis monumentis, quæ numero CLXI. allegavimus. Nullus enim ſibi perſuaſerit, Eſtenſes Principes Comitum, vel Dominorum Comacli titulum neglexiſſe, qui minorum etiam locorum Cæſarei juris, puta Carpenſis oppidi, Domini appellari voluerint.

Æn. Sylv. hiſt. Feder. III. pag. 94. & 95. edit. Kulpiſii.

Goldaſti Polit. Imper. pag. 360 & 361.

Fornari ſopra l'Arioſto tom. 1. pag. 176.

CLXXVII. Aſſertarum quoque inveſtiturarum fidem admodum relevat, quòd Alphonſus I. Julio II. Comaclum Apoſtolicæ Sedi obnoxium eſſe affirmanti, ipſumque armis perſequenti, nequaquam publicè objecerit, urbem illam à Ferrariæ Ducibus per Imperatoriam largitatem obtẽtam fuiſſe, nec ullas Imperatorum inveſtituras oſtenderit, neq; Cæſareum Tribunal appellaverit, quin potiùs coram Cardinalibus, & Apoſtolicæ Cameræ Clericis de colligendi apud Comaclum ſalis facultate rationem ſe juridicè redditurum fore pollicitus fuerit: nam quod Guicciardinus ait, Alphonſum ab amicis monitum, ut Julio II. ſalinas apud Comaclum deſtrui jubenti pareret, eorum conſilia rejeciſſe, ne imperii in Comaclum

jura

jura læderet, ea privata reſponſio fuit, nullo publico actu comprobata, ut num.xc. obſervavimus. Idem præterea Alphonſus in libello, quem adversùs Leonem X. poſt ejuſdem obitum Carolo V. Cæſari obtulit, de vetitâ ſibi ſalis apud Comaclum confectione conqueritur; quod autem ea urbs Imperatorii juris eſſet, nequaquam aſſerit. Contra verò in reſponſione ad eumdem libellum Romanæ Eccleſiæ nomine, cum adhuc per Leonis X. obitum Sedes vacaret, Cæſari oblatâ, clariſſimè ſummum Apoſtolicæ Sedis imperium in urbem Comaclum his verbis propugnatur. *Preſumeſte voler far il ſale, che mai eſſi Signori Venezianí vi havevano permeſſo, à chi non eravate ſuddito, e contra il dritto del voſtro natural Prencipe in tanto pregiuditio della Camera Apoſtolica uſurpar voleſte quelle regale, che ſon riſervate alli ſupremi Signori in tutti i Regni, e parti del mondo.* Cumque Alphonſus Cæſari narraſſet, ſe, ut Regium reciperet, adactum à Leone X. fuiſſe, ut ſalem ampliùs apud Comaclum non legeret, illumque à Cerviæ ſalinis pro tota ditione ſua acciperet, ejus aſſerta laudatæ Apologiæ auctor, Cæſarem ipſum alloquens, ita confutavit: *Ma perche ſi è fatta mentione del far del ſale, del qual lui di ſopra hà toccato, querelandoſi de Reggio, havendo per mezzo del Cardinale ſuo fratello fatte certe conventioni à tal effetto à ſe molto gravi per obligarſi à pigliare il ſal di Cervia, da Sua Santità, e non poterne far à Comacchio &c. Al che non eſſendo ancor riſpoſto, hor ſi fà in queſto modo. Primo non ſi ritroverà in eſſe conventioni, ò patti, chiamili come voglia, eſſer fatta mentione alcuna di Reggio, ma ſe eſſo hebbe tal ſperanza, fù vana, però della ſua cupidità, e vanità ſi dolga, non della Santità del Papa. Poi ſi dice, che queſte non ſi debbono chiamar propriamente conventioni, ma gratie, che Sua Santità gli fece, come glie n'haveva fatte molte altre, quali tutte lui malignamente converte in maleficii, perche eſſendo il Sommo Pontefice Signor ſupremo di Ferrara, & una delle Regale principali, che ſempre per ſe ſi riſervano i ſupremi Prencipi, è il diſtribuir ſali à tutti i ſuoi ſudditi, mediati, & immediati, e ciò ſervandoſi in tutti i Regni, e Paeſi de' Chriſtiani, eccetto ſe ad alcun Signor Vaſſallo per privilegio ſpeciale dal Prencipe non gli è conceſſo, (il che non haveva lui, anzi per patto eſpreſſo ſolea levarlo da' Signori Veneziani, avanti Cervia foſſe ricuperata per la Chieſa) diſtribuendo Sua Beatitudine il ſale non ſolo à tutti altri ſuoi ſudditi, ma ancor quaſi à tutta Lombardia, potea giuſtamente diſtribuir-* *Riſpoſta medeſima alla pag. 9. à tergo.*

ſtribuirlo in Ferrara, e Ferrareſe al medeſimo prezzo, che all' altri: nondimeno piacque à Sua Santità far gratia ad eſſo, darglielo aſſai per minor prezzo, & una gran parte in dono, e ſi querela, come ſe in ciò l'haveſſe ingiuriato, & oltre queſto potendo mandar eſſo i ſali per Lombardia, come ſupremo Signore sù per il Pò, & altrove, ſenza alcun datio, ne gabella, maſſime nel Ferrareſe, e dominio della Chieſa, pur convenne gli fuſſe pagato certo datio, che importa molto utile ogni anno à D. Alfonſo, quale ſe ſi obligò non far ſale à Comacchio, non fece obligatione di coſa, foſſe in ſua libertà, che ne di ragione, ne per conſuetudine ve lo poteva fare, ne mai per l'avanti l'haveva fatto lui, ò ſuoi maggiori, oltre l'eſſer Comacchio terra della Chieſa, come Ferrara, & il far ſale, non men che diſtribuirlo, Regale riſervate a' ſupremi Signori. Æquum autē juſtumque visū fuiſſe Cæſari quidquid de Comaclo ab hujus Apologiæ auctore aſsertū fuit, ex eo lucidè apparet, quòd nil Cæſareo nomine adversùs clarè adeo enarratas Apoſtolicæ Sedis rationes repoſitum fuerit. Quid quòd Cæſaris ipſius Eſtenſis nomine Comes Camillus Gualengus ejuſdem ad concordiam cum Cardinali Aldobrandino Faventiæ ineundâ procurator, de Comaclo loquens, ingenuè faſſus eſt, *Haver il Duca Alfonſo, & alcuni de' ſuoi Anteceſſori con l'occaſione dell'ultima guerra havuta con la Sede Apoſtolica, preſa l'inveſtitura di detto luogo dall'Imperatore, e così rinovatala di mano in mano, come ſe l'Imperio foſſe ſtato diretto padrone di quel luogo, e nell'iſteſſo tempo haver continuato di prender l'inveſtitura di detta Città, come ſempre havevano fatto, dalla Sede Apoſtolica, ancora riconoſcendola per ſuperiore.* De Alphonſo II. & Hercule II. ſermo eſt, deque bello, quod Alphonſus I. adversùs Julium II. habuit, verùm de inveſtituris Alphonſi I. ætate antiquioribus, ne verbum quidem, cum maximè expediret, factum fuit. Ex his itaque omnibus patet, quænam fides haberi poſſit inveſtituris illis, quas ante Alphonſi I. tempora ab Imperatoribus Eſtenſes Principes obtinuiſſe nunc demùm aſſeritur.

Relatio Petri Card. Aldobrādini in præfat. Defenſ. jurium S. Sedis per Jo. Ghinum an. 1643.

CLXXVIII. Cæterum pro obſoletis, ut quidam effutiunt, nullo pacto haberi debent Apoſtolicæ Sedis in Comaclum jura, quæ nunquam præſcripta fuerunt, quæ cuncti propemodum Imperatores pro legitimis reputarunt, quæ Natio Gallicana ſub Carolo Calvo Imperatore, Germanica verò Innocentii III. & Honorii III. temporibus, ac demum Rodulpho I. imperante, triplici conſtitutione probavit, in quarum poſtrema, inter alias Ec-

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 86. e 92. & in altri luoghi.

cle-

cleſiaſticæ ditionis Provincias, non Exarchatus modò, ſed & ipſius Comacli Comitatus occurrit; ita ut reprobanda prorſus, non verò in prætenſi Cæſarei ſupremi dominii probationem adducenda ſint, quæ Imperatores, ſecus atque Romanis Pontificibus promiſerant, adversùs eorundem ſummam poteſtatem deinceps egerint, cùm in controverſiam nequaquam adduci poſſint, quæ tot ſolemnibus actis dudum firmata, atque aſſerta fuerunt. Quod ſi firmæ ratæque apud omnes habentur ceſſiones, atque alienationes illæ ſupremi dominii in varias urbes Imperii, atque Provincias, quæ in pluribus pacificationum tractatibus ab Imperatoribus, atque Germaniæ Principibus, interdum factæ fuerunt; potiori profecto ratione Apoſtolicæ Sedi per memoratas Imperatorum, atque Germaniæ Principum recognitiones ſupremum illud dominium conſervari debet, quod Romani Pontifices ante quàm Imperium reſtituerent, obtinuerunt, quippè qui pro ſummis Principibus, uti re vera ſunt, ab Imperatoribus quòque ſemper habiti fuerint, ac inſuper cæteros ſummos Principes conceſsâ ſibi divinitus in univerſam Eccleſiam poteſtate longè præcellant.

CLXXIX. Sed nec illi audiendi ſunt, qui controverſiam hanc, non ex antiquorum, ſed ex recentiorum temporum ſtatu definiendam eſſe contendunt, ac ſi nulla memoratarum recognitionum habenda ſit ratio, & ac ſi aſſertæ Caroli IV. & ſubſequẽtium Imperatorum inveſtituræ majoris ponderis cenſendæ eſſent, quàm ejuſdem urbis plena poſſeſſio à Summis Pontificibus, antequam Occidentis Imperium reſtituerint, generoſis Francorum Regum donationibus acquiſita, & Caroli Magni aliorumque Imperatorum, ac Germaniæ quoque Principum diplomatibus confirmata, & nunquam, ut clarè monſtravimus, præſcripta, quin imò ab Innocentii III. temporibus, ac potiſſimum à Julii II. ætate pleniſſimè recuperata. Atqui in controverſiis de ſummo imperio maximam habet auctoritatem antiquitas, iſque jure merito potior in dominandi jure cenſetur, qui itidem potior in poſſidendi tempore fuerit, præſertim ſi intermiſſam antiquam poſſeſſionem, ultimorum temporum diuturna poſſeſſione conſolidaverit. Hoc autem Summis Pontificibus multò magis favere debet, utpotè qui Imperii majeſtatem, diuturno tempore in Occidentis partibus extinctam, ſuo conſilio, ſuaque auctoritate renovaverint, tantùmque abſit, ut ſummam, quam priùs habuerant, poteſtatem in Imperium ab ipſis reſtitutum transfuderint, ut potius illam in poſſeſſis dudum

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 43. 86. e ſeguenti.

Provinciis, non modo ſibi ſemper vindicaverint, ſed & novis largitionibus, à pleriſque Imperatoribus cumulari poſtulaverint, ab eiſdem verò omnibus ſummum Eccleſiæ Romanæ imperium agnoſci atque confirmari obtinuerint, cum ab eorum manibus Imperii coronam accipiebant. Imperatores autem ac Imperii Principes in ſuis diplomatibus Romanæ Eccleſiæ ditionem ſe ita Pontificibus conſervare disertè aſſerunt, ut integrè, liberè, ac plenariè abſque ulla ſupremi dominii recognitione ad eandem Eccleſiam pertineat, & Romanorum Pontificum pleni juris, & poteſtatis exiſtat.

CLXXX. Caſtiganda itaque eorum audacia, qui Summis Pontificibus Vicariorum Imperii nomen temerè affingunt; nulli enim Orthodoxorum tali appellatione Pontificiam majeſtatem deprimere auſi ſunt: quin & Hæretici ipſi debitos Regibus honores Summis Pontificibus, ſi uti Laici Principes cum ipſis agere vellent, impertiri debere non ambigunt. Porrò inter Imperii Vicarios, ac Reges illos, qui ſupremo imperio Cæſarum obnoxii eſſent, multum diſcriminis intercedere nullus ignorat. Bohemiæ etenim dominator, qui præcipuum Imperii membrum erat, Rex quidem, non autem Imperii Vicarius audiebat; quippe qui non ſola tituli diverſitate, verùm etiam longè ampliori auctoritate, Cæſarum Vicarios præcelleret. Neapolis quoque, ac Siciliæ Reges, qui Regni inveſtituram ab Apoſtolica Sede accipiunt, non ideò tamen Summorum Pontificum Vicarii communi cum minoribus Sanctæ Sedis Beneficiariis nomine appellantur; quamobrem majori Eccleſiam Romanam injuriâ afficiunt, qui Romanos Pontifices Imperatorum Vicarios faciunt, quàm qui ſummum ipſis imperium per univerſam B. Petri ditionem auferre conantur. Cęterum quis unquam legit, Summos Pontifices quidpiam eorum præſtitiſſe, quæ Imperii Vicarii Cæſaribus de novo electis præſtare ſolent? Quis unquam eoſdem fidelitatem, uti Imperii Vicarios, ligioſque homines Auguſtis juraſſe, aut per vexillum inveſtituram accepiſſe, aut cenſum perſolviſſe, aut ſimilia Auguſtalium Vicariorum officia impleviſſe probabit? Tanta enim eſt Summorum Pontificum dignitas, atque majeſtas, ut Imperatoriæ Poteſtati nequaquam ſubjici poſſit, nec in donatis Eccleſiæ Romanæ rebus ſupremum ullum dominium donantibus remaneat, niſi illud conceptis verbis in donationibus ſibi reſervaverint, & niſi eâ conditione Summi Pontifices donata receperint. Deſinant ergo con-

contumelioſi adeò Romanis Pontificibus contra Divina humanaque jura eſſe, & cum ſummum eorumdem imperium oppugnare nituntur, conſuetas aliis, id ipſum tentantibus, moderationis, ac modeſtiæ leges teneant.

CLXXXI. Jamverò talia temerè effutientes, jura omnia ſubvertere, ac Summos Pontifices pejoris conditionis, quàm Eccleſiaſticos viros, qui ob ſuarum Eccleſiarum feuda Summum Auguſtorum imperium reverentur, facere apparet, cum ajunt, licuiſſe Imperatoribus donata ſemel B. Petro, & Eccleſiæ Romanæ adimere iniquo illo prætextu, quòd nonnulli Romani Pontifices erga Imperatores malè ſe geſſerint, ac ſi ſua repetere, & illatis Eccleſiæ injuriis, aut damnis obſiſtere, crimini daretur. Eſto enim, quod numquam accidit, Romanos Pontifices Imperatoriam majeſtatem offendiſſe, ideone Romana Eccleſia, quæ nullius criminis conſcia eſſe poterat, ſpolianda erat ſupremo illo dominio, quo ante reſtitutum à Summis Pontificibus Occidentis Imperium, partim aſſenſu populorum, partim liberis, pleniſſimiſque Francorum Regum donationibus ditata fuerat? Nota ſunt Guntheri verba, qui licet ſuo domino in omnibus blandiatur, tamen de Bremenſi, & Halberſtadenſi Epiſcopis ditione ſua à Federico I. exturbatis, ita cecinit in Ligurino ſub initium libri III. *Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 36.*

Quin & Pontifices Halberſtadenſis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amiſere notâ, perſonæ, ſcilicet ipſæ,
Non tamen Eccleſiæ, neque enim quod Paſtor iniquè
Geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.

Quomodo itaque dici poteſt, Comaclum diu ante, ac poſt renovatum per Summos Pontifices Imperium, cum abſoluta in omnibus poteſtate ab Eccleſia Romana poſſeſſum, & numquam per populorum rebelliones præſcriptum, è Summorum Pontificum poteſtate, etiamſi, quod numquam fuit, Cæſarum Vicarii extitiſſent, in Eſtenſium Principum dominium nutu, ac arbitrio Cæſarum, aut ob exortas inter Eccleſiam, & Imperium diſſenſiones, transferri potuiſſe? Verùm ea eſt humanæ naturæ infelicitas, ut magna etiam ingenia, omnigenaque eruditione, ac ſedulo ſcientiarum ſtudio exculta, dum cauſæ ſerviunt, aut ſuis Dominis morem gerunt, à veritatis non raro, ac juſtitiæ orbita deflectant.

CLXXXII. Futile eſt etiam quòd toties inculcant, & nos aliis in locis obiter confutavimus, Auguſtos ſpecie tenus, non re

Oſſervationi ſopra la lettera del dominio temporale del Papa an. 1708 pag. 6. & 19.

verâ Apoſtolicæ Sedi tot ampliſſimas provincias donaſſe, nec ſciri poſſe quid per ea dona Summis Pontificibus conceſſerint. Nam donationes, quas Carolus Magnus, cæterique Auguſti ex ejus proſapiâ Apoſtolicæ Sedi fecerunt, veras legitimaſque donationes fuiſſe, eaſque, ſi non ex toto, potiori ſaltem ex parte effectum habuiſſe, Summoſque Pontifices eaſdem provincias poſſediſſe, atque gubernaſſe, certis adeò teſtimoniis evicimus num. IV. VIII. IX. & CVI. ut eâ de re dubitare cordatis viris non liceat. Hinc etiam in Carolini Codicis epiſtolis non ſemel legas, à Summis Pontificibus Pipinum, Carolumque Magnum, vel promiſſa in eorum donationibus omni ex parte non adimplentes, vel dudum tradita, nequaquam ab Eccleſiæ hoſtibus defendentes, aut recuperantes, ita compellatos fuiſſe, ut Divinum judicium, æternæque ipſis pœnæ comminatæ fuerint, fruſtra profectò, ſi in ſpeciem

Codex Carolin. epiſt. 9.

cuncta peracta fuiſſent. *Doleat vobis*, ait Stephanus III. Pipinum ejuſque filios Carolum Magnum, & Carolomannum alloquens, *pro Sancta Dei Eccleſia, & B. Petri cauſa, & quæ per donationem B. Petro offerendum promiſiſtis, ei poſſidendum contradere debeatis*. Et infrà. *Decertate bonum opus, quod cæpiſtis implere, & quæ per donationem manu veſtra confirmaſtis, protectori veſtro B. Petro reddere feſtinate &c. Sciatis enim, quia ſicut Chirographum veſtram donationem Princeps Apoſtolorum firmiter tenet, & neceſſe eſt, ut ipſum Chirographum expleatis, ne, dum juſtus Judex ad judicandum vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem, advenerit, in futuro judicio idem Princeps Apoſtolorum idem chirographum demonſtrans nullam habere firmitatem, diſtrictas cum eo faciatis rationes*. Adrianus I. Carolo Magno adverſùs Leonem Ravennatem Archiepiſcopum Exarchatum ſibi injuſtè arrogantem ſcri-

Codex Carolin. epiſt. 53.

bens, *Deprecor*, inquit, *& obnixè peto &c. ut velociter ea, quæ B. Petro pro magna animæ tuæ mercede, & à Deo protecti regni veſtri ſtabilitate B. Apoſtolorum Principi Petro per tuam donationem offerenda ſpopondiſti, adimplere jubeas, quatenus idem Princeps Apoſtolorum multò amplius tibi protector, & auxiliator apud Divinæ majeſtatis potentiam exiſtat*. Otto quoque Magnus ea ferè omnia, quæ per populorum rebelliones, & per eorum occupationes, qui in Italia tyrannidem exercebant, Eccleſiæ Romanæ ablata fuerant, eidem plenè reſtituit, & antiquum Pontificum dominium nova donatione confirmavit, ut num. XX. oſtenſum fuit. Quod autem ipſe Otto reſtitutorum poſſeſſionem Sum-

mis

mis Pontificibus deinceps ademerit, quòdque nonnulli ejuſdem in Imperio ſucceſſores promiſſa Eccleſiæ Romanæ, cum Imperii infulas à Summis Pontificibus accipiebant, nequaquam obſervaverint, eorum vitio, & culpæ adſcribendum eſt, non autem prætenſæ conſuetudini ſpecie tenùs donandi, ac reſtituendi, quæ Eccleſiæ Romanæ ablata fuerant; vel potiùs dicendum eſt, ob diverſorum populorum pervicaciam, qui ab Apoſtolica Sede rebellaverant, quique, cum uſurpatam libertatem tueri non poſſent, Imperatoribus potiùs, quàm Pontificibus ſubjici amabant, factum fuiſſe, ut Imperatores illi plures Eccleſiaſticæ ditionis urbes in ſua poteſtate retinuerint, ſecùs atque in eorum coronationibus promiſerant; non enim æquum eſt judicare, quempiam eorum perverſæ adeò mentis fuiſſe, ut pejerare, & inanibus, aut fallacibus promiſſionibus Divinam offendere majeſtatem, Romanoſque Pontifices deludere voluerint. Scitè Guntherus in Ligurino Federicum I. ita loquentem inducit

Osservationi ſopra la lettera intitolata il dominio tẽporale del Papa anno 1708. pag. 33.

Non decet in labiis verſari lubrica Regis
Non decet ore ſacro mendacia cudere Regem
Sancta, & plena ſuo ſunt regia pondere verba
Dicta ſemel nullum patiuntur jure recurſum.

Non traducenda itaque tot inclytorum Imperatorum memoria; ſed admiranda potiùs eſt Romanorum Pontificum moderatio, qui Imperatorum moroſitatem, & populorum pervicaciam paterna charitate ad tempus tolerantes, ne majores per Italiam turbas concitarent, ſummum imperium in Eccleſiæ Romanæ ditionem per Imperatorum promiſſiones, & quovis alio meliori modo ſervare potiùs, quàm omnia ſuſque deque pro eiſdem ſtatim recuperandis vertere cogitaverint, eâ ſpe freti, ut Imperatores aliquando propria Eccleſiæ Romanæ redderent, vel emollita populorum duritie, faciliùs tam ipſi recuperare, quàm Imperatores promiſſa exequi valerent; id quod, populis ipſis ad antiquam Romanæ Eccleſiæ obedientiam redeuntibus, poſt Henrici IV. ac V. poſtque Federici I. ac Henrici VI. infenſiſſimorum Eccleſiæ Romanæ hoſtium obitum, Innocentio III. felici eventu conſequi, & ab ejuſdem ſucceſſoribus ad hanc uſque diem conſervari, necnon ab Imperatoribus ipſis confirmari, pleniſſimè contigit.

CLXXXIII. Quod ſi adhuc quiſpiam contenderit, Imperatores in renovandis Eccleſiæ Romanæ privilegiis, potuiſſe Urbes, atque Provincias ad Imperii utilitatem, aut aliam quamli-

bet ob cauſam, de antiquis donationibus ſubtrahere, is profectò Hincmarum Archiepiſcopum Lugdunenſem audiat, adversùs Galliæ Reges, ſimile quidpiam in peculiarium Eccleſiarum bonis perpetrantes, ita ſcribentem, *Non leve Regibus, vel quibuſcunque aliis videatur infringere, quod ſuis ſtudent manibus roborare, quia ex divina Doctrina, & Apoſtolica traditione, tàm maxima res ſemper, ab ipſis primis ſæculis, manus confirmatio fuit, ut de ipſis Apoſtolorum Vicariis, illi ipſi Apoſtolorum Vicarii ſupercæleſti auctoritate decreverint: Ut qui contra ſuam ſubſcriptionem in aliquo venerit, ipſe ſe privet honore. Et non dicant Reges, hoc de Epiſcopis, & non eſt de Regibus conſtitutum; ſed attendentes, quia ſi ſub uno Rege, ac Sacerdote Chriſto, à cujus nominis derivatione Chriſti Domini appellantur, in populi regimine ſublimati, & honorati eſſe deſiderant, cujus honore, & amore, atque timore, participatione magni nominis, Domini, & Reges vocantur, &c. intelligant, & credant, ſe in oculis Dei privari Regii nominis, & officii dignitate, quando, ſi illud placitum Deo fuit, quod manu firmaverant, faciunt contra manus ſuæ conſcriptionem, licet illud nomen uſurpent ante oculos hominum terrena, & inſtabili poteſtate:* In ſequentibus id ipſum pluribus inculcat, & ſubdit, *Sed fortè, quaſi principali fulti licentiâ, dicant Principes: quid magni mali contra Deum facio, vel quis me inde judicabit, qui ſuper omnes conſiſto, ſi præceptum, vel edictum, quod manu confirmo, aut infringo, aut non attendo? Primùm quidem attendant, quia ſi illi ſuper alios ſunt, ſuper illos Deus eſt: & ſi pravè egerint, & ſe non correxerint, tantò graviùs judicabuntur, quantò in throno Regni, cæteris celſiùs præponuntur. Reges enim, & Sacerdotes ſubditorum pravè acta corrigunt; ſed oblivisci non debent, quia illorum mala per ipſum Dominum judicabuntur; nec ſurda aure debent audire, quod ſcriptum eſt: Potentes potenter tormenta patientur; exiguo autem conceditur miſericordia.* Et infra, *Sed & in lege de hac confirmatione ſufficienter invenient; quæ tantùm, & ante adventum Chriſti viguit, ut etiam Pilatus, ex antiqua conſuetudine inſtructus, poſcentibus Judæis, ut refragaretur, quod in Chriſti titulo ſcripſerat, dixerit. Quod ſcripſi ſcripſi, nolens infectum, vel immutatum eſſe, quod fecerat, &c. Et quàm certiſſimæ ſtabilitatis, ac firmitatis credi debeat, chirographum, ideſt, manu ſcriptum, in libro Tobiæ legitur, & in Evangelio de conſcriptis cautionibus demonſtratur: Sed quidam*

Hincmar. Lugdun. in Opuſc. de divortio Clotharii Regis pag. 397. & ſeqq. ex edit. Cordeſii.

Princi-

Principes (quod Deus à noſtris Chriſtianis Principibus longè faciat) fortè non provident, quia poſt illos infirma firmatio illorum manet, & ipſi decedunt, & ſicut Sanctus Auguſtinus dicit: Tranſit actus, & manet reatus. Quod ſuum erat locis ſanctis donant per confirmationem, & ſibi uſurpant per occupationem, quod, ut ſeculi pauperiores, non obtinent per deprecatam præſtationem, immo, & ſibi auferunt, & locis ſanctis non tribuunt, & unde ſibi debuerant operari remedium, perpetrant ſacrilegium: etſi ſacrilegium perpetrant de ſuis non benè datis, conſiderandum eſt, quantum ſibi periculum faciunt de rebus ab aliis Deo donatis, & à ſe contra Deum, & ipſi Deo ablatis. Et inferiùs. *Perpendendum eſt etiam, quia antiqui Reges, & Imperatores, ſuis legibus ſtatuerunt, ut carta confirmationis quinque, vel ſeptem, aut decem, ut ſcribit Ambroſius, teſtibus roborata conſtaret &c. de ſua autem confirmatione nihil ſcripſerunt, quia Principis manus (ſicut de David in Regum libro ſcriptum legimus) pro decem millibus computatur.* Et paulò poſt. *Inſeruerunt etiam in eiſdem legibus ad legem Corneliam teſtamentariam, de his, qui teſtamentum, quodvè aliud inſtrumentum falſum, ſciens, dolo malo ſcripſerit, ſuppreſſerit, admoverit, deſignaverit, deleverit, honeſtiorem quidem in inſulam deportari, humiliorem autem in metallum damnari, aut in crucem levari, ſervum verò capite puniri &c. De confirmationis autem ſuæ ſcriptura nihil dixerunt, quia quod firmaverunt, infringere nefas duxerunt, ſicut in libro Heſther legitur, quantam valitudinem annuli Regis habeat ſignatio; quantam cautelam ſigni illius vacuatio, quantò magis Regiæ manus ſubſcriptio. Et ne perfunctoriè ducere debet Regia dignitas, quod in ſuis præceptis ſcribitur: Et ut hoc, inquit, noſtræ auctoritatis præceptum pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem: & data illo, vel illo anno in Dei nomine feliciter, ne quod in Dei nomine feliciter confirmatur, ſine Dei, ideſt, ſine veritatis judicio, infeliciter effœtetur: quia ſcriptum eſt: Non polluas nomen Domini Dei tui. Et non accipias nomen Domini Dei tui in vanum.* Horret animus cenſuram ſubjungere, quam adversùs Reges, talia ſibi licere cenſentes, & adversùs hujus erroris defenſores, deinceps profert Hincmarus, id tantùm adnotaſſe contentus, cuncta ejus effata, quibus Reges peculiarium Eccleſiarum bona, confirmationis prætextu, occupantes redarguit, validiori longè ratione eos perſtringere, qui Eccleſię Romanę ditionem à Summis Pontificibus ante reſtitutum

per

per ipſos Imperium tam diuturno tempore poſſeſſam, juſtè legitimèque ab Imperatoribus Beato Petro ejuſque ſucceſſoribus, auferri potuiſſe (id quod de laicis Principibus dicere non auderent) temerè, effutiunt.

CLXXXIV. Cæterum ſumma noſtræ diſſertationis hæc eſt. Comaclum ſemper Exarchatus pars fuit. Hanc urbem unâ cum toto Exarchatu Pōtifices, tam antè, quàm poſt reſtitutum per ipſos Imperium, ſumma cum poteſtate poſſederunt. Finita ſerie Imperatorum è Caroli Magni proſapia, plerique Exarchatus populi ab Eccleſia Romana defecerunt. Hos Otto Magnus, Imperator jam factus, Summis Pontificibus iterum ſubjecit. Quamvis autem ejus poſteri, & qui illos ſubſecuti ſunt Auguſti, Exarchatum occupaverint, non modica tamen ejus pars in Romanæ Eccleſiæ fidelitate permanſit, ac inſuper ejus provinciæ poſſeſſionem Summi Pontifices animo retinuerunt, & ne antiquum Apoſtolicæ Sedis dominium præſcriptione aliqua læderetur, ſedulò curarunt. Innocentius III. felici eventu univerſum Exarchatum, & reliquam Eccleſiæ Romanæ ditionem recepit, & non modo ab Ottone IV. & Federico II. verùm etiam à cunctis Romani Imperii Principibus, ut Apoſtolicæ Sedi pleno jure, liberè, abſolutè, cumque omni principatu cofirmaretur, obtinuit. Hoc ipſum repetito actu Honorius III. tam à Federico II. quam ab Imperii Principibus exegit. Poſt Innocentii III. tempora Comaclum modò Ravennatibus, modò Ferrarienſibus, & conſequenter Romanæ Eccleſiæ ſuberat, in cujus ditione eædem urbes æquè ac Comaclum, cenſentur. Rodulphus Auſtriacæ majeſtatis auctor poſt Federici II. obitum ad Imperii culmen evectus, Exarchatum, enumeratis ſingulis quibuſque urbibus, & inter eas Comaclo, unà cum reliqua Romanæ Eccleſiæ ditione Nicolao III. ejuſque ſucceſſoribus, novo aſſenſu Imperii Principum accedente, iterum aſſeruit, ut ea juramenta, quæ à memoratæ provinciæ urbibus Rodulphus alter Imperialis Aulæ Cancellarius exegerat, penitus aboleret. Comaclenſes ut antè, ita poſt Rodulphi Regis tempora in Ravennatum, ac Ferrarienſium ditione alternis vicibus fuere, & conſequenter Eccleſia Romana, cujus juris æquè eſt Ferraria, atque Ravenna, ſupremum quòque dominium in Comaclenſes retinuit; qui itidem, licet interdum nec Ferrarienſibus, nec Ravennatibus paruerint, tamen, cum in Exarchatu comprehendantur, qui Romanæ Eccleſiæ pleni juris exiſtit,

iſtit, ejuſdem utique ſummæ poteſtati, rebelles licèt & contumaces, obnoxii ſemper fuere. Ferrariam tunc Apoſtolicæ Sedis auctoritate regebant Eſtenſes Principes. At an. MCCCXXV. cum jam à Romanis Pontificibus defeciſſent, Comaclum quòque per civium deditionem ſibi ſubegiſſe dicuntur. Nulla deinceps Ravennatibus in Comaclum poteſtas fuit, eò præſertim, quòd Romani Pontifices eandem urbem, unâ cum Ferraria Eſtenſibus Principibus, ad Eccleſiæ obedientiam reverſis, anno MCCCXXXII. in Vicariatum conceſſere. Summa itaque in Comaclum Apoſtolicæ Sedis poteſtas, nunquam, aut Civium rebellione, aut illegitimis Imperatorum factis præſcripta, tunc quòque integra permanſit. Sed & non minori auctoritate ſub Julio II. emicuit, qui legem non conficiendi apud Comaclum ſalis, uſque ad Ferrarienſis urbis devolutionem exactè obſervatam, Eſtenſibus Principibus, non conventione quapiam, ſed ſupremi dominii jure præſcripſit. Clemens denique Octavus, Ferraria jure caducitatis recepta, urbem quòque Comaclum duplici titulo recuperavit, & quòd Ferrariæ Vicariatus pars eſſet, & quòd modo Ravennatibus, modo Ferrarienſibus ſubjecta fuerit, quouſque in Eſtenſium Principum poteſtatem per Vicariatus Ferrarienſis inſtitutionem devenit; ita ut, etiam ſi in eodem Vicariatu nequaquam comprehenſa fuiſſet, tamen urbe Ravennâ in plenam Apoſtolicæ Sedis poteſtatem redactâ, & potioribus Ferrarienſium juribus in Comaclum ſemper vigentibus, Comaclum quoque, tanquam Ravennatis, vel Ferrarienſis urbis ſequela, juſtè legitimèque à Clemente VIII. ad Romanæ Eccleſiæ demanium revocari potuerit. Comacli etiam pluſquam centenaria poſſeſſio à Ferrariæ devolutione ad hæc uſque tempora pacificè continuata, multùm Romanæ Eccleſiæ jura conſolidat; habito præſertim reſpectu ad plenam illam poſſeſſionem ejuſdem urbis, quam ante, & poſt reſtitutũ ab ipſis Occidentis Imperium longo tẽporis ſpatio Romani Pontifices obtinuerunt. Nullius itaque roboris cenſendæ ſunt Cæſarum inveſtituræ, quas poſt viginti ſex annos à Comaclenſium afferta deditione, & poſt viginti duos annos ab inſtitutione Vicariatus Ferrarienſis, hoc eſt, ab anno MCCCLIV. uſque ad hoc tempus Ducibus Eſtenſibus Imperatores dediſſe dicuntur; licet inter poſteriorem inveſtituram à Carolo IV. an. MCCCLXI. & aliam à Sigiſmundo Imperatore anno MCCCCXXXIII. ut aſſerunt, editam, ſeptuaginta duo anni, abſque ullius alterius inveſtituræ conceſ-

ſione

ſione numerentur; quia nimirum Carolùs IV. anno MCCCLXVIII. diſtincta novo diplomate Eccleſiæ Romanæ ditione, ab ea, quam Imperium in Italiæ partibus poſſidebat, Exarchatum, atque Ferrariam, adeòque urbem Comaclum ab ipſa pendentem, unà cum reliquis Pontificii dominii regionibus, ad Apoſtolicam Sedem pleno jure ſpectare declaraverat. Hac autem declaratione irritæ factæ fuiſſent præcedentes ejuſdem Imperatoris inveſtituræ, & conſequenter pro irritis quòque habendæ eſſent aſſertæ aliorum Imperatorum inveſtituræ, quæ ad memoratas Caroli IV. inveſtituras referuntur. Sane cunctæ, quas allegant, inveſtituræ datæ fuerunt quo tempore nulla Comacli poſſeſſio apud Imperatores erat, nec jus ullum in eandem urbem habere poterant, cùm Imperatores omnes Exarchatum Apoſtolicæ Sedis proprium eſſe confeſſi fuerint, & nominatim Comaclum ipſum ad Apoſtolicam Sedem pertinere, unâ cum reliquo Exarchatu Rodulphus I. declaraverit, ac inſuper tam Federici II. quàm Rodulphi I. confeſſionibus ſuum aſſenſum Imperii Principes diverſis temporibus præbuerint. Romani præterea Pontifices aſſertas haſce inveſtituras ignoraſſent, utpotè quæ non ſeorſum, ſed unâ cum Imperii feudis ab Eſtenſibus Principibus clam obtentæ fuiſſent, ut cum Ferrariam non poſſent, Comaclum ſaltem Romanis Pontificibus ſolerter abducerent: contra verò Imperatores ſupremi dominii, quod in Comaclum à Julii II. præſertim ætate ad hanc diem Romani Pontifices exercuerunt, plenam notitiam habentes, rerum Comaclenſium adeò parum ſategerunt, ut legitimum actum nullum, ne proteſtationis quidem emiſerint, etſi alioquin proteſtatio quælibet contrariis factis concidiſſet. Hæc autem òmnia cùm in tota diſſertatione noſtra graviſſimis rationum momentis evincantur, nulla utique dubitatio de antiquiſſimis, ac firmiſſimis Apoſtolicæ Sedis juribus in Comitatum Comacli apud eos remanere poteſt, qui præſentem de ſummo in eundem imperio controverſiam, ad æquitatis, & juſtitiæ regulas expenderint.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX ACTORUM VETERUM HACTENUS MAJORI EX PARTE INEDITORUM AD PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM PERTINENTIUM.

I.

GREGORII III. Epiſtola ad Epiſcopos Tuſciæ, quæ Longobardorum Regibus parebat, de recuperandis Civitatibus, quas Luitprandus Rex Eccleſiæ Romanæ abſtulerat. ANNO 740.

GREGORIUS &c. omnibus Epiſcopis in Tuſcia Longobardorum &c.

Ex Collect. Canonũ Card. Deuſdedit Victori III. dicata, & m. s. in Bibliotb. Vaticana lib. 1. cap. 190.

MEminit fraterna Sanctitas veſtra tempore ordinationis ſuæ, per chirographum, & ſacramenti vinculum Beato Petro Principi Apoſtolorum ſpopondiſſe, ut in emergentibus Sanctæ ejus Eccleſiæ totis viribus elaboretis. Igitur quia præſentes viros Anaſtaſium dilectum filium noſtrum Presbyterum, & Deodatum Regionarium Subdiaconum noſtros fideles ad obſecrandum, & Deo favente obtinendum, pro quatuor Caſtris, quæ anno præterito B. Petro ablata ſunt, ut reſtituantur à filiis noſtris Luitprando, & Hilprando, ſupplicare deſtinavimus: ecce, Dilectiſſimi Fratres, tempus acceptabile, ut juxtà chirographum veſtrum bonî operis fructum B. Petro feratis, cujus auctoritate vos hortamur in Domino, ut ad eoſdem cum prædictis filiis noſtris properetis, ut à Deo inſpirati, protectoribus eorum Beatis Principibus Apoſtolorum Petro, & Paulo eadem Caſtra reſtituantur; nam ſi, quod non credimus, diſtuleritis iter arripere propter Deum, ego quamquam imbecillis ſim præ infirmitate corporis, iter arripiam laborioſum, & videbo nè veſtra negligentia vobis ad obligatio-

gationem ex nodo pacti pertineat. Data Idus Octobris Indictione IX. *Hoc eſt, anno Chriſti* DCCXL.

NOTA. Luitprandus Longobardorum Rex irâ ſuccenſus, quòd Gregorius III. Traſamundum Spoleti Ducem, quem ditione ſuâ ſpoliaverat, Romæ ſuſcepiſſet, quatuor Ducatus Romani Urbes, Ameliam, ſcilicèt, Ortam, Polimartium, & Bledam armis ocupavit anno DCCXXXIX Has ut repeteret Pontifex, miſſis ad Luitprandum Legatis, literas, à nobis nunc primùm editas, dedit Epiſcopis Tuſciæ, quæ ad Longobardorum Regnum pertinebat, ut memores juramenti ab ipſis Apoſtolicæ Sedi conſecrationis tempore præſtiti, eas Urbes Eccleſiæ Romanæ à Luitprando reſtitui curarent. Nulla tunc temporis donatio Ducatus Romani, aut cujuſpiam alterius Provinciæ, à Gallorum Regibus Apoſtolicæ Sedi facta fuerat. Prætereà Epiſcopi illi ad tuenda Eccleſiæ Romanæ jura, non autem ad Romanos defendendos, juramenti vinculo obſtringebantur; quamobrem neceſſariò dicendum eſt, populos Romani Ducatus, ipſoſque Romanos, excuſſo Græcorum jugo, ſe Romanorum Pontificum dominio ſubjeciſſe, cujus rei causâ Gregorius III. meritò canonicas pœnas comminari poterat Epiſcopis Tuſciæ Longobardorum, ſi quod Apoſtolicæ Sedi jurejurando promiſerant, nequaquam eâ occaſione adimpleſſent.

II.

ANNO 995.

GREGORII V. Bulla de confirmatione privilegiorum Eccleſiæ Ravennatis.

GREGORIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Reverendiſſimo, & Sanctiſſimo Confratri noſtro Joanni Archiepiſcopo Sanctæ Ravennatis Eccleſiæ, & per eamdem Sanctam Ravennatem Eccleſiam, ejuſque ſucceſſoribus Archiepiſcopis in perpetuum.

Ex antiqua tabula Ravennate in Collect. Bullarum m.s. Cornelii Margarini in Archivo ſecreto.

QUoniam omnium Sanctorum Dei Eccleſiaſticorum ſtatus à Beatorum Apoſtolorum Principis Petri doctrinis provehitur, & ad ejus fulcimen lapſæ, quæ ſunt, reſolidantur, oportet meritò Sanctam Ravennatem Eccleſiam minorationem ſuæ Diœceſeos facientem, ſuarumque dignitatum copia carentem, ità citò reſtitui, ut nomen etiam metropoleos non amittat. Cognoſcentes igitur ipſam in omnibus caſſatam, convenit ad ejuſdem relevationis ſtatum auxiliatricem noſtram porrigere dexteram, quatenus B. Petri Apoſtoli fonte potata, Chriſto juvante, ſuis redintegretur honoribus. Et ideò omnium SS. Dei Eccleſiarum cultores comperiant, atque fideles, eò quòd Joannes Archiepiſcopus ejuſdem S. Ravennatis Eccleſiæ ſuggeſſit Apoſtolicæ almitati noſtræ, quatenus confirmaremus ei præcepta, quæ ſunt edita in prædicta S. Ravennati Eccleſia, & ei ab Anteceſſoribus

bus noſtris Pontificibus, ſuis prædeceſſoribus largita ſunt, atque conceſſa. Cujus precibus, Divino amore, Beatique Appollinaris Pontificis, & Martyris Chriſti ſuccenſi, amabiliùs inclinati, confirmamus ei, ac ſtabilimus in perpetuum, abſque aliqua diminutione, ſecundùm priſcam conſuetudinem prædictæ S. Ravennatis Eccleſiæ. Quapropter confirmamus tibi jam dicto Joanni Archiepiſcopo Ravennati, & per te in prædictam Eccleſiam Ravennatem tuis Succeſſoribus in perpetuum, itaque confirmamus, atque corroboramus Monaſterium in honorem B. Hilarii conſtructum in territorio, quod vocatur Galicata, cum certis affinibus ſuis ſitum, cum rebus, videlicet, omnibus & * omnibus ſuis, & cum omni judiciali poteſtate, quæ eſt exhibenda in præſcripti territorii incolis, videlicet, ab uno latere prædicti territorii Galicati, Maſſa Balneo, quæ eſt juris S. Petri, & Comitatus Bobienſis; ab alio latere juga Alpium finîs Tuſciæ; à tertio latere Comitatus Populienſis, atque à quarto latere Fagentella percurrente, & fluvio Rap... quatenus tu ipſe Joannes Archiepiſcopus, tuique Succeſſores in perpetuum habeatis poteſtatem..... idem Monaſterium S. Hilarii cum...... ſupradicti territorii poteſtate, & publica functione, prout vobis meliùs, ſecundùm quod..... ordinandi, & diſponendi, noſtra, noſtrorumque omnium Succeſſorum remota contradictione. Inſuper etiam concedimus, atque confirmamus, & corroboramus tibi, & per te in prædictam Ravennatenſem Eccleſiam, tuiſque Succeſſoribus in perpetuum Maſſam, quæ vocatur Fiſcalia, cum omni judiciali poteſtate, & publica functione, & cum certis affinibus ſuis, ab uno, ſcilicet, latere Ariell.. tranſverſo, quæ vocatur..... ab alio latere Deonorum percurrentem in Padum; à tertiò latere Padum percurrentem, uſque ad dimidium fundi, qui vocatur Latus, atque à quarto latere........ percurrentem uſque ad fundum, qui vocatur, Uſtuladum. Confirmamus quòque omnem judiciariam poteſtatem in loco, & plebe, quæ vocatur Cornu Cervinum, cum certis affinibus ſuis, tibi, & per te in eandem S. Ravennatem Eccleſiam, tuiſque Succeſſoribus in perpetuum. Inſuper confirmamus, & corroboramus tibi Joanni Archiepiſcopo Monaſteria duo poſita intra Civitatem Ariminenſem, unum fundatum in honorem S. Thomæ Apoſtoli, alterum in honorem S. Euphemiæ martyris, cum omni integritate eorum, tàm intra eandem Civitatem, quàm extrà...... quæ eadem Monaſteria per donationis paginam veſtra Eccleſia tenere

* *lege* juribus, *vel* hominibus.

videtur .... ejuſdem Eccleſiæ Diacono Martini Ducis, & Hengleradæ Comitiſſæ ...... & præcipuè Imperatorum, tàm eadem Monaſteria, quàm & alia loca de jure prædicti Diaconi, eidem ſanctæ veſtræ Eccleſiæ confirmata in perpetuum, nec non omnes Reſidentes, & Colonos præfatæ Ravennatis Eccleſiæ, tàm in Comitatu Hadrienſi, quàm in Ferrarienſe, & Comaclense commorantes, ut immunes * bulla publica, & angaria maneant functione; ſed jugiter tibi, tuiſque Succeſſoribus, Archipræſulibus in perpetuum omnem functionem, & angariam exigant, & quod eis ab Actoribus S. Ravennatis Eccleſiæ fuerit * immunitum; verùm etiam concedimus, & confirmamus vobis .... gentes, & commorantes in caſtro .... ut nullam publicam functionem faciant, excepto vobis, veſtriſque Succeſſoribus, eâ videlicet ratione præfixa, ut nullus Dux, Comes, Vicecomes, Caſtaldo .... magna, parvaque perſona præfatis Colonis, & Reſidentibus aliquam publicam functionem, aut angariam .... aut exigant. Sed ſecuri, & quieti in omnibus ſub veſtra tuitione, & poteſtate, ut prædictum eſt, exiſtant. Simul etiam ſancimus, ut S. Ravennas Eccleſia cum ſuis ſubjectis Eccleſiis, ſicut beatiſſima Romana, cui, Deo auctore deſervimus Eccleſia, niſi per centum curricula annorum res ipſius excludantur nullatenus. Præthereà à flumine Punctari cum palude Argentæ, & omnibus pertinentibus, piſcariis, terris, aucupationibus, venationibus, utraſque ripas * cunctis ædificiis in prædicto flumine ſitis, uſque ad portum maris, nec non portum Volanæ, uſque ad locum, qui dicitur Cervia, cum omnibus litoribus ſuis, ſylvis, qualibuſque inſtrumentis ibi conditis, vobis, veſtriſque Succeſſoribus in perpetuum confirmamus. Res etiam omnes, lapides & petras tàm ſupra terram, quàm ſub terram, extra opus in publicis ædificiis poſitas, veſtræ Ravennati Eccleſiæ largimur, prout vos, veſtrique Succeſſores ad ejuſdem Eccleſiæ utilitatem præviderint exercendas, & operandas. Denique concedimus, & confirmamus, ut ab aliquo Sacerdote Ravennæ degente, aut ex familia ejuſdem S. Ravennatis Eccleſiæ, per totam Æmiliam, atque Pentapolim nullum teloneum, atque portaticum, ſivè ſiliquaticum exigatur, aut expoſcere præſumatur. Statuentes, atque promulgantes coram Deo, & terribili ejus futuro examine ... per hujus noſtri Apoſtolici privilegii ſancimus, & Beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate decernimus; tàm Apoſtolicæ Sedis obteſtamur futuros Pontifices, quàmque qui

Eccle-

* *for.* ab ulla.

* *lege* injunctū

* *Lege* cum cunctis.

Eccleſiaſticas miniſtraverint functiones, vel etiam magnas, parvaſque perſonas,* & quiſpiam cujuſcumque ſit dignitatis, prædicta de omnibus ſupraſcriptis capitulis, quæ à Nobis conceſſa ſunt, vel confirmata, quoquo modo licentiam habeant ſæpiùs nominata loca, in uno adunata, atque ſpecialitèr Apoſtolicæ èxarationis* conjuncta, disjungere, vel uno ab altero alienare. Si quis intereà, quod non credimus, temerario auſu contra ea, quæ ab hac noſtra auctoritate piè, & firmitèr per hoc noſtrum privilegium diſpoſita ſunt, contraire tentaverit, aut in quoquam tranſgredi, ſciat ſe auctoritate B. Petri Apoſtoli anathematis vinculo innodatum, & cum Juda traditore æterni incendii ſupplicio ſit deputatus. Inſuper ſciat ſe compoſiturum auri obrizi lib. xxx. S. Ravennati Eccleſiæ. At verò, qui piò intuitu obſervator in omnibus extiterit, cuſtodiens hujus noſtri privilegii conſtituta, ad cultum Dei reſpiciens, benedictionis gratiam à miſericordiſſimo D. Deo noſtro multiplicitèr, & vitæ æternæ particeps fieri mereatur, & cum Sanctis omnibus ſociatus permaneat. Scriptum per manus Petri Regionarii Notarii, & Scriniarii S. Romanæ Eccleſiæ in menſe Januario, & in Indictione x. bene valete. Datum v. Kal. Februarii per manus Joannis Epiſcopi S. Albanenſis Eccleſiæ, & Bibliothecarii S. Apoſtolicæ Sedis. Anno Pontificatus D. Gregorii Papæ Primo. Imperii autem D. tertii Ottonis Imperatoris Auguſti anno primo in menſe Januario. *Hoc eſt anno* DCCCCXCVI.

* *Forte nequiſquam.*

* *Deeſt fortaſſe pagina vel quid ſimile.*

NOTA. Joannes XV. Gregorii hujus anteceſſor vivebat adhuc menſe Auguſto anno DCCCCXCV. Ind. VIII. ut conſtat ex Regiſtro Farſen. num. 452. Poſt hunc itaque menſem Gregorii V. Pontificatus anni ſupputantur, qui ſemper iidem, ſunt ac anni Imperii Ottonis III. ab ipſo, ut videtur, imperii corona inſigniti ſub initium ſui Pontificatus. Joannes Archiepiſcopus Ravennæ Gerbertum præceſſit; quamobrem in data hujus bullæ pro Indictione x. legendum omnino eſt Indict. IX. nam in menſe Januario Indictionis x. currebat annus ſecundus Gregorii, non primus, qui deſinit poſt Auguſtum anno DCCCCXCVI. Indict. IX. Conſtat autem ex alia Gregorii V. bulla, Gerbertum jam fuiſſe Archiepiſcopum die XXVIII. Aprilis anni ſecundi Gregorii V. Indict. x. ut videre eſt apud Rubeum in Hiſt. Ravennate ad annum DCCCCXCVII. Denique Gregorii V. annus tertius, jungitur cum anno tertio Imperii Ottonis in menſe Martio anno DCCCCXCVIII. Indict. XI. in diplomate, quod habetur in Regiſtro Farſen. num. 456.

III.

ANNO circiter 1014.

BENEDICTI, ut videtur VIII. privilegium Maſſæ Fiſcaliæ incolis conceſſum.

HONORIUS &c. Clericis, & Laicis Maſſæ Fiſcaliæ, veſtriſque ſucceſſoribus.

Ex Honorii III. regeſt. an. V. epiſt. 463.

IN authentico bonæ memoriæ Benedicti Papæ prædeceſſoris noſtri ſic perſpeximus contineri. BENEDICTUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dominico, Paulo, Johanni, Stephano, Paulo, & Johanni de Alberico, Vitali Matrario, Martino de Conſtantino, Leoni de Gemma, Inguilberto Judici, Roffrido, Martino, Valtulo, Johanni Stromano, Petro Spotea, Johanni de Andrea, Leoni de Peregrino, Petro de Capralia, Petro Groſſo, Deſiderio, Martino de Petro Albo, Iuliano, Paulo de Vitali, Joanni Ziniſio Paulo, Vrſo de Barbato, Petro de Berozo de Chriſtina, Johanni de Leuntia, Johanni de Bruccardo, Martino de Capella, Paulo de Venatia, Gregorio de Dominico, & Johanni Gramatico, atque veſtris omnibus hominibus, veſtriſque conſortibus, qui ſunt in Maſſa Fiſcalia, & Plebe Sancti Vitalis, filiis, & hæredibus in perpetuum. Quotiens illa à Nobis ſperantur tribui, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo Nos decet libenti concedere, ac petentium deſideriis congruum impartiri ſuffragium. Et ideò quia poſtulatis à Nobis, quatenùs concederemus & confirmaremus vobis omnem veſtram antiquam conſuetudinem, ideſt, omnem donationem, ſeu functionem publicam, eâ, videlicet, ratione, ut ſemel in uno quoque anno tribus diebus ad legem faciendam Nuntios noſtros cuſtodire debeatis, & quicquid vobis juſtè & legalitèr pertinere videtur de ſupraſcripta Maſſa, quæ vocatur Fiſcalia, & Plebe Sancti Vitalis, ſicuti inferiùs nominari videtur, vobis confirmamus per hoc noſtrum Apoſtolicum præceptum, ab uno latere Arzele de Corlungo, & Foſſa Piſcaria, & Rivus de Rotholdo, percurrens ad medium Donorum, ab alio latere medium Virzile, à tertio latere Elia, percurrens uſque ad medium lacum ſecundum, à quarto latere Padus, quantùm vobis pertinere videtur juxtè & rationabiliter, infra hos terminos in veſtra permaneat poteſtate. Et ſi quis ex vobis mortuus fuerit abſque hærede, vel ſine teſta-

mento,

mento, ſuam rem inter vos dividatis; & illam conſuetudinem de Ripa Padi veſtræ poteſtati concedimus detinendam. A præſenti ſexta indictione, omnia, quæ ſuperiùs leguntur, vobis concedimus, & confirmamus detinenda. Et non ſit licentia ulli magnæ, parvæque perſonæ, quæ nunc, & in antea detinuerit, aliquod impedimentum injuſtè facere. Ita ſanè, ut ſingulis quibuſve indictionibus penſionis nomine detis Sanctę Romanæ Eccleſiæ boum par unum, vel ſolidos denariorum numero viginti, quales ibidem currunt, & in nativitate Domini ſpatulas de porcis numero ſexaginta. Statuens Apoſtolica cenſura ſub divini judicii obteſtationibus, & anathematis interdictionibus, ut nulli unquam Pontificum, vel Archiepiſcoporum, ſivè Epiſcoporum, aut Marchionum, vel Ducum, ſivè Comitum, aut Caſtaldionum, vel alii magnæ, parvæque perſonæ, contra hoc Noſtrum Apoſtolicum præceptum venire, vel inſurgere liceat, neque de veſtris rebus injuſtè auferre, vel invadere. Si quis temerario auſu contravenire attemptaverit, compoſiturus exiſtat centum auri optimi libras, medietatem noſtro Sacro Palatio, & medietatem vobis, veſtriſve hæredibus. Qui verò pio intuitu cuſtos, & obſervator extiterit, omni benedictione repleatur, & vitæ æternæ particeps fieri mereatur, Nos ergo quod ab eodem prædeſſore noſtro ſuper iis factum eſt, ratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum hoc noſtrum privilegium infringere liceat, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum apud Urbem Veterem per manum Willelmi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii XVIIII. Kal. Septembris Indictione VIII. Incarnationis Dominicę anno MCCXX. Pontificatus verò Domni Honorii Papæ III. anno quinto.

Præſens ſumptum, & aliud ſequentis epiſtolæ Gregorii IX. ex authenticis eorundem Pontificum Regeſtis, quæ in Archivio ſecreto aſſervantur, extractum, collationatum concordat, ſalva ſemper &c. Ideò ſubſcripſi meoque ſigillo munivi. Romæ die 10. *Januarii* 1709.

Loco ✠ Sigilli.

Thomas de Juliis ejuſdem Archivii Cuſtos, & Protonotarius Apoſtolicus.

GRE-

IV.

ANNO 1231.

GREGORII IX. Epiſtola de cautione pro FEDERICO II. Imperii, & Italię Pręſulibus, Principibus, & Civitatibus pręſtanda.

GREGORIUS &c. Archiepiſcopo Salzburgenſi, & Epiſcopo Ratiſponenſi Imperialis Aulæ Cancellario &c.

Ex regeſto an. IV. Greg. IX. in Archivio ſecreto ep. 96.

CUm Chariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus Romanorum Imperator illuſtris ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, ſuper pace reformata inter ipſum, & Eccleſiam obſervanda, ſe obligaverit ad certam cautionem præſtandam, ab Eccleſia ſibi petitam, Fraternitates Veſtras præſentium auctoritate monemus, quatenus à Prelatis, & Principibus, quorum nomina vobis in ſcriptis tranſmittimus, cautionem recipere procuretis juxta formam, quam ſub bulla noſtra mittimus interclusam. Datum Laterani XVII. Kal. Februarii Pontificatus noſtri Anno quarto *Hoc eſt die* XVI. *Januarii anno* MCCXXXI.

Hæc ſunt Nomina. Colonienſis, Maguntinus, Magdeburgenſis, Bremenſis, Treverenſis, Patavienſis, Babembergenſis Herbipolenſis, Alberſtadenſis, Spirenſis, Wormatienſis, Argentinenſis, Leodienſis, Trajectenſis, Cameracenſis, Metenſis, Baſilienſis, Conſtantienſis, Auguſtenſis, Brixinenſis, Curienſis, Tridentinus, Rex Boëmiæ, Dux Bavariæ, Dux Saxoniæ, Comes de Hanault, Dux Brabantiæ, Dux Lotharingiæ, Comes Bari, Dux de Liemburg.

In eodem modo, ut ſupra, ſcriptum eſt Epiſcopo Vercellenſi, & Mediolanenſi Electo.

Hæc ſunt nomina, in Tuſcia. Piſa, Luca, Florentia, Aretium, Piſtorium, Senæ, Comites Palatini Guerræ, Comes Willelmus Aldebrandini, Comes Sabaudiæ, Dalfinus Ravennas.

In Lombardia. Cremonenſis Epiſcopus, & Communitas, Parmenſis Epiſcopus, & Communitas, Papienſis Epiſcopus, & Communitas, Rodigium, Mutina, Mediolanum, Pergamum, Cumæ, Novaria, Alexandria, Vercellum, Taurinum, Padua, Teruiſium, Vicentia, Verona, Mantua, Brixia.

In Romania. Bononia, Ravenna, Ariminum, Marchio Montisferrati, Comes Sancti Bonifatii, Ezelinus, Salinguerra, Marchiones Maleſpinæ.

OT-

V.

DIVERSORUM ARCHIEPISCOPORUM, ET EPISCOPORUM, ac quorundam Principum Germaniæ teſtimonium de recognitione, & confirmatione Privilegiorum ab Ottone IV. & Federico II. Romanæ Eccleſiæ conceſſorum, facta ab OTTONE Præpoſito Spirenſi Nuntio RODULPHI Regis Romanorum, Concilii Lugdunenſis tempore ſub Gregorio X. in Conciſtorio habito die VI. Junii.

ANNO 1274. die 6. Junii.

IN Nomine Domini Amen. Nos Henricus Treverenſis, Guarnerus Moguntinus, Enguebertus Colonienſis, Conradus Magdeburgenſis, Giſelbertus Bremenſis Archiepiſcopi, Conradus Argentinenſis, Leo Ratiſponenſis, Bruno Brixinenſis, Otho Mindenſis, Fredericus Merſeburgenſis, Uvidego Miſnenſis, Joannes Kimenſis, Ildebrandus Eiſtetenſis Epiſcopi; Fredericus Burclavius de Nuremberc, & Gotifredus Comes Seunenſis, præſenti ſcripto fatemur, nos vidiſſe, ac diligenter reſpexiſſe privilegia, nec non, & juramenta claræ memoriæ Ottonis IV. & quondam Frederici II. Imperatorum, tunc Regum Romanorum, non cancellata, non abolita, nec in aliquâ ſui parte vitiata, ſed in prima ſui facie aureis bullis Regum ipſorum, Regiæ Majeſtatis impreſſis typario, conſignata, quorum tenores tales ſunt.

Ex autographo, quod extat in Archivo Caſtri S. Angeli.

I. *Forma juramenti OTTONIS IV. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, præſtiti fel. rec. INNOCENTIO Papæ III.*

ANNO 1201. die 27. Maji.

EGo OTTO Dei gratia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus, tibi Domino meo Innocentio Papæ, tuiſque Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ ſpondeo, polliceor, promitto, & juro, quòd omnes poſſeſſiones, honores, & jura Romanæ Eccleſiæ pro poſſe meo bonâ fide protegam, & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas Eccleſia Romana recuperavit, liberas, & quietas ſibi dimittam, & ipſam ad eas retinendas bonâ fide juvabo; Quas autem non dum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, ſecundùm poſſe meum, ero ſine fraude defenſor, & quæcunque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicophano uſque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia, Ducatus

catus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Britanorii, cum aliis adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis Imperatorum à tempore Lodovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam, & quietè dimittam cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo: veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ, ab Apoſtolica Sede vocatus, acceſſero, de mandato Summi Pontificis recipiam procurationes ab illis. Adjutor etiam ero ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ, & Succeſſoribus tuis omnem obedientiam, & honorificentiam exhibebo, quam devoti, & Catholici Imperatores conſueverunt Sedi Apoſtolicæ exhibere. Stabo etiam ad conſilium, & arbitrium tuum, de bonis conſuetudinibus populo Romano ſervandis, & exhibendis, & de negotio Societatis Tuſciæ, ac Lombardiæ. Similiter etiam conſilio tuo, & mandato parebo de pace, vel concordia facienda inter me, & Philippum Regem Francorum: & ſi propter negotium meum Romanam Eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit, in expenſis. Omnia verò prædicta tàm juramento, quàm ſcripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. †

† Apud Innoc. III. in Regeſto negotii Imperii poſt ep 75. additur *Actum Nuxiæ in Colonienſi diœceſi an. Incarnati Verbi* 1201. VI. *Id. Junii in præſentia Philippi Notarii, Ægidii Acolythi, & Scriptoris præfati Domini Papæ.*

ANNO 1209. die 22. Martii.

II. *Tenor privilegii dicti OTTONIS IV. Imperatoris, tunc Regis Romanorum conceſſi eidem INNOCENTIO, & Eccleſiæ Romanæ.*

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. OTTO IV. Divina favente clementia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus.

RE cognoſcentes ab eo noſtræ promotionis donum miſericorditer proceſſiſſe, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, ipſum, ejuſque Vicarium, & Sponſam ejus ſanctam Eccleſiam diſpoſuimus, & decrevimus magnificè honorare, ut qui nobis in præſenti temporale contulit Regnum, in futuro quòque tribuat ſempiternum. Proindè vobis Reverendiſſime Pater, & Domine Summe Pontifex Innocenti Papa, quos pro multis beneficiis nobis impenſis ſinceriſſimo veneramur affectu, veſtriſque Catholicis Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam, & reverentiam, ſemper humili corde, ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri Reges, & Imperatores Catholici veſtris Anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil ex iis volentes diminui, ſed magis augeri, ut noſtra devotio clariùs eniteſcat. Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam prædeceſſorum noſtro-

noſtrorum exercuiſſe dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè, ac canonicè fiant, quatinus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obſtet de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis, & cauſis Eccleſiaſticis ad Apoſtolicam Sedem liberè fiant, eorumque proſecutionem, ſive proceſſum, nullus impedire præſumat. Illum quòque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt anteceſſores admittere pro motu propriæ voluntatis. Omnia verò ſpiritualia vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus liberè diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo rectâ diſtributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas Eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas, & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas retinendas bonâ fide promittimus adjuvare. Quas verò non dum recuperavit, ad recuperandum pro viribus erimus adjutores, & quæcumque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicoſano uſque ad Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, cum aliis adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis Imperatorum, & Regum à tempore Lodovici, ut eas habeat Romana Eccleſia in perpetuum, cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo: verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, ſive fodrum ab illis. Adjutores etiam erimus ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tamquam devotus filius, & Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Innocentio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, ejuſque ſucceſſoribus, per nos, & noſtros ſucceſſores Romanorum Imperatores, & Reges obſerventur, firma, & inconvulſa ſemper permaneant, præſens exinde privilegium conſcriptum, Majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communi-

muniri. Signum Domini Ottonis IV. Romanorum Regis inviſtiſſimi. Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus vice Domini Siffridi Maguntini Archiepiſcopi, & totius Germaniæ Archicancellarii, Regalis Aulæ Cancellarius recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCVIIII. Indictione XII. regnante Domino Ottone IV. Romanorum Rege glorioſo, anno regni ejus undecimo. Datum apud Spiram XI. Kal. April.

ANNO 1213. die 12. Julii. III. *Tenor privilegii FREDERICI II. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, conceſſi eidem INNOCENTIO Papæ III. & Eccleſiæ Romanæ.*

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Amen. FREDERICUS II. Divina favente Clementia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ.

REgnum noſtrum tunc ſtabiliri confidimus, cum Altiſſimum, de cujus manu ea, quæ poſſidemus, bona recepimus, honoramus. Tantò enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hoſtias operis, & devotionis aſtringimur, quantò ipſum miſericordem in nobis, & mirabilem experimur. Cognoſcentes igitur gratiam, quæ data eſt nobis ab ipſo; habentes quòque præ oculis immenſa, & innumera beneficia veſtra, chariſſime Domine, & Reverendiſſime Pater, protector, & benefactor noſter, Domine Innocenti Dei gratia Summe Pontifex venerande, per cujus beneficium, operam, & tutelam aliti ſumus, protecti pariter, & promoti, poſtquam in ſolicitudinem veſtram mater noſtra fel. mem. Conſtantia Imperatrix, & Siciliæ Regina ex ipſo quaſi utero nos jactavit, vobis, Beatiſſime Pater, & omnibus Succeſſoribus veſtris Catholicis, Sanctæque Romanę Eccleſię ſpeciali matri noſtræ, omnem obedientiam, honorificentiam, atque reverentiam ſemper humili corde, ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri Reges, & Imperatores Catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil exinde volentes diminui, ſed magis augeri, ut noſtra magis devotio eniteſcat. Illum igitur volentes abolere abuſum, quem interdum quidam predeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, & dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè, & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars ipſius duxerit eligendnm, dummodo nihil deſit ei de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis, & cauſis Eccleſiaſticis ad Se-

dem

dem Apoſtolicam liberè fiant, earum proſecutionem, ſive proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quòque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prelatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia verò ſpiritualia vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, relinquimus liberè diſponenda, ut quæ ſunt Cęſaris, Cęſari, & quæ ſunt Dei, Deo rectâ diſtributione reddantur. Super eradicando autem hęreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas Eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas, & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas obtinendas pro bonâ fide promittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: & quęcumque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate, ac mora ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicophano uſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennę, Pentapolis, Maſſa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam Eccleſiam pertinentibus, ut eas habeat Romana Eccleſia in perpetuum cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſię, ab Apoſtolica Sede vocati, venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta, & quæcumque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam, de voluntate, & conſcientia, conſilio, & conſenſu Principum Imperii liberè illi dimittimus, renunciamus, & reſtituimus; nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout meliùs valet, & efficaciùs intelligi, concedimus, conferimus, & donamus, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materiâ, firma pax, & plena concordia in perpetuum inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent. Adjutores etiam erimus ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipſum ſpectantibus tam citra Farum, quàm ultra, nec non Corſicam, & Sardiniam, ac cętera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius, & Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Innocentio Sacroſanctę Romanę Eccleſiæ Summo Pontifici, ejuſque Succeſſoribus, per nos, & noſtros

b Suc-

Succeſſores Romanorum Reges, & Imperatores obſerventur, firmaque, & inconvulſa ſemper permaneant, præſens privilegium conſcriptum Majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communiri.

Teſtes autem hi ſunt. Sifridus Maguntinæ Sedis Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, Eberhardus Salzburgenſis Archiepiſcopus, Conradus Ratiſponenſis Epiſcopus, Otto Wirzburgenſis Epiſcopus, Manegoldus Pactavenſis Epiſcopus, Engelhardus Zizenſis, Otacharus Boëmorum Rex, Lodovicus Dux Bavariæ, Liupoldus Dux Auſtriæ, & Stiriæ, Hermannus Lantgravius Thuringiæ, Comes Albertus de Eberſtein, Comes Adolphus de Sowenbercg, Comes Burcardus de Manneſvelt, Berardus de Dets, Comes Lodovicus de Wirtemberch, Gebeardus Burcravius Meigdeburgenſis, Hainricus de Stahelberch, Walterus de Lagemberch, Hainricus de Chalandina Mareſchalcus Imperii, Walterus de Siph Pincerna Imperii, & alii quamplures. Signum Domini Frederici II. Romanorum Regis invictiſſimi, & Regis Siciliæ. Ego Conradus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Metenſis, & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Maguntini Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Legati, ac totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCXIII. Indictione prima, Regnante Domino Friderico II. Romanorum Rege glorioſo, & Rege Siciliæ, anno regni ejus Romani primo, Regni verò ejus Siciliæ XVI. Datum apud Egram per manus Bertoldi de Niffe Regalis Aulæ Protonotarii IV. Id. Julii.

ANNO 1219. Menſe Septembri.

IV. *Simile privilegium conceſſum ab eodem FREDERICO tunc Rege Romanorum fel. rec. HONORIO Papæ III.*

In nomine Dei Æterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Amen. FREDERICUS II. Divina favente clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ.

Regnum noſtrum tunc ſtabiliri confidimus, cum Altiſſimum, de cujus manu ea, quæ poſſidemus, bona recepimus, honoramus. Tantò enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hoſtias operis, & devotionis aſtringimur, quantò ipſum miſericordem in nobis, & mirabilem experimur. Cognoſcentes igitur gratiam, quæ data eſt nobis ab ipſo. Habentes quòque præ oculis immenſa, & innumera beneficia veſtra chariſſime Domine, & Reverendiſſime Pater, protector, & benefactor noſter, Domine Honori

Dei

Dei gratia Summe Pontifex venerande, per cujus beneficium operam, & tutelam aliti ſumus, protecti pariter, & promoti, poſtquam in ſolicitudinem veſtram mater noſtra fel. mem. Conſtantia Imperatrix, & Regina Siciliæ ex ipſo quaſi utero nos jactavit, vobis, Beatiſſime Pater, & omnibus Succeſſoribus veſtris Catholicis, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ ſpeciali matri noſtræ, omnem obedientiam, honorificentiam, atque reverentiam, ſemper humili corde, ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri Reges, & Imperatores Catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nil exindè volentes diminui, ſed magis augeri, ut noſtra magis devotio eniteſcat. Illum igitur volentes abolere abuſum, quem interdum quidam prędeceſſorum noſtrorum exercuiſſe noſcuntur, & dicuntur, in electionibus Prælatorum, concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè, & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis, & cauſis Eccleſiaſticis ad Sedem Apoſtolicam liberè fiant, earum proſecutionem, ſive proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quòque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propiæ voluntatis. Omnia verò ſpiritualia vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, liberè relinquimus diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo rectâ diſtributione reddantur. Super eradicando autem hęreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas Eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas, & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas obtinendas bonâ fide promittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: & quæcunque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate, ac mora ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicophano uſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Maſſa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam Eccleſiam pertinentibus, ut eas habeat

Romana Eccleſia in perpetuum cum omni juriſdictione,diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ, ab Apoſtolica Sede vocati, venerimus,de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes,ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta,& quęcumque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam, de voluntate, & conſcientia, conſilio, & conſenſu Principum Imperii libere illi dimittimus, renuntiamus, & reſtituimus; necnon ad omnem ſcrupulum removendum, prout meliùs valet, & efficaciùs intelligi, concedimus, conferimus, & donamus, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materiâ, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent. Adjutores etiam erimus ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipſum ſpectantibus tam citra Farum, quàm ultra, nec non Corſicam, & Sardiniam, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius, & Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Honorio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, ejuſque Succeſſoribus, per nos, & noſtros Succeſſores Romanorum Reges, & Imperatores obſerventur, firmaque, & inconvulſa ſemper permaneant, præſens privilegium conſcriptum, Majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communiri.

Teſtes ii ſunt. Henricus Argentinenſis Epiſcopus, Henricus Baſilienſis Epiſcopus, Abbas Sancti Galli, Hugo Abbas Morbacenſis, Golfradus Abbas de Wizburch, Tibaldus Dux Lotharingiæ, Comes Egeno de Urach, Comes Ludovicus de Wirtimberch, Comes Everardus de Elphinſtein, Henricus de Niffen, & alii quamplures. Signum Domini Frederici Dei gratia Romanorum Regis ſemper Auguſti, & Regis Siciliæ. Ego Conradus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Metenſi, & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Maguntini Archiepiſcopi, & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXIX. menſe Septembris Indictione VIII. regnante Domino Frederico II. Romanorum Rege glorioſo, & Rege Siciliæ, anno Romani Regni ipſius in Germania VII. & in Sicilia XXII. feliciter, Amen. Datum apud Hagnoviæ per manus Henrici Regalis Aulæ Protonotarii, anno, menſe, & Indictione præſcriptis.

V. *For-*

V. *Forma juramenti ejuſdem FREDERICI, tunc Regis Romanorum præſtiti præfato INNOCENTIO Papæ III.* ANNO 1213. die 12. Julii.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Amen. Ego FREDERICUS II. Dei gratia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ.

TIbi Domino meo Sanctiſſimo, ac Patri chariſſimo INNOCENTIO Papæ III. tuiſque Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, præſentibus ſubſcriptis Principibus Imperii, & Nobilibus, ſpondeo, polliceor, & promitto, & juro, quòd omnes poſſeſſiones, honores, & jura Romanæ Eccleſiæ, pro poſſe meo bona fide protegam, & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas Eccleſia Romana recuperavit, liberas, & quietas ſibi dimittam, & ipſam ad eas retinendas bonâ fide juvabo: quas autem non dum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, ſecundùm poſſe meum, ero ſine fraude defenſor; & quæcunque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicofano uſque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis Imperatorum à tempore Lodovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam, & quietè dimittam, cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen, cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede vocatus acceſſero, de mandato Summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ, & Succeſſoribus tuis, omnem obedientiam, & honorificentiam exhibebo, quam devoti, & Catholici Imperatores conſueverunt Sedi Apoſtolicæ exhibere; & ſi propter negotium meum Romanam Eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit, in expenſis. Omnia verò prædicta tàm juramento, quàm ſcripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus.

Principes autem Imperii, & Nobiles, quibus præſentibus juravi, hi ſunt. Evirhaldus Salzburgenſis Archiepiſcopus, Berardus Barenſis Archiepiſcopus, Mangoldus Patavienſis Epiſcopus, Engilhardus Nuemburgenſis Epiſcopus, Conradus Metenſis, & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, Luppoldus

Dux Auſtriæ, & Stiriæ, Lodowicus Dux Bawariæ, Comes Albertus de Ewirtein, Henricus Mareſchalcus de Callindun, Gualterus Pincerna. Actum in Capella in Caſtro Egrę, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXIII. IV. Idus Julii Indictionis primæ.

ANNO 1219. Menſe Septembri.

VI. *Forma juramenti ejuſdem FREDERICI, tunc Regis Romanorum, præſtiti memorato HONORIO Papæ III.*

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Amen. Ego FREDERICUS II. Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ.

TIbi Domino meo Sanctiſſimo, & Patri chariſſimo HONORIO Papæ III. tuiſque Succeſſoribus, & Eccleſię Romanę, pręſentibus ſubſcriptis Principibus Imperii, & Nobilibus, ſpondeo, polliceor, & promitto, & juro, quòd omnes poſſeſſiones honores, & jura Romanæ Eccleſiæ pro poſſe meo bona fide protegam, & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas Eccleſia Romana recuperavit, liberas, & quietas ſibi dimittam, & ipſam ad eas retinendas bona fide juvabo, quas autem non dum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, ſecundùm poſſe meum, ero ſine fraude defenſor; & quęcunque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota Terra, quæ eſt à Radicofano, uſque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentápolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis Imperatorum à tempore Lodovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam, & quietè dimittam, cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ, ab Apoſtolica Sede vocatus, acceſſero, de mandato Summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Honorio Papæ, & Succeſſoribus tuis omnem obedientiam, & honorificentiam exhibebo, quam devoti, & Catholici Imperatores conſueverunt Sedi Apoſtolicæ exhibere; & ſi propter negotium meum Romanam Eccleſiam opportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit, in expenſis. Omnia verò ſupradicta, tam juramento, quàm ſcripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Principes autem Imperii, & Nobiles coram quibus juravi, hi ſunt. Henricus Argentinenſis Epiſcopus, Henricus Baſilienſis Epiſcopus,

pus, Abbas S. Galli, Hugo Abbas Morbacenſis, Golfradus de Wiziburch, Tibaldus Dux Lothoringię, Comes Egeno de Urach, Comes Lodowicus de Virtimberch, Comes Everhardus de Elfratem, Henricus de Niffen, & quàm plures alii. Actum apud Hagnovæ anno Dominicę Incarnationis MCCXIX. menſis Septembris, Indictione VIII.

Prædicta quidem privilegia, & tenores juramentorum, in Conſiſtorio Veſtro, Sanctiſſime Pater, & Domine Gregori Divina Providentia Papa X. aſſiſtentibus vobis reverendis Patribus Joanne Portuenſi, Petro Tuſculano, Vicedomino Preneſtino, Bonaventura Albanenſi, Petro Oſtienſi, Epiſcopis; Simone Sancti Martini in Montibus, Anchero Sanctæ Praxedis, Guillelmo Sancti Marci, Simone Tit. S. Cæciliæ Presbyteris, Ottobono Sancti Adriani, Jacobo S. Mariæ in Coſmidin, Gotifredo Sancti Georgii ad Velum aureum, Uberto Sancti Euſtachii, & Matthęo S. Mariæ in Porticu Diaconis, Cardinalibus, ac nobis in veſtra præſentia inibi conſtitutis, per venerabilem virum Othonem Sancti Guidonis Spirenſis Præpoſitum, Domini noſtri Rudolphi Regis Romanorum illuſtris Cancellarium, & procuratorem lecta, & propter nos ſupradictos Burclavium, & Comitem, qui nec literas, nec linguam latinam novimus, fideliter fuerunt expoſita. Idem quòque Cancellarius habens ab eodem Rege Rudolpho poteſtatem, & ſpeciale mandatum ſubſcripti tenoris, de noſtro conſilio, & aſſenſu, omnia, & ſingula in eiſdem privilegiis, & juramentorum contenta tenoribus, ejuſdem Regis Rudolphi nomine ratificavit, rata, & firma ſe habere, ac ab aliis haberi velle profeſſus eſt, & eadem innovavit, ac denuò conceſſit.

Promiſit inſuper eodem nomine, ac juravit in animam ipſius Regis Rudolphi, quòd ipſe Rex per ſe, vel per alium, ſeu alios non occupabit, nec invadet in totum, vel in partem terras Eccleſiæ Romanæ, aut terras vaſſallorum ejus, quas jure feudi, vel ſub cenſus, aut alterius præſtationiş titulo, ſive alio quocumque modo tenent ab ipſa Eccleſia: nec eas, vel earum aliquam procurabit occupari per alium, ſeu alios, vel invadi. Quin etiam nec ipſas, nec tenentes eaſdem, ſe, vel terras ipſas ſibi ultro volentes ſubjicere, nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcumque poteſtatem in terris eiſdem, & ſpecialiter in Civitate Romana, recipiet ſub quocumque colore, ſine veſtra, veſtrorumque ſucceſſorum licentia ſpeciali, & ſi qui eas occupare, vel invadere tenta-

tentarent, non ſolùm denegabit illis auxilium, conſilium, & favorem publicum, & occultum; verùm etiam ad requiſitionem veſtram, dictorumve ſucceſſorum, adjutor erit contra illos in defendendis, & conſervandis eiſdem.

Item quòd idem Rex Rudolphus, per ſe, vel per alium, non offendet vaſſallos Eccleſiæ, & ſpecialiter magnificum Principem Dominum Carolum Regem Siciliæ illuſtrem, ſeu hæredes ipſius: nec volentibus ipſum offendere præſtabit conſilium, auxilium, aut favorem, publicè, vel occultè: nec Regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eadem Romana tenet Eccleſia, vel aliquam ejus partem occupabit, aut invadet per ſe, vel per alium; aut occupari, vel invadi procurabit; nec invadere, aut occupare tentantibus, præſtabit auxilium, conſilium, vel favorem, publicum, vel occultum. Alios etiam devotos Eccleſiæ, qui eidem adſtiterunt contra prædictum Fredericum, hæredes, vel ſucceſſores ipſius, propterea non gravabit; ſed nihilominus favorabiliter proſequetur: vaſſallos autem ſuos, contra prædictorum aliquod facientes, pro poſſe bona fide compeſcet. Servabit præterea, & faciet omnia, & ſingula, quæ in canonibus poſitis LXIII. diſtinct. quorum quidem canonum alter, Ego Lodovicus; alter verò, Tibi Domino Papæ, incipit, continentur. Quodque idem Rex Rudolphus prædicta omnia, tam in privilegiis ipſis contenta, quàm alia inviolabiliter obſervabit, ac de præmiſſis omnibus, & ſingulis obſervandis, præſtabit, tactis ſacroſanctis Evangeliis, corporaliter juramentum: & privilegia, per omnia, verbis tamen aliquibus competenter mutatis, prout facti qualitas exigit, ſimilia ſupraſcriptis continentia, & nihilominus plenè omnia alia, quæ præter privilegiorum præmiſſorum tenores ſuperiùs exprimuntur; ac inſuper ratificationem, confirmationem, innovationem, ac novam conceſſionem, omnium renuntiationum, dimiſſionum, promiſſionum, pollicitationum, ſponſionum, conceſſionum, ceſſionum, & confirmationum, quas tam dictus Fredericus II. quàm alii Reges, & Imperatores Romani præcedentes eundem, Beato Petro Apoſtolorum Principi, Summis Pontificibus, qui pro tempore fuerunt, vel Eccleſiæ Romanæ præſtitiſſe noſcuntur, præfato Apoſtolorum Principi, ac vobis Sanctiſſimo Patri ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris catholicis ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ concedet, quandocumque per Sedem Apoſtolicam ſuper hôc literis fuerit, vel Nuntio requiſitus: & juramenta etiam præſtabit, & lite-

literas ſuper hujuſmodi præſtatione concedet, prout dicti Reges Romanorum præſtiterunt, ac conceſſerunt. Poſtquam autem Romam, ad recipiendam unctionem, coronationem, ſeu Imperiale diadema pervenerit, ipſaque ceperit, præmiſſa omnia, & ſingula innovabit, ſeu de novo faciet; ac ſine aliqua difficultate juramenta præſtabit, quæ Imperatores Romanorum hactenus prętiterunt. Item quòd dictus Rex Rudolphus bona fide, ſine fraude, & malo ingenio procurabit, quòd omnes Principes Alemanniæ laici promittent, & jurabunt, ſe bona fide curaturos, & facturos, quòd præfatus Rex Rodulphus præmiſſa omnia, & ſingula inviolabiliter obſervabit; & ſi, quod abſit, ipſe Rex Rodulphus prædicta non ſervaret, iidem Principes in hoc ipſi aliquatenùs non aſſiſtent.

VII. *Tenor autem mandati, quod idem Cancellarius ejuſdem Regis RUDOLPHI nomine præſentavit, pro omnia talis eſt.*

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino ſuo, Domino GREGORIO Sacroſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, RUDOLPHUS Romanorum Rex ſemper Auguſtus, pedum oſcula beatorum.

SAnctitati Veſtræ præſentibus innoteſcat, quòd ego devotus veſter, & Eccleſiæ Romanæ filius, honorabilem virum Othonem Præpoſitum Sancti Guidonis Spirenſis, Regalis Aulæ meæ Cancellarium, meum Nuncium, & Procuratorem conſtituo, dans ei liberam poteſtatem, & ſpeciale mandatum faciendi nomine meo Beato Petro Apoſtolo cœleſtis Regni Clavigero, ac vobis ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris canonicis ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, confirmationes, conceſſiones, privilegia, juramenta, & cætera omnia, quæ mei prædeceſſores Reges Romanorum feciſſe noſcuntur, ſeu invenientur; nec non & alia promittendi, ſeu faciendi, quæ vos, Sanctiſſime Pater, & Domine, ſine demembratione Imperii ſecundùm Deum, & honeſtatem videritis expedire; & in animam meam jurandi, quòd ea omnia, & ſingula rata habebo, & inviolabiliter obſervabo, nec contra ea per me, vel per alium publicè, vel occultè venire tentabo. Do etiam ei poteſtatem promittendi nomine meo, quòd ego per me ipſum eadem faciam, & promittam, atque jurabo quandocumque per vos literis, vel Nuncio fuero requiſitus. Et ſuper his omnibus patentes literas meas dabo, aurea bulla, typario Regiæ Majeſtatis impreſſa, bullatas. Do præterea eidem Cancellario poteſtatem, & ſpeciale mandatum dandi ſuper omnibus præmiſſis, & ſingu-

Hoc mãdatum in forma authentica extat etiã ſeorſim ab hoc inſtrumento in Archivo Caſtri S. Angeli.

ſingulis patentes literas, ſeu publicum inſtrumentum, & omnia faciendi, quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa fuerint neceſſaria, vel etiam opportuna, etiam ſi mandatum exigerent ſpeciale. In cujus rei teſtimonium, præſentem procurationem fieri feci, & mei ſigilli munimine roboravi. Dat. Rotemburch anno Domini MCCLXXIV. in craſtinum Dominicæ, qua cantatur: Quaſi modò geniti; regni noſtri anno primo.

Nos itaque memorati Archiepiſcopi, & Epiſcopi omnia præmiſſa, quæ per eundem Cancellarium acta ſunt, de noſtro, ut præmittitur, conſilio, & aſſenſu, habentes rata, & firma, promittimus in verbo Sacerdotis, & ſacroſanctis Evangeliis coram poſitis: ac nos præfati Fredericus, & Comes, eiſdem Evangeliis tactis, promittimus, & juramus, nos bona fide curaturos, & facturos: quod idem Rex eadem omnia, & ſingula obſervabit plenariè: nec per ſe, nec per alium veniet contra ea, ſeu aliquod eorumdem. Et ſi quando, quod abſit, ſecus facere attentaret, nos in hoc aliquo modo non aſſiſtemus eidem. Acta ſunt hæc Lugduni in prædicto Conſiſtorio, anno Domini MCCLXXIV. menſe Junii die martis ſexta menſis ejuſdem, Pontificatus veſtri anno III. Porrò ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum nos memorati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Burclavius, & Comes, preſentes literas fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roborari.

V I.

ANNO 1274. die 6. Junii.

Eorundem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum &c. recognitio diplomatis Principum Imperii, quo rata habent, quæ à FEDERICO II. confirmata fuerant Eccleſiæ Romanæ.

Ex autographo Arch. Caſtri S. Angeli.

IN nomine Domini, Amen. Nos Henricus Treverenſis, Guarnerus Maguntinus, Enguebertus Colonienſis, Conradus Magdeburgenſis, Giſelbertus Bremenſis Archiepiſcopi, Conradus Argentinenſis, Leo Ratiſponenſis, Bruno Brixinenſis, Otto Mindenſis, Fredericus Merſeburgenſis, Widego Miſnenſis, Joannes Kimenſis, Ildebrandus Eiſtetenſis Epiſcopi, Fredericus Burclavius de Nuremberch, & Gotifridus Comes Seunenſis preſenti ſcripto fatemur, nos vidiſſe, ac diligenter inſpexiſſe patentes literas

ras Principum Imperii ſubſcripti tenoris, ſigillis eorundem pendentibus conſignatas, quarum tenor talis eſt.

Nos Principes Imperii univerſis pręſentem paginam inſpecturis. Ut tollatur de medio omnis materia ſcandali, diſſenſionis, ſeu etiam rancoris occaſio inter Eccleſiam, & Imperium, & ii duo gladii, in domo Domini conſtituti, intimę dilectionis fœdere copulati, exurgant in reformationem univerſi populi Chriſtiani; & meritò mundo appareant in omnem exhibitionem juſtitiæ, & veritatis illa duo magna luminaria poſita in medio firmamenti; & nos in opere, & voluntate filii inveniamur omni tempore devotionis, & pacis, qui tam Eccleſiam, quàm Imperium confovere tenemur, ac etiam unanimiter gubernare: quicquid ipſi Sanctę Romanę Eccleſiæ matri noſtræ factum eſt per Dominum noſtrum Fridericum, Dei gratia Romanorum Regem ſemper Auguſtum, & Regem Siciliæ, per privilegia, ſeu etiam ſcripta ſua, pro omni diſcordia ſopienda, & evitanda in poſterum, & pro pace totaliter reformanda, pariter, & obſervanda, ut ſit in omnibus eiſdem omni tempore idem velle, & idem nolle, & nos bonorum operum ſectatores, feliciter gaudeamus; noſtrì nomine Principatus, ſicut olim ad petitiones, & preces, nec non, & mandatum prędicti Domini noſtri Regis Friderici, tempore bo: mem: Domini Innocentii III. Papæ pro bono pacis, ad omnia ſcandala evitanda, ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuper privilegiis ipſius Regis ſibi datis, noſtram tunc voluntatem præbuimus, & conſenſum; ſic nunc eandem voluntatem, & conſenſum noſtrum noviter innovamus, & per omnia approbamus. Et ut hæc noſtra voluntas, & approbatio, ſive renovatio, à nobis ipſi Sanctę Romanę Eccleſię in perpetuum obſerventur, ut liqueat in effectu in teſtimonium illi, & ad perpetuam memoriam noſtrî, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtrorum ſigillorum munimine roboratum, ſuper omnibus privilegiis ab ipſo Rege, uſque nunc ſibi datis, & etiam adhuc dandis, tam ſuper facto Imperii, quàm ſuper facto Regni Siciliæ; ita quod Imperium nihil cum dicto Regno habeat unionis, vel alicujus jurisdictionis in ipſo. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXX. Dat. apud Frankenfort in ſolemni Curia IX. Kal. Madii, Indictione VIII.

Prædictæ quidem literæ in Conſiſtorio veſtro, Sanctiſſime Pater, & Domine Gregori Divina Providentia Papa X. aſſiſtentibus vobis Reverendis Patribus, Joanne Portuenſi, Petro Tuſculano, Vicedomino Preneſtrino, Bonaventura Albanenſi, Petro Oſtienſi

Epi-

Epiſcopis, Simone S. Martini in Montibus, Anchero S. Praxedis, Guillelmo S. Marci, Simone tit. S.Cęciliæ Presbyteris, Ottobono S. Adriani, Jacobo S. Mariæ in Coſmedin, Gottifrido S. Georgii ad Velum aureum, Uberto S. Euſtachii, & Matthæo S. Mariæ in porticu Diaconis Cardinalibus, ac nobis in veſtra præſentia inibi conſtitutis, per honorabilem virum Ottonem Sancti Guidonis Spirenſis Præpoſitum, Domini Noſtri Rodulphi Regis Romanorum Illuſtris Cancellarium, & Procuratorem lectæ, & propter nos ſupradictos Burclavium, & Comitem, qui nec literas, nec linguam Latinam novimus, fideliter fuerunt expoſitæ. Pręfatæ quoque literæ erant non cancellatæ, non abolitæ, nec in aliqua ſui parte vitiatæ, ſed per omnia in prima ſua figura. Acta ſunt hæc Lugduni in prędicto Conſiſtorio an. Domini MCCLXXIV. menſe Junii die martis VI. menſis ejuſdem, Pontificatus veſtri ann. III. Porrò ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum nos memorati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Burelavius, & Comes præſentes literas fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roborari.

VII.

ANNO 1274. die 6. Junii.

Inſtrumentum geſtorum in Conſiſtorio ab OTHONE Præpoſito Spirenſi nomine RODULPHI Regis Romanorum, ejuſdem Concilii Lugdunenſis tempore.

IN nomine Domini, Amen. Ego OTHO Sancti Guidonis Spirenſis Præpoſitus, Regiæ Aulæ Cancellarius, glorioſiſſimi Principis Domini mei Rudolphi, Dei gratia Regis Romanorum ſemper Auguſti Procurator, & Nuntius, habens ab ipſo mandatum in forma ſubſcripta, præſenti ſcripto confiteor, me privilegia nec non, & juramenta claræ memoriæ Ottonis quarti, & quondam Frederici II. Imperatorum, tunc Regum Romanorum, non cancellata, non abolita, nec in aliqua ſui parte vitiata, ſed in prima ſui facie aureis bullis Regum ipſorum, Regiæ Majeſtatis impreſſis typario, conſignata, diligenter inſpexiſſe, de verbo ad verbum legiſſe, ac in Theutonico idiomate propter infraſcriptos Nobiles expoſuiſſe in Conſiſtorio veſtro, Sanctiſſime Pater, & Domine, Domine Gregori Papa X. aſtantibus vobis Reverendis Patribus Joanne Portuenſi, Petro Tuſculano, Vicedomino Preneſtrino, Fratribus Bentivenga Albanenſi, Petro Oſtienſi Epiſcopis, Simone tituli Sancti Martini in Montibus, Anchero tit. S. Praxedis, Guillel-

Guillelmo tit. S. Marci, Simone tit. S. Ceciliæ Presbyteris, Ottobono S. Adriani, Jacobo S. Mariæ in Coſmidin, Gottifrido S. Georgii ad Velum aureum, Uberto S. Euſtachii, & Matthæo S. Mariæ in Porticu Diaconis, Cardinalibus, & præſentibus inibi Venerabilibus Patribus Henrico Treverenſi, Guarnero Maguntinenſi, Engueberto Colonienſi, Conrado Magdeburgenſi, Giſelberto Bremenſi Archiepiſcopis, Conrado Argentinenſi, Leone Ratiſponenſi, Brunone Brixinenſi, Ottone Mindenſi, Frederico Merſeburgenſi, Guidone Miſnenſi, Joanne Kimenſi, Ildebrando Eiſtetenſi Epiſcopis, & Nobilibus Viris Frederico Burclavio de Nurembergh, ac Gottifredo Comite Seunenſi. Tenores autem prædictorum privilegiorum, & juramentorum, de verbo ad verbum tales ſunt.

I. *Forma juramenti OTTONIS IV. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, præſtiti felicis recordationis INNOCENTIO Papæ III.* ANNO 1201. die 27. Maji.

Ego OTTO &c. *ut ſupra pag*. 9.

II. *Tenor privilegii dicti OTTONIS IV. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, conceſſi eidem INNOCENTIO, & Eccleſiæ Romanæ.* ANNO 1209.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. OTTO IV. Divinâ favente Clementia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus. die 22. Martii.

Recognoſcentes ab eo &c. *ut ſupra pag*. 10.

III. *Tenor privilegii FREDERICI II. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, conceſſi eidem INNOCENTIO Papæ III. & Eccleſiæ Romanæ.* ANNO 1213.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Amen. FREDERICUS II. Divinâ favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ. die 12 Julii.

Regnum noſtrum Divina &c. *ut ſupra pag*. 12.

IV. *Simile privilegium conceſſum ab eodem FREDERICO, tunc Rege Romanorum, fel. rec. HONORIO Papæ III.* ANNO 1219.

In nomine Dei æterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Amen. FREDERICUS II. Divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ. Menſe Septembri.

Regnum noſtrum tunc &c. *ut ſupra pag*. 14.

V. *Forma juramenti ejuſdem FREDERICI, tunc Regis Romanorum, præſtiti præfato INNOCENTIO Papæ III.* ANNO 1213.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Amen. Ego die 12. Julii.

FREDERICUS II. Dei gratia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ.

Tibi Domino meo &c. *ut ſupra pag.* 17.

ANNO 1219. Menſe Septembris.

VI. *Forma juramenti ejuſdem FREDERICI, tunc Regis Romanorum, præſtiti præfato HONORIO Papæ III.*

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Amen. Ego FREDERICUS II. Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ.

Tibi Domino meo &c. *ut ſupra pag.* 18. *uſq; ad finem juramẽti.*

De prædictorum itaque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac Nobilium conſilio, & expreſſo conſenſu, Ego memoratus Cancellarius omnia, & ſingula in eiſdem contenta privilegiis, ejuſdem Regis Rudolphi nomine ratifico, rata, & firma habeo, & ab aliis haberi volo, & eadem innovo, atque de novo concedo, promittens eodem nomine B. Petro Cœleſtis Regni Clavigero, ac vobis Patri Sanctiſſimo ejus Succeſſori, cæteriſque veſtris Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, ac jurans in animam ipſius Regis Rudolphi, quòd ipſè per ſe, vel per alium, ſeu alios, non occupabit, nec invadet, in totum, vel in partem aliquam terras ipſius Eccleſiæ Romanæ, aut terras Vaſſallorum ejus, quas jure feudi, vel ſub cenſus, aut alterius præſtationis titulo, ſive alio quocumque modo tenent ab ipſa Eccleſia, nec eas, vel earum aliquam procurabit occupari per alium, ſeu alios, vel invadi: quin etiam nec ipſas, nec tenentes eaſdem, ſe, vel terras ipſas ſibi ultrò volentes ſubjicere, nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcunque poteſtatem in terris eiſdem, & ſpecialiter in Civitate Romana recipiet, ſub quocunque colore, ſine veſtra, ſeu ſucceſſorum veſtrorum licentia ſpeciali; & ſi qui eas occupare, vel invadere tentarent, non ſolùm denegabit illis auxilium, conſilium, & favorem publicum, & occultum, verùm etiam ad requiſitionem veſtram, veſtrorumve Succeſſorum, adjuror erit contra illos in defendendis, & conſervandis eiſdem. Item quòd idem Rex Rudolphus per ſe, vel per alium non offendet Vaſſallos Eccleſiæ, & ſpecialiter magnificum Principem D. Carolum Regem Siciliȩ Illuſtrem, ſeu hȩredes ipſius, nec volentibus ipſum offendere præſtabit conſilium, auxilium, aut favorem publicè, vel occultè; nec Regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eadem Romana tenet Eccleſia, vel aliquam ejus partem occupabit, aut invadet per ſe, vel per alium, aut occupari, vel invadi procurabit, nec invadere, aut occupare tentantibus

præ-

præſtabit auxilium, conſilium, aut favorem publicum, vel occultum. Alios etiam devotos ipſius Eccleſiæ, qui eidem adſtiterunt contra prædictum Fredericum, hæredes, vel ſucceſſores ipſius, propterea non gravabit; ſed nihilominus favorabiliter proſequetur: vaſſallos autem ſuos, contra prædictorum aliquod facientes, pro poſſe bona fide compeſcet. Servabit præterea, & faciet omnia, & ſingula, quæ in canonibns poſitis LXIII. diſtinct. quorum quidem canonum alter, Ego Ludovicus; alter vero, Tibi Domino Papæ. Incipit, continetur. Quòdque idem Rex Rudolphus præmiſſa omnia, tam in privilegiis ipſis contenta, quàm alia, inviolabiliter obſervabit, ac de præmiſſis omnibus, & ſingulis obſervandis, præſtabit, tactis corporaliter ſacroſanctis Evangeliis, juramentum: & privilegia per omnia, verbis tamen aliquibus competenter mutatis, prout facti qualitas exigit, ſimilia ſuprascriptis continentia; & nihilominus plenè omnia alia, quæ præter privilegiorum præmiſſorum tenores ſuperiùs exprimuntur; ac inſuper ratificationem, confirmationem, innovationem, ac novam conceſſionem, omnium renunciationum, dimiſſionum, promiſſionum, pollicitationum, ſponſionum, conceſſionum, ceſſionum, confirmationum, & confeſſionum, quas tam dictus Fredericus II. quàm alii Reges, & Imp. Romani præcedentes eundem, B. Petro Apoſtolorum Principi, Summis Pontificibus, qui pro tempore fuerunt, vel Eccleſiæ Romanæ, præſtitiſſe noſcuntur, præfato Apoſtolorum Principi, ac vobis Sanctiſſimo Patri ejus ſucceſſori, cæteriſque catholicis veſtris ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ concedet, quandocumque per Sedem Apoſtolicam ſuper hôc literis fuerit, vel Nuntio requiſitus: & juramenta etiam præſtabit, & literas ſuper hujuſmodi præſtatione concedet, prout dicti Reges Romani præſtiterunt, ac conceſſerunt. Poſtquam autem Romam, ad recipiendum unctionem, coronationem, ſeu Imperiale diadema pervenerit, ipſaque perceperit, præmiſſa omnia, & ſingula innovabit, ſeu de novo faciet; ac ſine aliqua difficultate juramenta præſtabit, quæ Imperatores Romani hactenus præſtiterunt. Item quòd dictus Rex Rodulphus bonâ fide, ſine fraude, & malo ingenio, procurabit quòd omnes Principes Alemanniæ laici promittent, & jurabunt, ſe bonâ fide curaturos, & facturos, quòd ipſe Rex Rodulpus præmiſſa omnia, & ſingula inviolabiliter obſervabit; & ſi, quod abſit, ipſe Rex Rodulphus prædicta non ſervaret, iidem Principes in hoc ipſi aliquatenùs non aſſiſtent.

VII. Tenor autem mandati, quod ab eodem Rege RUDOLPHO recepi, per omnia talis eſt.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino ſuo, Domino GREGORIO Sacroſanctæ, ac univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, RUDOLPHUS Romanorum Rex ſemper Auguſtus, pedum oſcula beatorum.

SAnctitati Veſtræ præſentibus innoteſcat, quòd ego devotus veſter, & Eccleſiæ Romanæ filius, honorabilem virum Othonem Præpoſitum Sancti Guidonis Spirenſis, regalis Aulæ meæ Cancellarium, meum Nuncium, & Procuratorem conſtituo, dans ei liberam poteſtatem, & ſpeciale mandatum faciendi nomine meo Beato Petro Apoſtolo cœleſtis Regni clavigero, ac vobis ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris Canonicis ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ confirmationes, conceſſiones, privilegia, juramenta, & cætera omnia, quæ mei prædeceſſores Reges Romanorum feciſſe noſcuntur, ſeu invenientur; nec non & alia promittendi, ſeu faciendi, quæ vos, Sanctiſſime Pater, & Domine, ſine demembratione Imperii, ſecundùm Deum, & honeſtatem videritis expedire; & in animam meam jurandi, quòd ea omnia, & ſingula rata habebo, & inviolabiliter obſervabo, nec contra ea per me, vel per alium publicè, vel occultè venire tentabo. Do etiam ei poteſtatem promittendi nomine meo, quòd ego per me ipſum eadem faciam, & promittam, atque jurabo quandocumque per vos literis, vel Nuntio fuero requiſitus. Et ſuper his omnibus patentes literas meas dabo, aurea bulla, typario Regiæ Majeſtatis impreſſa, bullatas. Do præterea eidem Cancellario poteſtatem, & ſpeciale mandatum dandi ſuper omnibus præmiſſis, & ſingulis patentes literas, ſeu publicum inſtrumentum, & omnia faciendi, quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa fuerint neceſſaria, vel etiam opportuna, etiamſi mandatum exigerent ſpeciale. In cujus rei teſtimonium, præſentem procurationem fieri feci, & mei Sigilli munimine roboravi. Dat. Rotemburch anno Domini MCCLXXIV. in craſtinum Dominicæ, qua cantatur: Quaſi modò geniti; regni noſtri anno primo.

Acta ſunt hæc Lugduni in prædicto Conſiſtorio, Anno Domini MCCLXXIV. menſe Junii die martis VI. ejuſdem menſis, Pontificatus veſtri anno III. Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum de præmiſſis omnibus præſentes literas fieri feci, & mei ſigilli munimine roboravi.

RODUL-

VIII.

RODULPHI REGIS ROMANORUM Acta Lauſannæ coram GREGORIO X. pro confirmandis privilegiis ab Anteceſſoribus ſuis Eccleſiæ Romanæ conceſſis.

ANNO 1275. Menſe Octobri.

I. In Nomine Domini, Amen. Nos RUDOLPHUS Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus.

Ex Cod. Vat. n.3980 & Regeſto Authentico Nicol. III. in Arch ſecr.

COnſtituti in præſentia veſtra, Beatiſſime Pater Domine GREGORI Divina providentia PP. X. in Conſiſtorio veſtro apud Lauſannam, aſſiſtentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus Dominis Petro Oſtienſi Epiſcopo, Anchero tituli Sanctæ Praxedis, Guillelmo titulo Sancti Marci Presbyteris, Ottobono Sancti Adriani, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgij ad Velum aureum, Uberto Sancti Euſtachii, & Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu, Diaconis Cardinalibus, recognoſcimus, & fatemur quondam Ottonem Præpoſitum Sancti Guidonis Spirenſis, Regiæ Aulę Cancellarium habuiſſe à nobis mandatum, ſigilli noſtri munimine communitum, infraſcripti tenoris, cujus auctoritate noſtro nomine proceſſit ad omnia infraſcripta, quę in literis inde cõfectis, & ejuſdem Cancellarii ſigillo ſignatis, quarum tenor de verbo ad verbum infrà ſubjicitur, ſerioſiùs continetur. Quæ quidem omnia, & ſingula dicta, ſive promiſſa, acta, ſeu geſta, per eundem Cancellarium, prout in eiſdem literis, & tenore pleniùs exprimitur, recognoſcimus, & fatemur, nomine noſtro, & de voluntate noſtrâ, dicta, promiſſa, acta, & geſta, eaque nihilominus acceptamus, ratificamus, rata, & firma volumus, & decernimus perpetuò permanere; ac inſuper, prout idem Cancellarius promiſit, ea omnia, & ſingula confirmamus, innovamus, & de novo concedimus. Et vobis, Sanctiſſime Pater Summe Pontifex, pro Romana Eccleſia vobis, veſtriſque Succeſſoribus recipientibus, ea omnia, & ſingula promittimus ſtipulatione ſolemni, bonâ fide nos in perpetuum, & inviolabiliter ſervaturos, & contra ea, vel eorum aliquod per nos, vel per alium nullo unquam tempore, vel modo venturos, ipſa nihilominus, proprio pręſtito corporali juramento, firmantes. Statuimus prętereа Regali auctoritate, atque decernimus, ut idem tenor inſertus pręſentibus, eaſdem per om-

nia vires habeat, & obtineat, quas habent, & obtinent ipſę literę principales; ita quòd ſi forſan ipſas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim, & robur obtineat, & in omnibus, & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ principales literę facerent in ſua prima figura, & integritate manentes, lege, ſeu conſtitutione aliqua non obſtante. Tenor autem prędictus de verbo ad verbum per omnia talis eſt. In Nomine Domini, Amen. Ego OTHO Sancti Guidonis Spirenſis &c. *Inſeritur totum inſtrumentum, ut ſupra pag.24. & ſequenti, quo abſoluto ſequitur.*

Ut autem hæc omnia vobis memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Gregorio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus per nos, & noſtros ſucceſſores Romanos Reges,& Imperatores obſerventur,firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant, pręſens ſcriptum noſtro juſſimus ſigillo cereo communiri. Promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum,& per omnia ſimile,aureâ bulla,typario noſtrę Majeſtatis impreſſa,munitum infra tempus coronationis noſtrę vobis,& Sedi Apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere. Teſtes ii ſunt. Ademarus Lugdunenſis, Bonifatius Ravennas, Odo Biſuntinus, & Jacobus Ebredunenſis Archiepiſcopi, Stephanus Pariſienſis, Henricus Baſilienſis, Joannes Leodienſis, Amedeus Valentinenſis Epiſcopi, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Dux Bowariæ, Philippus Dominus Karinthię, Conradus Dominus de Tekke, Henricus Marchio de Batslerch, Fridericus Burgravius de Herembercb, Henico, & Fridericus Comites de Liningen, Albertus, & Burchardus Comites de Hohenberch, Theobaldus Comes de Pherreto, Ebhardus Comes de Karnellenbogen, Gibertus Langravius Alſatiæ inferioris, Henricus Comes de Uriburch, Mangoldus Comes de Nellemburch, Eberhardus Comes de Habesburch, Hermannus Comes de Sulz, Ludovicus Comes de Honberch, Gottifredus Comes de Leuſten, Cunradus nobilis de Warcemberch, Ebrhardus nobilis de Ruphe,Renhardus nobilis de Anawe Comes de Rukekelle. Acta ſunt hæc anno Domini MCCLXXV. Indictione III. Regni noſtri anno III.

II. In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Ego RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. ANNO 1275. die 20. Octobri.

VObis Domino meo Sanctiſſimo, & Patri chariſſimo GREGORIO Divina Providentia Papæ X. veſtriſque ſucceſſoribus; præſentibus ſubſcriptis Prælatis, Principibus, & Nobilibus Imperii, ſpondeo, polliceor, & promitto, & juro, quòd omnes poſſeſſiones, honores, & jura Romanæ Eccleſiæ pro poſſe meo bonâ fide protegam, & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas Eccleſia Romana recuperavit, liberas, & quietas ſibi dimittam, & ipſam ad eas retinendas bona fide juvabo. Quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum ſecundùm poſſe meum ero ſine fraude defenſor: & quæcumque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicophano uſque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii cum adjacentibus terris expreſſis in multis privilegiis Imperatorum à tempore Ludovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam, & quietè dimittam cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede vocatus acceſſero, de mandato Summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ, Regnum Siciliæ. Vobis etiam Domino meo Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus veſtris omnem obedientiam, & honorificentiam exhibebo, quam devoti, & catholici Imperatores conſueverunt Sedi Apoſtolicæ exhibere. Et ſi propter negotium meum Romanam Eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit in expenſis. Omnia verò prædicta tam juramento, quàm ſcripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Præter Reverendum autem cœtum Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabiles Patres, Petrum Oſtienſem Epiſcopum, Ancherum tit. S. Praxedis, Guillelmum tit. Sancti Marci Presbyteros, Ottobonum Sancti Adriani, Jacobum Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Gottifredum Sancti Georgii ad Velum aureum, & Matthæum S. Mariæ in Porticu Diaconos Cardinales, qui vobis tunc temporis aſſiſtebant. Prælati, Principes, & Nobiles Imperii, coram quibus juravi, hi ſunt. Ademarus Lugdunen-

nenſis, Odo Mediolanenſis, Bonifatius Ravennas, Jacobus Ebredunenſis, Odo Biſuntinus Archiepiſcopi: Joannes Leodienſis, Stephanus Pariſienſis, Rodulphus Conſtantienſis, Henricus Baſilienſis, Guillelmus Lauſanenſis, Henricus Tridentinus, Amedeus Valentinenſis, Raymundus Maſſilienſis, Aymo Gebennenſis, Alanus Siſtaricenſis Epiſcopi, Gerardus electus Virdunenſis, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Dux Bawariæ, Fridericus Dux Lotharingiæ, Cõradus Dominus de Tekke, Fridericus Burgravius de Nurembergh, Albertus, & Burchardus Comites de Hohenberch, Enico, & Fridericus Comites de Liningen, Eberhardus Comes de Karrenellenbogen, Sigebertus Comes de Werde, Tibaldus Comes de Phirreto, Henricus Comes de Uriburch, Ludovicus Comes de Honberch, Hermannus Comes de Sulz, Mangoldus Comes de Nellemburch, & Eberhardus Comes de Habesburch. Ut autem hęc omnia vobis memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Gregorio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus per nos, & noſtros ſucceſſores Romanorum Reges, & Imperatores obſerventur, firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant, præſens ſcriptum noſtro juſſimus ſigillo cereo communiri: pro mittentes nihilominùs aliud de verbo ad verbum, & per omnia ſimile aurea bulla, typario noſtræ majeſtatis impreſſa, munitum, infrà tempus coronationis noſtræ vobis, & Sedi Apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere. Actum in Eccleſia Lauſanenſi anno Domini MCCLXXV. Indictione III. XIII. Kal. Novembris Regni mei anno III.

ANNO 1275. die 21. Octobris.

III. In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. RUDOLPHUS Divinâ favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

AB eo ſolo, per quem Reges regnant, & potentes ſcribunt juſtitiam, recognoſcentes inæſtimabilem noſtræ promotionis gratiam, qui regali jam in nobis culmine conſummato, nos ad obtinendum Imperialis gloriæ Solium ſua ſola pietate diſponens, ut non ſolùm cum Principibus ſedeamus, ſed ut illis præſideamus, erexit; Sanctæque matris Eccleſiæ, ac veſtra, Pater Reverendiſſime Domine Gregori Divina Providentia Pape X. univerſa beneficia, quibus nos in benedictione dulcedinis prævenìſtis, felicibus ejuſdem promotionis noſtræ auſpiciis multiplicibus concurrendo favoribus, & ipſam favorabilis proſecutionis auxiliis confovendo, attentâ ſolicitudine recenſentes, reddimur corde ſoli-

ſoliciti, cogimur cogitare profundiùs, qua tantæ dignationis gratiam, dignè ſaltem, prout humana inſufficientia ſufficit, gratitudine proſequamur. Illi ergo, à quo cuncta procedere novimus, & humiliter confitemur, quod ab eo recepimus, offerentes ejus, & Apoſtolicæ Sedis, ac veſtris obſequiis, nos quicquid poſſumus, quicquid ſumus, in perpetuum humili voto, & incommutabili propoſito devovemus: vobiſque, Beatiſſime Pater, & omnibus Succeſſoribus veſtris catholicis, ac eidem Sanctæ Romanę Eccleſiæ ſpeciali matri noſtræ omnem obedientiam, honorificentiam, atque reverentiam ſemper humili corde, ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri Reges, & Imperatores catholici veſtris prędeceſſoribus impendiſſe noſcuntur; nihil exinde volentes minui, ſed magis augeri, ut noſtra magis devotio eniteſcat. Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe noſcuntur, & dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè, & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel major, & ſanior pars ipſius duxerit eligendum: dummodo nihil deſit de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis, & cauſis Eccleſiaſticis ad Sedem Apoſtolicam libere fiant; earum proſecutionem, ſive proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quoque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus libere diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quę ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur. Super eradicando autem hęreticę pravitatis errore auxilium dabimus, & operam efficacem.

Poſſeſſiones etiam, quas Romana Eccleſia recuperavit ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas, & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores; & quęcumque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate, ac mora ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicophano, uſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus

Raven-

Ravennæ, Pentapolis, Maſſa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam Eccleſiam pertinentibus, ut eas habeat Romana Eccleſia in perpetuum cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen cum ad recipiendum coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede vocati venerimus de mandato Summi Pontificis, recipiemus procurationes, ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta, & quæcumque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam, de voluntate, conſcientia, conſilio, & conſenſu Principum Imperii, libere illi dimittimus, renuntiamus, & reſtituimus: necnon ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valet, & efficaciùs intelligi, concedimus, conferimus, & donamus, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materia, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam,& Imperium perſeverent. Adjutores erimus ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tam citra Farum, quàm ultra: nec non Corſicam, & Sardiniam, ac cetera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tamquam devotus filius, & Catholicus Princeps. Promittimus quòque B. Petro cæleſtis Regni clavigero,ac vobis Patri Sanctiſſimo,ipſius B.Petri ceteriſque veſtris Succeſſoribus, & eidem Eccleſiæ Romanæ, quòd per nos, vel per alium, ſeu alios non occupabimus, nec invademus in totum, vel in partem aliquas terras ipſius Eccleſiæ Romanæ, aut Vaſallorum ejus, quas jure feudi, vel ſub cenſus, ſeu alterius præſtationis titulo, ſive alio quocumque modo tenent ab ipſa Eccleſia: nec eas, vel earum aliquam procurabimus occupari per alium, ſeu alios, vel invadi. Quin etiam, nec ipſas, nec tenentes eaſdem; ſe, vel terras ipſas nobis ultro volentes ſubjicere; nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcumque poteſtatem in terris eiſdem, & ſpecialiter in Civitate Romana, recipiemus ſub quocumque colore, ſine veſtra, ſeu Succeſſorum veſtrorum licentia ſpeciali. Et ſi qui eas occupare, vel invadere tentarent, non ſolùm denegabimus illis auxilium, conſilium, & favorem publicum, & occultum, verum etiam ad requiſitionem veſtram, veſtrorumve Succeſſorum, adjutores erimus contra illos in defendendis, & conſervandis eiſdem.

Nec offendemus per nos, vel per alium Vaſſallos Eccleſiæ ipſius, & ſpecialiter Magnificum Principem Dominum Carolum Regem Siciliæ Illuſtrem, ſeu hæredes ipſius, nec volentibus ipſum offen-

offendere præſtabimus auxilium, conſilium, vel favorem publicè, vel occultè. Nec Regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eadem Romana tenet Eccleſia, vel aliquam ejus partem occupabimus, aut invademus per nos, vel per alium, aut occupari, vel invadi procurabimus, nec invadere, aut occupare tentantibus præſtabimus publicum, vel occultum auxilium, conſilium, aut favorem. Alios etiam devotos ipſius Eccleſiæ, qui eidem Eccleſiæ aſtiterunt contra quondam Fredericum olim Romanorum Imperatorem, hæredes, aut ſucceſſores ipſius, propterea non gravabimus, ſed nihilominus favorabiliter proſequemur. Vaſſallos autem noſtros, contra prædictorum aliquod facientes, compeſcemus pro viribus bona fide. Servabimus præterea, & faciemus omnia, & ſingula, quæ in Canonibus poſitis LXIII. diſtinctione, quorum quidem Canonum alter, Ego Lodovicus; alter verò, Tibi Domino Papæ, incipit, continentur. Poſtquam autem Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & imperiale diadema pervenerimus, ipſaque perceperimus, præmiſſa omnia, & ſingula innovabimus, ſeu de novo faciemus, & ſine aliqua difficultate juramenta præſtabimus, quæ Imperatores Romanorum hactenus præſtiterunt.

Promittimus inſuper, quòd bona fide ſine fraude, ac malo ingenio procurabimus, quòd omnes Principes Alemanniæ Laici promittent, & jurabunt, ſe bona fide curaturos, & facturos, quòd nos præmiſſa omnia, & ſingula inviolabiliter obſervemus; & ſi, quod abſit, eadem non ſervaremus, ipſi Principes nobis in hôc aliquatenus non aſſiſtent. Ut autem hæc omnia vobis memorato Sanctiſſimo Patri noſtro, Domino Gregorio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſque Succeſſoribus per nos, & noſtros Succeſſores Romanorum Reges, & Imperatores obſerventur, firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant, præſens privilegium conſcriptum noſtro juſſimus ſigillo cereo communiri: promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia ſimile, aurea bulla, typario noſtræ majeſtatis impreſſa, munitum, infra tempus coronationis noſtræ, vobis, & Sedi Apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere.

Teſtes hi ſunt Ademarus Lugdunenſis, Bonifacius Ravennas, Odo Biſuntinus, & Jacobus Ebredunenſis Archiepiſcopi, Stephanus Pariſienſis, Henricus Baſilienſis, Joannes Leodienſis, & Amedeus Valentinenſis Epiſcopi, Ludowicus Comes Palatinus Reni,

Reni, Dux Bowariæ, Philippus Dominus Karinthiæ, Cunradus Dominus de Tekke, Henricus Marchio de Batslerch, Fredericus Burgravius de Nurembereh, Henicho, & Fredericus Comites de Livingen, Albertus, & Burchardus Comites de Hohenberch, Theobaldus Comes de Pherreto, Ebhardus Comes de Karrenellenbogen, Gibertus Langravius Alſatiæ inferioris, Henricus Comes de Uriburch, Mangoldus Comes de Nellemburch, Eberardus Comes de Habesburch, Hermannus Comes de Sulz, Lodowicus Comes de Honberch, Gottifredus Comes de Leuſtein, Conradus Nobilis de Wartemberch, Ebhardus Nobilis de * Luphe, & Reinhardus Nobilis de Hanawe Comes de Buchekke. Acta ſunt hæc anno Domini MCCLXXV. Indictione IV. Regnante Domino Rudolpho Romanorum Rege glorioſo Regni ejus anno III. Signum Domini Rudolphi Romanorum Regis invictiſſimi. Datum Lauſannæ per manum Henrici Epiſcopi Tridentini Regalis Aulę Protonotarii XII. Kal. Novembris.

* *In aliis inſtrumentis ſcribitur* Ruphe.

IV. In Nomine Domini. Amen. Nos RUDOLPHUS, Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

PAtentes literas Principum Imperii ſubſcripti tenoris, non abolitas, non cancellatas, nec vitiatas in aliqua ſui parte, ſed in primâ ſui figura, ſigillis eorundem Principum pendentibus conſignatas, inſpici fecimus diligenter, & de verbo ad verbum ad perpetuam rei memoriam præſentibus annotari; auctoritate Regia decernentes, ut idem tenor ipſarum, inſertus præſentibus, eaſdem per omnia vires habeat, & obtineat, quas habent, & obtinent ipſæ literæ principales, ita quòd ſi forſan ipſas principales literas quomodolibet contingeret deperire, dictus tenor perindè vim, & robur obtineat, in omnibus, & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ principales literæ facerent, in ſua prima figura, & integritate manentes, lege, ſeu conſtitutione aliquâ non obſtante. Tenor autem prædictus per omnia talis eſt.

Nos Principes Imperii &c. *ut ſupra pag.23. uſque ad lineam quartam à fine paginæ.*

In cujus rei teſtimonium præſentes literas fieri fecimus, & ſigillo, typario Regiæ poteſtatis impreſſo, muniri. Datum Lauſannę XII. Kal. Novembris anno Domini MCCLXXV. Indictione III. Regni noſtri anno III.

GRE-

IX.

GREGORII X. Epiſtola ad Nuncios RODULPHI Romanorum Regis.

Reprehenduntur Nuntii Regis Romanorum, petentes ſubitò, quæ deliberata fuerant, immutari, & mandatur, ut juxta eandem deliberationem procedant. ANNO 1275.

GREGORIUS &c. dilecto filio Magiſtro Rodulpho Cancellario, & Fratri Berengario de ordine hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani familiaribus, & Nuntiis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Rodulphi Regis Romanorum illuſtris &c. *Ex Cod. m. s. Vat. n. 6735. fol. 148.*

CEdulam quandam petitiones aliquas continentem, præſentatam nobis ex parte veſtrâ, recepimus admirantes; ſicut enim vos ipſi noviſtis, ſuper ſtatu partium Romaniolæ, ac in iis, quæ per nos nuper acta fuerant in eiſdem, cum Fratribus noſtris, qui tunc erant præſentes Bononiæ, nec non & nobiſcum collocutione habitâ, licet pateret illa, quatenus de facto proceſſerant, revocanda, nos tamen ex benignitate ſolitâ, ea ſub diſſimulatione tranſeuntes ad tempus, donec nobis aliud videretur, voluimus, ut interim proſequeremini, quæ in Lombardia, & aliis convicinis imminebant. Nonne itaque mirandum, quòd cum poſtmodum nihil novitatis emerſerit, vos tamen tam repentè, tam ſubitò contra ea per ejuſdem cedulæ ſeriem inſtitiſtis, quæ ſic è vicino fuerant cum deliberatione proviſa; ideoque cum expediat conſultè agere volentibus, ab hujuſmodi repentinis immutationibus, quas non inducit proſequentium qualitas, abſtinere; volumus, ut iter proſequamini deliberatè ſuſceptum. Cęterum ad auctoritatem dilecti filii Magiſtri Ardiconis Cappellani noſtri, & cauſarum Palatii noſtri generalis Auditoris, poſt deliberationem cum dictis fratribus habitam, in contrarium ampliandam, ipſorum, & aliorum fratrum noſtrorum præſentiam credimus opportunam, quâ conceſſa, in proximo, ut ſperamus, circa id, prout utile videbitur, curabimus providere.

X.

ANNO eodem.

Ejuſdem Epiſtola ad Longobardiæ Principes, & Civitates. Ut Nuntio Sedis Apoſtolicæ pro negotio Regis Romanorum tranſmiſſo pareant, & intendant.

Ex eodem Cod. Vat.

GREGORIUS &c. Marchionibus, & Comitibus, ac aliis Nobilibus, & Univerſitatibus Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum per Lombardiam, & Januenſem provincias conſtitutis &c.

DEſiderantes negotia Chariſſimi in Chriſto filii noſtri RODULPHI Regis Romanorum Illuſtris feliciter proſperari, dilectum filium magiſtrum Ardiconem Cappellanum noſtrum, & cauſarum Palatii noſtri Auditorem generalem, Primicerium Mediolanenſem, de cujus experta fidelitate, ac diſcretione confidimus; ad ea ſollicitè promovenda ſpecialiter deſtinamus, Univerſitatem veſtram monentes attentiùs, & hortantes, ac nihilominus dantes vobis tenore præſentium in mandatis, quatenus Cappellanum eundem recipientes decenter, ac benignè tractantes, ejus circa præmiſſa monitis, & exhortationibus intendatis humiliter, & in omni promptitudine pareatis.

XI.

INNOCENTII V.

ANNO 1276.

Epiſtola ad RODULPHUM Romanorum Regem, ut Nuntios pro pace in Italia firmanda traſmittat, nec in Italiam veniat quouſque pax fuerit ſolidata.

INNOCENTIUS &c. Rodulpho Regi Romanorum illuſtri &c.

Ex eodem Cod. Vat.

NOvit excellentia Regia quantâ felicis recordationis GREGORII PP. prædeceſſoris noſtri tẽpore fuerit ſolicitudine ac inſtantia laboratum, ut tuis greſſibus in via pacifica poſitis, tuæ promotionis negotium quietiùs procederet, & ſecuriùs duceretur; ad quod, ſicut noſti, varios idem prædeceſſor perutiles tra-

ctatus

ctatus aſſumpſit, quos finaliter conſummari, eius, prout Domino placuit, de hoc mundo vocatio non permiſit. Nos itaque conſultiùs attendentes, quòd tranquillitati ſtatus publici, & tuis precipuè utilitatibus, quibus in hoc paternè providere intendimus, expedit tractatus eoſdem ante tuum adventum in Italiam debita firmitate vallari, Serenitatem Regiam rogamus, & hortamur in Domino, ſano tibi conſilio nihilominus ſuadentes, quatenus cum omni celeritate, qua poteris, aliquos viros idoneos pacem, & concordiam in votis, & plenum à tua Celſitudine ad præmiſſa mandatum habentes, ad eadem nomine tuo firmanda, ſtudeas ad noſtram præſentiam deſtinare; cum omnino expediat, & noſtræ propterea voluntatis exiſtat, quòd iter ad veniendum in Italiam non aſſumas, & ſi forſan aſſumpſiſti, nequaquam ulteriùs proſequaris aſſumptum, antequam præmiſſa fuerint ſoliditate congruâ roborata: & ecce dilectum filium Magiſtrum Bernardum de Caſteneto Albienſem electum, de cujus induſtria, & probata fidelitate confidimus, ad Regalem magnificentiam deſtinamus, cauſas utiles, & neceſſarias, quæ non immeritò ad iſta nos movent, & voluntatem noſtram ſuper illis, quamquam ſuperiùs patenter expreſſam, manifeſtiùs expreſſurum, quàm ex affectu ſincero conſulimus,* cum fratribus noſtris conſulta deliberatione præhabita, volumus adimpleri.

*Forte & cum

XII.

JOANNIS XXI.

ANNO 1276.

Epiſtola ad RODULPHUM Romanorum Regem, ut ſuis Nuntiis inhibeat, ne ſe de terris Eccleſiæ intromittant, nec ratum habeat, quod per eos in ipſius Eccleſiæ præjudicium factum fuerit.

JOANNES &c. RODULPHO Regi Romanorum Illuſtri &c.

SI attentione ſolitâ Romanorum Principum prædeceſſorum tuorum, & tua geſta recenſeas, ſi veritatis ſolers ſcrutator exiſtas, quæ ſcribimus cum filiali devotione recipies, & in omni promptitudine, devotâ ſolicitudine proſequeris. Et quidem habet notoria veritas, & tam ipſorum Principum, ac ſpecialiter

Ex eodem Codice Vat.

d 2 quon-

quondam Ottonis IV. & Frederici II. quàm tua etiam monumenta teſtantur, Exarchatum Ravennæ, ac Pentapolim ad jus, & proprietatem Eccleſiæ Romanæ ſpectare, quòdque dicti Principes, & tu ipſe primò per quondam Ottonem Spirenſem Præpoſitum Aulæ Regiæ Cancellarium Procuratorem tuum, & poſtea per te ipſum omnes poſſeſſiones ejuſdem Eccleſiæ, quarum quamplures, & præcipuè prędictos Exarchatum, & Pentapolim eadem monumenta ſingulariter exprimunt, reliquas verò generaliter comprehendunt, eidem Eccleſiæ quietas, & liberas dimiſiſtis, promittentes ad obtinendum ipſas eamdem Eccleſiam bona fide, tanquam Principes Catholici, adjuvare, illaſque ipſi Eccleſiæ ſine mora, & difficultate reſtituere, ſi ad manus veſtras aliquando devenirent: ſpecialiter autem tu, & dictus Fredericus prædicta eidem Eccleſiæ liberè dimittentes, ipſa ſibi renunciaſtis, & reſtituiſtis, nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout meliùs, & efficaciùs valet intelligi, conceſſiſtis, contuliſtis, & etiam donaviſtis, ut ſublatâ omnis contentionis, & diſſenſionis materiâ, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent; & hæc omnia, prout ſuperiùs, & in eiſdem monumentis pleniùs continetur, tu, ac memorati Otto, & Fredericus, juramentis corporaliter præſtitis, firmaviſtis, conceſſis ſuper hoc monumentis, ſeu privilegiis ab ipſis Ottone, & Frederico aureis bullis ipſorum, ac à te ſigilli tui munimine roboratis, quæ ad futuram rei memoriam in Archiviis Eccleſiæ conſervantur. Cumque poſtmodum dilectus filius Rodulphus Cancellarius tuus, & Frater Berengarius Magiſter domorum hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani per Alamanniam, magnificentiæ tuæ Nuntii, de permiſſione, ſeu voluntate Venerabilis Fratris noſtri Ferrarienſis Epiſcopi, tunc in Lombardiæ partibus Sedis Apoſtolicæ Legati, aliqua, quæ dictis quietationibus, renuntiationibus, conceſſionibus, collationibus, donationibus, & juramentis non eſt dubium obviare, circa prędictos Exarchatum, & Pentapolim præſumpſiſſent, à Communitatibus Civitatum, & Locorum Romaniolæ, ac vicinarum partium, quæ fore de ipſis Exarchatu, & Pentapoli dignoſcuntur, fidelitatis juramenta recipientes tuo nomine, licèt ſicut veriſimiliter credimus, non de tua conſcientia, vel mandato; fel. rec. Gregorius Papa prædeceſſor noſter ipſos Epiſcopum, & Nuntios Bononiam ad ſuam præſentiam evocans, factum redarguit, & facientes multipliciter increpavit, oſtendens eiſdem,

quod

quòd id contra tuum juramentum, ſic è vicino præſtitum, temerariè attentaverant; ac Nuntiis ipſis injungens, quòd in Romaniolam non redirent, ſed in aliis partibus Lombardiæ imminentia tua negotia cum diligentia procurarent. Qui mandatis ipſius obtemperantes humiliter, præmiſſa, quæ ſe non malitioſè feciſſe dicebant, in ejus arbitrio reliquerunt, procedentes juxta mandatum ipſius ad alia tua negotia proſequenda. Ideoque Serenitatem Regiam exhortantes, quatenus conſultè conſiderans, quòd iidem Nuntii nimis inconſultè præſertim contra tuum juramentum talia præſumpſerunt, eis, & aliis quandocunque mittendis, diſtrictè præcipias, ut agentes cautiùs, & à ſimilibus ſtudioſiùs abſtinentes, de terris Eccleſiæ, & ſpecialiter de dictis Exarchatu, & Pentapoli, abſque noſtro ſpeciali mandato, ſe de cętero nullatenus intromittant; immò Comunitatibus memoratis per tuas patentes literas dilecto filio Magiſtro Bernardo de Caſtaneto Albienſi Electo, noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuntio, tuo nomine aſſignandas, denuncians, juramenta prædicta recepta fuiſſe ab ipſis Comunitatibus per errorem, nec te ratam habuiſſe receptionem hujuſmodi, vel habere; diligenter exhorteris eaſdem, ut hôc non obſtante nobis, & noſtris Nuntiis plenariè obediant, & intendant, nec impedimentum aliquod præſtare præſumant, quominus de ipſis, prout ad nos pertinet, & de conſilio Fratrum noſtrorum diſponere intendimus, liberè diſponamus.

XIII.

Ejuſdem JOANNIS XXI. alia exhortatio facta eidem Regi ſuper eodem. ANNO 1276.

JOANNES &c. RODULPHO Regi Romanorum illuſtri &c.

HAbet, Fili Chariſſime, veritatis notoriæ certitudo, & tam Romanorum Principum prædeceſſorum tuorum, ac ſpecialiter quondam Ottonis IV. & Frederici II., quàm tua etiam authentica monumenta teſtantur, Exarchatum Ravennæ, & Pentapolim ad jus, & proprietatem Eccleſiæ Romanæ ſpectare, quòdque dicti Principes, & tu ipſe primò per quondam Ottonem Spirenſem Præpoſitum, Aulæ Regiæ Cancellarium Procuratorem tuum, & poſtea per te ipſum omnes poſſeſſiones ejuſdem Eccleſiæ. *Ex eodem Cod. Vat.*

ſiæ, quarum quàm plures, & præcipuè prædictos Exarchatum, & Pentapolim eadem monumenta ſingulariter exprimunt, reliquas verò generaliter comprehendunt, eidem Eccleſiæ quietas, & liberas dimiſiſtis; promittentes, ad obtinendum ipſos, eamdem Eccleſiam bonâ fide, tanquam Principes Catholici adjuvare, illaſque ipſi Eccleſiæ ſine mora, & difficultate reſtituere, ſi ad manus veſtras aliquando devenirent: ſpecialiter autem tu, & dictus Fredericus prædicta eidem Eccleſiæ liberè dimittentes, ipſa ſibi renunciaſtis, & reſtituiſtis, necnon ad omnem ſcrupulum removendum, prout meliùs, & efficaciùs valet intelligi, conceſſiſtis, contuliſtis, & etiam donaſtis, ut ſublatâ omnis contentionis, & diſſenſionis materiâ, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent; & hæc omnia, prout ſuperiùs tangitur, & in eiſdem monumentis pleniùs continetur, tu, ac memorati Otto, & Fredericus, juramentis corporaliter præſtitis, firmaviſtis, ſuper hoc monumentis, ſeu privilegiis ab ipſis Ottone, & Frederico, aureis bullis ipſorum, ac à te ſigilli tui munimine roboratis, quæ ad futuram rei memoriam in Archiviis Eccleſiæ conſervantur. Cumque poſtmodum dilectus filius Rodulphus Cancellarius tuus, & Frater Berengarius Magiſter domus hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani per Alamanniam magnificentiæ tuæ Nuntii, de permiſſione, ſeu voluntate Venerabilis Fratris noſtri Ferrarien. Epiſcopi in Lombardiæ partibus Apoſtolicæ Sedis Legati, aliqua, quæ dictis quietationibus, renunciationibus, conceſſionibus, collationibus, donationibus, & juramentis non eſt dubium obviare, circa prædictos Exarchatum, & Pentapolim præſumpſiſſent à Comunitatibus Civitatum, & locorum Romaniolæ, & vicinarum partium, quæ fore de ipſis Exarchatu, & Pentapoli dignoſcuntur, fidelitatis juramenta recipientes tuo nomine, licet, ſicut veriſimiliter credimus, non de tua conſcientia, vel mandato fel. rec. Gregorius Papa prædeceſſor noſter ipſos Epiſcopum, & Nuntios Bononiam ad ſuam præſentiam evocans, factum redarguit, & facientes multipliciter increpavit, oſtendens eiſdem, quòd id contra tuum juramentum, ſic è vicino præſtitum, temerariè attentaverant; ac Nuntiis ipſis injungens, quòd in Romaniolam non redirent, ſed in aliis partibus Lombardiæ, imminentia tua negotia cum diligentia procurarent, qui mandatis ipſius obtemperantes, humiliter promiſſa, quæ ſe non malitiosè feciſſe dicebant, in ejus arbitrio reliquerunt, procedentes juxtà mandatum

ipſius

ipſius ad alia tua negotia proſequenda.. Unde piæ mem. Innocentius Papa prædeceſſor noſter per Apoſtolicas literas, præmiſſa explicatè continentes, Serenitatem tuam monendam, & rogandam duxit in Domino, ac attentiùs exhortandam, ut conſultè conſiderans, quòd iidem Nuntii nimis inconſultè, præſertim contra tuum juramentum, talia præſumpſerunt, eis, & aliis quandocumque mittendis diſtrictè præciperes, ut agentes cautiùs, & à ſimilibus ſtudioſiùs abſtinentes, de terris Eccleſiæ, ac ſpecialiter de dictis Exarchatu, & Pentapoli, abſque ipſius prædeceſſoris Innocentii ſpeciali mandato ſe ulteriùs nullatenus intromitterent, immo Comunitatibus memoratis per tuas patentes literas Venerabili Fratri noſtro Bernardo Epiſcopo, tunc electo Albien, ad tuam magnificentiam propter hoc ſpecialiter deſtinato, ipſius prędeceſſoris Innocentii nomine aſſignandas, denuncians mandata prędicta recepta fuiſſe ab eiſdem Comunitatibus per errorem, nec te ratam habuiſſe receptionem hujuſmodi, vel habere; diligenter exhortareris eaſdem, ut hoc non obſtante, prædicto prædeceſſori Innocentio, & ejus Nuntiis plenariè obedire, ac intendere procurarent, nec impedimentum aliquod præſtare prçſumerent, quominus poſſet de ipſis, prout ad eumdem prædeceſſorem Innocentium pertinebat, & de Fratrum ſuorũ conſilio intenderet, liberè diſponere, ac etiam ordinare. Sed licèt eidem reſpondiſſes Epiſcopo, te ſuper iis velle præfato prædeceſſori Innocentio per ſpecialem Nuntium reſpondere, ad nos tamen præmiſſa hujuſmodi per Nuntium facienda reſponſio non pervenit, nec præmiſſi ejuſdem prędeceſſoris Innocentii monitionibus, precibus, & exhortationibus eſt paritum in hac parte; de quo non indignè admirationis cauſa ſuboritur, præſertim cum eas pro tui etiam honoris, & famę, tuæque ſalutis augumento duxerit porrigendas. Nos itaque perſonam regiam inter cæteros Catholicos Reges, & Principes orbis terræ ſpeciali proſequentes affectu, magnoque deſiderio cupientes, ut in tuis operibus nihil reprehenſibile valeat quovis modo notari, ſed ut potiùs ad laudem Dei tuum ſemper honorem adaugeant, & ſalutem, Celſitudinem regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus diligenter attendens, quòd præmiſſa, contra juramentum à te præſtitum, præfati Nuntii tui nimis improvidè attentarunt, ipſis, & quibuslibet aliis miſſis forſitan, & in poſterum deſtinandis, diſtrictè injungas, ut cautiùs ſe gerentes, agenteſque prudentiùs, ſimilia non præſu-

mant,

mant, & de terris Eccleſiæ, ac ſpecialiter de præfatis Exarchatu, & Pentapoli ſe ulteriùs nullatenus intromittant; immo potiùs Comunitatibus ſupradictis per patentes literas Regias dilecto filio Fratri Bartholomæo de Amelia Ordinis Minorum latori præſentium, noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuntio, noſtro nomine aſſignandas, denuncians prædicta juramenta recepta fuiſſe ab ipſis Communitatibus per errorem, nec te ratam habuiſſe receptionem hujuſmodi, vel habere, diligenter exhorteris eaſdem, ut hoc nequaquam obſtante, nobis, & Nuntiis noſtris plenariè obediant, & intendant, nec aliquod impedimentum præſtare præſumant; quominus de ipſis, prout ad nos pertinet, & de conſilio fratrum noſtrorum intendimus, liberè diſponamus. Volumus quòque, & inſtanter petimus, ut non ingeratur in hac parte dilatio, ut ſaltem hac vice Apoſtolicis beneplacitis ſatisfiat.

XIV.

ANNO eodem.

JOANNIS XXI. Epiſtola ad Archiepiſcopum Maguntinum.

Ut Archiepiſcopus Nuntio Papæ aſſiſtat, & Regem ad facienda, quæ mandaverit diligenter inducat.

JOANNES &c. Archiepiſcopo Maguntino &c.

Ex eodem Cod. Vat.

FEl. rec. Innocentius Papa per noſtrum Venerabilem Fratrem Magiſtrum Bernardum Epiſcopum, tunc electum Albienſem, ad chariſſimi in Chriſto filii noſtri Rodulphi Romanorum Regis Illuſtris provinciam deſtinavit, per eumdem Epiſcopum prædicto Regi aliqua perſuadens, quæ ad utilitatem communem, tranquillitatem ſtatus publici, & faciliorem, ac tranquilliorem expeditionem negotii dicti Regis noſcebantur multipliciter expedire; ſed licet Rex ipſe præfato reſpondiſſet Epiſcopo, ſe velle ſuper iis memorato Prædeceſſori per ſpecialem Nuntium reſpondere, ad nos tamen promiſſa hujuſmodi per Nuntium facienda reſponſio non pervenit, nec monitionibus, precibus, & exhortationibus prædictis ejuſdem, quas ſub certis articulis per Apoſtolicas literas Regi ſæpefato direxerat, in totum eſt paritum ab eodem; de quo non indignè admirationis cauſa ſuboritur, præſertim cum illas etiam pro honoris ipſius Regis, & famæ, ſuæque ſalutis augumen-

gumento dictus Prædeceſſor duxerit porrigendas. Cum itaque communiter interſit, & nos cum Fratribus noſtris deliberatione præhabitâ, de ipſorum conſilio ea velimus efficaciter obſervari, & propter hoc dilectum filium Fr. Bartholomeum de Amelia Ordinis Minòrum latorem præſentium, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Nuntium, de cujus induſtria, & experta fidelitate confidimus, deſtinemus; Fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentè, mandantes quatenus ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram ab eodem Fratre, prædictis diligenter auditis, eidem in illorum proſecutione ſolerter aſſiſtas, præfatum Regem ad obſervationem eorum cum omni ſollicitudine, & diligentia inducendo; ita quòd generoſitatis tuæ in hoc cooperationis miniſterium, laudis exindè titulum, & apud nos favoris augumentum non immeritò mereatur.

XV.

NICOLAI III. Epiſtola ad RODULPHUM Regem Romanorum. ANNO 1278. die 5. Junii.

De recognitione facta per Nuntium Domini Rodulfi Regis Romanorum ſuper omnibus, quæ tam per ipſum Regem, quàm etiam per ſuos Officiales in præſentiâ quondam Domini Gregorii Papæ X. recognita, & approbata fuerunt. Deinde Rex ipſe inducitur, ut per ſe ipſum ea, quæ coram ipſo Domino Gregorio acta fuerunt, recognoſcat, ratificet, donet, & de novo confirmet per ſuas literas aureâ bulla munitas.

NICOLAUS Epiſcopus Servus Servorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio Rodulpho Regi Romanorum Illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INtima mentis noſtræ, Fili chariſſime, clarè circumſpicit præparatio Sedis tuæ, in gremio Sedis Apoſtolicæ conſtituta, ſicut nuper ex iis, quæ dilectus filius Frater Conradus Miniſter Ordinis Fratrum Minorum Superioris Alamanniæ Nuntius tuus ex parte tuâ Nobis aſſeruit, & fecit, collegimus inclyta tuæ Celſitudinis merita, quibus Deum, & Romanam Matrem Eccleſiam, tanquam Princeps Catholicus, revereris. Nec diſſimulare volumus,

Ex coævo Cod. Vat ſign. num. 3980. & ex Regeſto authentico Nicol. III. in Archivio ſecreto.

ſed

ſed advertere potiùs, quòd ſicut ſperatur, & creditur, Pater Æternus tibi ſemitam ſuorum mandatorum aperiens, ſolium tuum, prout claris auſpiciis indicas, augebit, & diriget, magnificabit amplis honoribus, & erga eandem Eccleſiam tuâ devotione ſucceſſivè vigente, roborabit tuæ Celſitudinis incrementa, ſicque promereri dignoſceris, intra Sedis ejuſdem clauſtra recumbere, ac habere in nobis, quod in patre devotus filius promeretur. Nuper quidem eundem Nuntium quë ad dictam Sedem ſpecialiter deſtinaſti, affectione paternâ recepimus, & ipſe in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia conſtitutus, tanquam vir induſtrius, multâ ſollicitudine circumſpectus, & fidelis commiſſi ſibi negotii proſecutor, ſinceram devotionem, & intentionem puram, quam ad eandem Eccleſiam habuiſti, & habere dignoſceris, prudenter expoſuit, & omnia, & ſingula per quondam Ottonem Præpoſitum Sancti Guidonis Spiren. Regiæ Aulæ Cancellarium dicta, ſive promiſſa, acta, ſeu geſta, ac demum per te ipſum in præſentia bonę mem: Gregorii PP. X. Prædeceſſoris noſtri, recognita, confirmata, innovata, de novo conceſſa, promiſſà, dictà, actà, ſeu geſtą, ſtatuta, ſive jurata, prædictus Frater Conradus in noſtra, & eorundem Fratrum præſentia, tuo nomine, & per te, tuum ſuper iis exhibendo mandatum, diſtinctè, liberè, & expreſsè recognovit, ratificavit, approbavit, innovavit, & nihilominùs ea omnia, & ſingula Beato Petro cęleſtis Regni clavigero, ac nobis ejus, licet immeritis ſucceſſori, cęteriſque noſtris Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, de novo donavit, atque conceſſit; & ad tuam conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenariè ſolidarentur, ſtabilirentur, firmarentur, complerentur, & perficerentur, revocavit, caſſavit, annullavit, irritavit, & omnibus viribus vacavit, quicquid contra prædicta, vel aliquod prædictorum per te, ſeu per alios tuos Nuncios ſpeciales, vel Officiales tuo mandato, vel nomine, ſeu quemcumque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; volens, & tuo nomine expreſsè conſentiens, per hoc nullum jus tibi, tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem accreſcere, vel ipſi Romanæ Eccleſiæ in aliquo deperire. Conſenſit, inſuper, & conceſſit, quòd nos, & eadem Eccleſia Romana per nos, & per alios tunc, & ſemper poſſemus accipere, nanciſci, intrare, apprehendere, abſque ulla tui, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſ-

ſionem,

ſionem, & quaſi, omnium contentorum in prædictis privilegiis confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quę pertinent ad prædicta. Promittens nihilominus, quòd tu per te, vel per alium, ſeu alios non impedies nos, vel nuncios noſtros in prędictis, & quolibet prædictorum, ſed potiùs in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quàm tenendis, & habendis tuo poſsè perpetuò adjuvabis. Et ut hęc omnia omnimodæ perfectionis, & ſolidationis haberent plenariam firmitatem, tactis Sacroſanctis Evangeliis juravit in animam tuam, exhibens ſuper hoc ſpeciale mandatum, te prædicta omnia, & ſingula perpetuò inviolabiliter ſervaturum; promittens, quòd tu per te ipſum ea omnia, & ſingula faceres, promitteres, ſtabilires, plenè ſolidares, firmares, perficeres, atque jurares, quandocumque per nos, & prędictam Eccleſiam literis, vel Nuntiis exiſteres requiſitus. *Et poſtmodum dilectus filius Gottifridus Præpoſitus Eccleſiæ Solien. Salzeburgen. Diæceſis &c. Familiaris Clericus, & Protonotarius tuus ex parte tua cum ſpecialibus mandato, & literis ad noſtram præſentiam deſtinatus, traditi ſibi à te auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Rodulphus Cancellarius tuus à civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Forolivienſibus, Foropopulienſibus, Cæſanatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, necnon & aliis aliarum Civitatum, & terrarum illarum partium atque locorum, quæ ipſius Eccleſiæ juris exiſtunt, pro te dicitur recepiſſe, & quicquid per eundem Cancellarium, ſeu quemcumque alium in eiſdem Civitatibus, terris, & locis, ſeu per Poteſtates, Capitaneos, Conſiliarios, & Communia, ſeu alios homines ipſarum Civitatum, terrarum, atque locorum, actum, geſtum, & recognitum extitit; remittens, revocans, caſſans, annullans, irritans, caſſa, nulla, & irrita, nuntians, ac omnibus viribus vacuans, eiſdem Poteſtatibus, Capitaneis, Conſiliis, & Communibus, ac aliis univerſis, & ſingulis ex parte tua omnia, & ſingula prædicta, & alia in eiſdem contenta literis, nuntiavit, & denuntiando ſollicitavit; & induxit eoſdem, quòd noſtrum, & ejuſdem Eccleſiæ recognoſcentes dominium, nobis, & eidem Eccleſiæ, tanquàm vero Domino, in omnibus, & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant*, prout hęc, & alia in inſtrumentis publicis indè confectis, tenores quorum per eundem Fratrem Conradum tibi tranſmittimus, ſerioſiùs continētur. Ut igitur tuę ſince-

Quæ charactere diverſo edita ſunt, ea habentur in margine Regeſti authentici, utpote quę Nicolai literis ſcriptis die v. Junii addita fuerūt poſt unū menſem, cum Cōradus peracta à Gottifrido legatione, è Romana Curia diſceſſit.

ſinceritatis integritas interiùs, exteriùſque reluceat, & appareas vas ſincerum, præmiſſa omnia, & ſingula per ſpecialia privilegia Regali aureâ bullâ munita, promptè, liberaliter, & diſtinctè recognoſcas, ratifices, confirmes, innoves, & de novo concedas, ea omnia corporali præſtito juramento firmando. Et quia dudum abſque tuis, ſicut opinamur, & credimus, conſenſu, conſcientia, vel mandato Cancellarius (tuus à civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Forlivienſibus, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, nec non & aliis aliarum Civitatum, illarum partium atque locorum, quæ ipſius Eccleſię juris exiſtunt) juramenta fidelitatis nomine tuo recepit, tu maturè conſpiciens, id in præjudicium juris ejuſdem Eccleſiæ ſubſecutum, quicquid per eumdem Cancellarium, ſeù quemcumque alium tuo nomine in prædictis civitatibus, vel aliis locis, & terris per homines ipſarum Civitatùm, terrarum, atque locorum actum, geſtum, recognitum exſtitit, ſive juratum, revoces, caſſes, annulles, irrites, caſſum, & irritum nunties, ac omnibus viribus vacues, ſtatuens, & expreſsè conſentiens, quòd per hoc nullum jus tibi accreſcat, vel ipſi Eccleſiæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem in Civitatibus, terris, & locis eiſdem, ac hominibus, juribus, & juriſdictionibus eorumdem. Et quia decet regales actus in omnì claritate procedere, ut omnem obſcuritatem, quam frequenter generalitas conſuevit inducere, tollat Regalis expreſſio, ac jura Eccleſiæ prędictæ per tuam declarationem, quam decernas eſſe perpetuam, plenariè ſolidentur, recognoſcas, fatearis, & ſpeciali edicto ad perpetuam memoriam ſtudeas declarare, Ravennam, Æmiliam, Bobium, Cęſenam, Forumpopuli, Forumlivium, Faventiam, Ymolam, Bononiam, Ferrariam, COMACLUM, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montem Feretrum, territorium Balnenſe cùm omnibus finibus, territoriis, atque Inſulis in terra, marique ad Civitates, & loca prædicta quoquomodo pertinentibus, ad Beatum Petrum Cœleſtis Regni Clavigerum, & ad nos, ac ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, & ad ipſam Romanam Eccleſiam, pleno jure, integrè in ſpiritualibus, & temporalibus in ſolidum pertinere, ac noſtrì, & ipſius Eccleſiæ pleni juris, ditionis, ac Principatus exiſtere. Et ad omnem dubitationis ſcrupulum in poſterum abolendum, & ut tua devotio erga ipſam Eccleſiam clariùs eniteſcat, prędicta omnia, & ſingula, prout meliùs,

Quæ ſemicirculis includuntur, ſcripta quidem fuerũt die v. Junii in Regeſto authentico; poſtmodum verò, cum Conradus in Germaniã rediit, deleta fuere; eorumque loco in literis ipſi tunc traditis, ſcriptũ fuit dictus Cancellarius hujuſmodi juramẽta nomine tuo recepit.

liùs, & efficaciùs valet intelligi, nobis, & per nos ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & ipſi Eccleſiæ de novo, diſtinctè, liberè, plenariè, & expreſsè concedas, conferas, & dones, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materiâ, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent; præſertim cnm ea omnia, & ſingula ex privilegiis, & declarationibus prædeceſſorum tuorum Romanorum Imperatorum, clarè, ac diſtinctè pertinere ad Romanam Eccleſiam dignoſcantur. Et ut præmiſſa omnia nobis, & eiſdem ſucceſſoribus, ac Eccleſiæ, per te, ac tuos ſucceſſores Romanorum Reges, & Imperatores ſerventur, firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant, tuæ recognitionis, declarationis, & donationis privilegia ſuper iis, de tua conſcientia, & expreſſo mandato conſcripta, facias aureâ bullâ, typario tuæ Majeſtatis impreſsâ, muniri, ac ipſa ad perpetuam ſoliditatem, & certitudinem pleniorem, nobis, & ipſi Eccleſiæ *ſub formis, quas per eumdem Fratrem Conradum traſmittimus*, liberaliter exhiberi. Et nihilominus, ut tua devotio claritate refulgeat, & longè latèque ad aliorum notitiam deducatur, revocationem, caſſationem, annullationem, irritationem, caſſi, & irriti nuntiationem, vacuationem, conſtitutionem, & conſenſum, & alia ſupradicta, prædictis, & aliis partium earumdem, per ſpeciales literas, & Nuntios fideles, utiles, & aptos ad talia, qui fideliter, & clarè, prout decet, expediant, nec involvant, ſtudeas expreſſiùs nuntiare; liberaliùs tua puritate, præſtito juramento, promittens, quòd dicta privilegia, literas, recognitiones, ratificationes, confirmationes, innovationes, juramenta, conceſſiones, donationes, & cætera, quæ per te, vel de mandato tuo facta fuerint circa præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum, infra octo dierum ſpatium, poſtquàm, dante Domino, Imperiale diadema ſuſceperis, ſub aurea bulla ſimiliter innovabis, facies, & de novo concedes, atque jurabis. Ac nihilominus fideliter, & promptè tuis magnificis ſtudiis procurabis, quòd Principes Alamanniæ tam Eccleſiaſtici, quàm Seculares, ad præmiſſa ſuum adhibebunt aſſenſum, ut omnia in ſua ſoliditate remaneant, & de bono in melius, excluſis inde quibuslibet dubiis, proſperentur, & quietis ubertate vigente, facundis titulis magnificetur in gentibus nomen tuum. Cæterum eumdem Fratrem Conradum, quem fidelitate conſpicuum, & ſollicitudine circumſpectum, tuorum culminum, & Imperii felicium ſucceſſuum zelatorem eſſe percipimus, ad te

Hæc itidem verba charactere diverſo edita, addita fuerunt in margine Regeſti authentici, cùm hæ literæ, poſt menſem quàm ſcriptæ fuerant, traditæ ſunt Conrado in Germaniam proficiſcenti.

e duxi-

duximus remittendum, ut per ipſum de iis, quæ geſta ſunt, apertiùs informatus, noſtris, & ejuſdem Sedis beneplacitis liberiùs te conformes, & quæ tui honoris incrementa reſpiciunt, celeriùs, & feliciùs proſperentur, tuque præcellentibus laudum titulis apud Deum, & homines extollaris. Intendimus autem, quòd dictus Frater ad nos infrà inſtans Feſtum Nativitatis Beatę Marię Virginis, vel ſaltem Kal. menſis Octobris proxime futuri, revertatur, nobis, quæ à te circa præmiſſa collegerit, portaturus, & fideliter relaturus. Et ſi ad promotionem, vel expeditionem prę-miſſorum, & aliorum, quæ tractanda, agenda, & ordinanda videntur, unâ cum ipſo Fratre Conrado, utile fore putaveris, alios Nuntios deſtinare, id tuæ providentiæ in hac parte relinquimus, ut penſatis omnibus provideas, & facias, quod videris expedire. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Junii Pontificatus noſtri anno primo.

XVI.

ANNO 1278. die 5. Junii.

Ejuſdem NICOLAI III. alia ad RODULPHUM Regem Romanorum Epiſtola.

Petit Dominus Papa à Domino RUDOLPHO Rege Romanorum, quòd declaret Civitatem Ravennæ, & alia loca ibidem contenta, ad jus, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere, & per ipſum ad inſtar ſuorum prædeceſſorum eidem Eccleſię de novo donari; & ne Dominus Papa novum aliquid ab ipſo Rege petere videatur, inſeruntur ibidem tenores privilegiorũ Romanorum Imperatorum, per quę apparet, omnia prędicta per ipſos Imperatores Eccleſiæ Romanæ fuiſſe donata.

Ex eiſd. Cod. Vat. & Regeſto Arch. ſecr.

NICOLAUS &c. Chariſſimo in Chriſto Filio RODULPHO Regi Romanorum Illuſtri &c.

AD tuę devotionis augumentum, & jurium Romanę Eccleſiæ claritatem, quòd Civitas Ravennæ, & Æmilia, Bobium, Cæſena, Forumpopuli, Forlivium, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclum, Adria, atque Gabellum, Ariminum, Urbi-

Urbinum, Montemferetri, Territorium Balnenſe, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terrâ, marique ad Civitates, & loca prædicta quoquomodo pertinentibus, ad nos, & Romanam Eccleſiam pleno jure pertineant, per alias noſtras literas à te, Fili Chariſſime, cum expreſſione nominum prædictorum Civitatis, Caſtrorum, Villarum, atque locorum, ſub certa forma petimus declarari, & nihilominus, ut erga eamdem Romanam Eccleſiam Matrem tuam ſinceritatis tuæ devotio ampliùs elucefcat, omnia, & ſingula de novo donari. Ne autem per hęc nos aliquod novum petere, vel à tuis prędeceſſoribus Imperatoribus Romanis inſolitum extimes poſtulare, & ad tuam conſcientiam pleniùs ſerenandam, qualiter illa cæteri prædeceſſores tui Romani Imperatores expreſſerunt, qualiter illa ad Romanam Eccleſiam pertinere ſub expreſſis terrarum diſtinctionibus declararunt, tibi de verbo ad verbum tenores privilegiorum ipſorum Imperatorum, ſicut in Archivis Romanæ Eccleſiæ reperimus, ſub Bulla noſtrâ tranſmittimus; quorum etiam privilegiorum aliqua originalia. in quibus prædictorum, quæ petimus, habetur plena diſtinctio, dilecto filio Fratri Conrado Nuntio tuo inſpicienda commiſimus, & quoad hunc articulum exemplanda conceſſimus, quatenus ſuper jis notæ ſibi veritatis fidelis aſſertor, declarationis per eum viſæ relator, omni nube de mente tua caliginoſæ dubitationis excluſa, te poſſit clariùs informare. Tenores autem præfati eorumdem Imperatorum, quo ad prædicta, tales ſunt. *In Nomine Domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego LUDOVICUS Imperator Auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domno Paſchali Summo Pontifici, & Univerſali PP. & Succeſſoribus ejus in perpetuum, ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis, Civitatem Romanam &c.* & infra. *Nec non, & Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum Urbibus, Civitatibus, Oppidis, & Caſtellis, quæ piæ recordatianis Domnus Pipinus Rex, ac bon:mem: genitor noſter Carolus Imperator, Beato Petro Apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris jam dudum per donationis paginam reſtituerunt. Hoc eſt, Civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam,* Comaclum, *& Adrianis, atque Gabellum cum omnibus finibus territoriis, atque inſulis in terra,*

marique ad ſupradictas Civitates pertinentibus; *ſimul*, *&* *Pentapolim*; *videlicet*, *Ariminum*, *Penſaurum*, *Fanum*, *Senogalliam*, *Anconam*, *Auſimum*, *Humanam*, *Heſim*, *Forumſimpronii*, *Montemferetri*, *Urbinum*, *&* *Territorium Balnenſe*, *Callis*, *Luciolis*, *Egubium*, *cum omnibus finibus*, *ac terris ad eaſdem Civitates pertinentibus*. Item tenor privilegii Ottonis Imperatoris talis eſt. *In Nomine Domini Dei omnipotentis*, *Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus Sancti*. *Ego OTHO Dei gratia Imperator Auguſtus unà cum OTHONE glorioſo Rege filio noſtro divinâ ordinante providentiâ*, *ſpondemus*, *atque promittimus per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum*, *&* *Clavigero Regni Cœlorum*, *&* *per te Vicario tuo Domno Joanni Summo Pontifici*, *&* *Univerſali PP. XII. ſicut à prædeceſſoribus veſtris*, *uſque nunc in veſtra poteſtate*, *atque ditione tenuiſtis*, *Civitatem Romanam &c.* & infra. *Nec non Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum Urbibus*, *Civitatibus*, *Oppidis*, *&* *Caſtellis*, *quæ piæ mem: Domnus Pipinus*, *&* *Domnus Carolus excellentiſſimi Imperatores*, *prædeceſſores*, *videlicet*, *noſtri Beato Petro Apoſtolo*, *&* *prædeceſſoribus veſtris jam dudum per donationis paginam contulerunt*. *Hoc eſt*, *Civitatem Ravennam*, *&* *Æmiliam*, *Bobium*, *Cæſenam*, *Forumpopuli*, *Forumlivii*, *Faventiam*, *Imolam*, *Bononiam*, *Ferrariam*, COMACLUM, *&* *Adrianis*, *atque Gabellum*, *cum omnibus finibus territoriis*, *atque inſulis*, *terra*, *marique ad ſupraſcriptas Civitates pertinentibus*. *Simul*, *&* *Pentapolim*, *videlicet*, *Ariminum*, *Penſaurum*, *Fanum*, *Senogalliam*, *Anconam*, *Auſimum*, *Humanam*, *Heſim*, *Forumſimpronii*, *Montemferetri*, *Urbinum*, *&* *territorium Balnenſe*, *Callis*, *Luciolis*, *&* *Egubium cum omnibus finibus*, *&* *territoriis ad eaſdem Civitates pertinentibus*. Item tenor privilegii Henrici Imperatoris talis eſt. *In Nomine Domini Dei omnipotentis Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus Sancti*. *Ego HENRICUS Dei gratia Imperator Auguſtus ſpondeo*, *atque promitto per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum*, *&* *Clavigero Regni Cœlorum*, *&* *per te Vicario tuo Domno Benedicto Summo Pontifici*, *&* *Univerſali Papæ*, *ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in poteſtate veſtra*, *ac ditione tenuiſtis*, *&* *diſpoſuiſtis*, *Civitatem Romanam &c.* & infra. *Nec non*, *&* *Exarchatum Ravennatem ſub integritate*, *cum Urbibus Civitatibus*, *Oppidis*, *&* *Caſtellis*, *quæ piæ recordationis Domnus Pipinus*, *&* *Domnus Carolus*, *&* *Domnus Ludovicus*,

&

& Otto, & itidem Otto filius ejus prædeceſſores, videlicet, noſtri Beato Petro Apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris jam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc eſt, Civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, COMACLUM, *Adrianis, atque Gabellum, cum omnibus finibus territoriis, atque inſulis, terra marique ad ſupradictas Civitates pertinentibus. Similiter, & Pentapolim, videlicet, Ariminum, Penſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auſimum, Humanam, Heſim, Forumſimpronii, Montemferetri, Urbinum, & territorium Balnenſe, Callis, Luciolis, & Egubium, cum omnibus finibus, & territoriis ad eaſdem Civitates pertinentibus.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum Nonis Junii Pontificatus noſtri Anno primo.

XVII.

Ejuſdem NICOLAI III. Epiſtola tertia ad RODULPHUM Regem Romanorum. ANNO 1278. die 7. Junii.

Dominus Papa monet, & excitat Dominum RODULPHUM Regem Romanorum, quòd cum ipſe Dominus Papa velit, quòd ſequenti die poſt coronationem ipſius Regis, omnia privilegia Romanæ Eccleſiæ per ipſum Regem de aſſenſu Principum Alamanniæ innoventur, ſic ſe ſtudeat pręparare, quòd eâdem die prædicta omnia ad laudem Domini compleantur.

NICOLAUS &c. Chariſſimo in Chriſto filio RODULPHO Regi Romanorum illuſtri &c.

IN aliis, quæ tibi diriguntur ex parte noſtra literis, inter alia continetur, quòd infra octo dies, poſtquam, dante Domino, Imperiale diadema ſuſceperis, privilegia, literas, recognitiones, ratificationes, confirmationes, innovationes, juramenta, conceſſiones, donationes &c. quæ inter te, ac nos, & Romanam Eccleſiam aguntur ad præſens, & quæ per te, vel de mandato tuo facta ſunt hactenus, & fieri contigerit circa prædicta, & quodlibet eorundem, ſub aurea Bulla ſimiliter innovabis, facies, & de novo *Ex eiſdem Cod. Va. & Regeſto Arch. ſecr.*

concedes, & procurabis quòd Principes Alamanniæ tam Eccleſiaſtici,quàm Seculares ad præmiſſa ſuum adhibebunt aſſenſum. Verùm quia intendimus præmiſſa, in coronationis tuæ, vel ſaltem ſequenti die, ſolemnitate debitâ ſolidari, Serenitatem Regiam præſentibus excitamus, quatenus id de mente noſtra percipiens, ſic ad te omnia præcingere, ac ante tempora, cum plena deliberatione, prout negotii qualitas exigit, ordinare procures, quòd hæc in die coronationis,vel ſequenti prædictam,juxta noſtrum deſiderium, annuente Domino, ad laudem Altiſſimi, & exaltationem Chriſtiani populi compleantur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VII. Id. Junii Pontificatus noſtri anno primo.

XVIII.

ANNO 1278. die 5. Junii.

NICOLAI III. Epiſtola tradita Fr. Conrado Legato RODULPHI Regis Romanorum.

Dominus Papa inſtruit Fratrem CONRADUM Nuntium Regis Romanorum,ad ipſum Regem à Romana Curia redeuntem, qualiter in omnibus,quæ ſibi Dominus Papa impoſuit,debeat ſe habere,certum ſibi terminum præfigendo,infra quem ad ipſum Dominum Papam revertatur Orator.

NICOLAUS &c. dilecto filio Fratri CONRADO Miniſtro Fratrum Minorum Superioris Alamanniæ &c.

Ex eiſdē Cod. Vatic. & Regeſto Arch. ſecr.

CUm te ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Rodulphum Regem Romanorum illuſtrem pro certis negotiis remittamus, ſic te gerere volumus in iis, quæ tibi imminent facienda. In primis, eumdem Regem ex parte noſtra cum benedictionis dulcedine ſalutabis. Item præſentabis ſibi literas noſtras, quæ incipiunt. *Intima mentis noſtræ &c.* Item alias, quæ incipiunt. *Ad tuæ devotionis augumentum &c.* Item alias,quæ incipiunt. *In aliis, quæ tibi diriguntur &c.* Deinde facias ratificari, innovari, recognoſci, confirmari, & de novo concedi, & nihilominus in tua præſentia corporali præſtito juramento firmari per ipſum Regem omnia, & ſingula, quæ per te facta fuerunt ſuo nomine coram nobis, prout continentur in quinque inſtrumentis confectis

Hæc ſunt tres antecedentes litera num. 15. & ſeqq.

per

per manus Magiſtri Pauli de Reate Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ noſtræ Notarii, tuo ſigillo ſignatis, quorum tenores de verbo ad verbum tibi fecimus exhiberi. Ita quòd de prædictis quinque inſtrumentis ratificandis fiant quinque alia ſub aureâ Bulla Regis, videlicet, de quolibet unum, ſecundùm notam, quam tibi tradi fecimus, quæ incipit. *In Nomine Domini, Amen. Nos RODULPHUS Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus ad æternam rei geſtæ memoriam recognoſcimus, & fatemur &c.* Proviſo, quòd in diverſitate ratificationum prædictorum quinque Inſtrumentorum, verba competentia factis, cum diſcretione, & maturitate mutentur, & ordinentur, ſicut per eamdem notam inſtructio tibi datur. Diligenter attendens, quòd inter teſtes alios, qui in ratificationibus hujuſmodi apponētur, ponantur Principes, & alii Nobiles, cum ſubſcriptionibus eorumdē. Item per ea, quæ in tenoribus privilegiorum Romanorū Imperatorum propriis oculis inſpexiſti, referendo ipſi Regi, quomodo Civitas Bononienſis, Ravenna, & cæteræ aliæ Civitates, & loca, quæ in literis directis eidem Regi expreſſiùs nominantur, ad Nos, & Romanam Eccleſiam clarè, & diſtinctè pertinere noſcuntur, quorum etiam privilegiorum tenores per te dicto Regi ſub Bulla noſtra tranſmittimus, inducas eumdem Regem, ut omnia, & ſingula, quæ tam in declarando, quàm in recognoſcendo, & de novo etiam concedendo, atque donando, & alia faciendo, prout † in notis quas tibi tradi fecimus, & ſic incipit. *Summa Reipublicæ tuitio &c.* Et reliqua. *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. RODULPHUS Divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Ab eo ſolo &c.* pleniùs continentur, promptè, ac liberaliter faciat nobis ſuper iis ſuas literas ſecundùm formam † *ipſarum notarum* ſub Bulla aurea concedendo. Et nihilominus † *omnia, & ſingula, quæ fecit in noſtra, & noſtrorum Fratrum præſentia Magiſter Gottifridus Præpoſitus Eccleſiæ Solienſis, Salzeburgenſis Diœceſeos ipſius Regis Protonotarius de mandato Regis ejuſdem, facias confirmari ſecundùm formam, quam tibi fecimus exhi-*

Inſtrumēta iſta vid. infra num. 20. & ſeqq. quintum tamē deeſt, quod videtur fuiſſe illi ſimile quod habetur num. 19.

Vide infra nu. 21.

Supra num. 15 & 16.

Infra num. 22. & 34.

Vide infra nu. 25.

†† *Quæ charactere diverſo edita ſunt, ea habentur in margine Regeſti authentici. Epiſtolæ autem ſcriptæ die quinta Junii, Addita fuere, cum Conradus, abſoluta Gottifridi Præpoſiti Legatione, paulò poſt initium menſis Julii ad Rodulphum rediit; nam antea ſcriptum fuerat in textu Epiſtolæ.* Prout in nota, quam tibi tradi fecimus, quæ ſic incipit. *Summa Reipublicæ tutitio &c.* pleniùs continetur, promptè, ac liberaliter faciat nobis ſuper iis ſuas literas, ſecundùm formam ipſius notæ, ſub Bulla aureâ concedendo; & nihilominùs procures per dictum Regem literas, & Nuntios fideles &c. *ut pag. ſeq. lin.* 1.

exhiberi , *& procures attentiùs* per dictum Regem literas, & Nuntios fideles utiles, & aptos ad talia, qui fideliter, & clarè, prout decet, expediant, nec involuant, ad partes illas ſolemniter deſtinari, per quos ea, quæ idem Rex fecerit in prædictis, ſolemniter publicentur, & ad omnium notitiam deducantur, & per eoſdem circa prædicta omnia fiant, & integrè impleantur, quæ nobis neceſſaria, vel utilia videbuntur. Item quia multùm inhæret noſtris affectibus, ut inchoati tractatus ſolidandæ concordiæ inter Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ, ac præfatum Reges illuſtres, dante Domino, compleantur, & intentionis noſtræ ſit, ſuper iis per vias, quas poterimus, dare operam efficacem, ne ex defectu procuratorii, vel mandati, ex parte ipſius Regis Romanorum bonum tantæ concordiæ contingeret impediri, vel etiam retardari; procurare ſtudeas diligenter, quòd idem Rex Romanorum mittat ſpeciales Ambaſſiatores, & Nuntios ad nos cum plenaria poteſtate tractatus reſumendi prædictos, illoſque proſequendi, necnon conſummandi, & circa dictam concordiam, charitatem, amicitiam, ac fœderis unionem ordinandi, componendi, paciſcendi, tranſigendi, compromittendi, promittendi, & confirmandi cautionibus opportunis, & omnia alia plene, liberè, generaliter, & ſpecialiter faciendi, quæ in ſolemnitate, ac expeditione tanti negotii requiruntur, abſque conditionali adjectione, ſalvo jure, vel demembratione Imperii, aut alia ſimili, cum tales clauſulæ captioſæ plurimùm videantur, cum intendamus ab eodem Rege Siciliæ ad ſolidationem prædictæ concordiæ poteſtatem ſimilem procurare. Iis autem per ſollicitudinem tuam cùm omni celeritate, qua poteris, plenariè adimpletis, cum privilegiis, literis præfati Regis, & aliis, quæ petimus, infra inſtans Feſtum Nativitatis Beatæ Virginis, vel Kal. futuri proximi menſis Octobris, ad noſtram præſentiam revertaris, intentionem ejuſdem Regis Romanorum in iis, & aliis, quæ tibi commiſerit, nobis fideliter relaturus. Intendimus enim, quòd ſive Rex ipſe mittat alios Nuntios, ſive non, tu nihilominus ad nos in prædicto termino, in omnem eventum negotii, redire aliquatenus non ommitas. Cæterum prædicta, quæ in memoriali hujuſmodi continentur, & eorum quodlibet, ſic attentè percurras, diligenti ſollicitudine inveſtiges, ac ſollicitâ diligentia proſequaris, quòd nihil per incuriam negotio tanto depereat, nihilque ſuper iis tuæ negligentiæ valeat imputari; quin potiùs diligentiam tuam poſſi-

poſſimus exinde meritò commendare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Non. Junii Pontificatus noſtri anno primo.

XIX.

Fr. CONRADI Ordinis Minorum, & Nuntii RODULPHI Regis Romanorum quinque inſtrumenta de iis, quæ geſſit in Conſiſtorio coram NICOLAO III. pro confirmando ſummo Apoſtolicæ Sedis imperio in totam ditionem ſuam, præſertim in Exarchatum, atque Pentapolim, quorum exemplaria idem Pontifex ad RODULPHUM Regem pro rati habitione tranſmiſit.

ANNO 1278. die 4. Maii.

Inſtrumentum primum, & ſecundum.

De recognitione facta per Fr. CONRADUM Nuntium, & Procuratorem Domini RODULPHI Regis Romanorum ſuper omnibus, quæ Rex ipſe per ſe, & quondam Ottonem Præpoſitum S. Guidonis Spireñ Cancellarium ſuum apud Lauſannam, in præſentia Domini GREGORII Papæ X. & ſuorum Fratrum recognovit. Poſtea inſeruntur tenores Privilegiorum quorundam Romanorum Imperatorum, quę dictus Prępoſitus ſe aſſerit inſpexiſſe. Item ponuntur ſubſequenter juramenta Romanorum Imperatorum, quæ olim Romanæ Eccleſiæ præſtiterunt.

Cum ex quinque inſtrumentis à Nicolao III. ad Rodulphum Regem miſſis, quatuor tantùm habeãtur in Cod. Vatic. & in Regeſto Archivi ſecreti, nos primum ſuppleviмus ex autographo quod in Archivo Caſtri Sancti Angeli aſſervatur, in quo ponuntur initiales tantum literæ nominum Cardinalium præter primum, quod per extenſum ſcribitur. Nos autem tam hic, quàm in aliis inſtrumẽtis hujus Appendicis integra nomina poſuimus.

I. IN nomine Domini Amen. Ego Fr. CONRADUS Miniſter Fratrum Minorum ſuperioris Alemanniæ, glorioſiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis Domini mei Rudolphi Dei gratia Regis Romanorum ſemper Auguſti Procurator, & Nuntius, habens ab ipſo poteſtatem, & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, Beatiſſime Pater Domine Nicolae Divina providentia Papa III. in Conſiſtorio veſtro, in Papali Palatio apud S. Petrum in Urbe Romana, aſſiſtentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus, Domino Ordono Tuſculanenſi, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopis; Anchero Tituli S. Praxedis,

Guil-

Guillelmo Tit. Sancti Marci, & Gerardo Tit. Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum, Presbyteris; Jacobo S. Mariæ in Coſmedin, Gottifredo Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo S. Mariæ in Porticu, Jordano Sancti Euſtachii, & Jacobo S.Mariæ in Via lata Diaconis, Cardinalibus. Recognoſco, & confiteor, quondam Ottonem Præpoſitum Eccleſiæ Sancti Guidonis Spirenſis, Regiæ Aulæ Cancellarium, habuiſſe à prædicto Sereniſſimo Principe Domino Rudolpho Dei gratia Rege Romanorum ſemper Auguſto mandatum, ſigilli ſui munimine communitum, infraſcripti tenoris; cujus auctoritate, nomine ejuſdem Domini Regis coram piæ memoriæ Domino Gregorio Papa X. aſtantibus ſibi felicis recordationis Domino Innocentio V. tunc Petro Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopo, Adriano V. tunc Ottobono Sancti Adriani Diacono Cardinali, & Domino Joanne XXI. tunc Petro Epiſcopo Tuſculano, Romanis Pontificibus, & bonæ memoriæ Joanne Portuenſi, Vicedomino Prænestino, & Fratre Bonaventura Albanenſi Epiſcopis, Simone Tituli Sancti Martini Presbytero, & Uberto Sancti Euſtachii Diacono, Cardinalibus, ac Reverendis Patribus prædictis Dominis Anchero Tituli Sanctæ Praxedis, Guillelmo Tituli Sancti Marci, Simone Tit. S. Cæciliæ Presbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Gottifredo Sancti Georgii ad Velum aureum, & Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconis, Cardinalibus; & præſentibus inibi Venerabilibus Patribus Henrico Treverenſi, Guarnerio Maguntino, Engueberto Colonienſi, Conrado Magdeburgenſi, & Giſelberto Bremenſi Archiepiſcopis, Conrado Argentinenſi, Leone Ratiſponenſi, Brunone Brixinenſi, Ottone Mindenſi, Frederico Merſeburgenſi, Widegone Miſnenſi, Joanne Kimenſi, Ildebrando Eiſtetenſi, Epiſcopis, & Nobilibus Viris, Frederico Burclavio de Nuremberch, & Gottifrido Comite Seunenſi, proceſſit ad omnia infraſcripta, quæ in literis inde confectis, & ejuſdem Cancellarii ſigillo ſignatis, quarum tenor de verbo ad verbum infrà ſubjicitur, ſerioſiùs continentur.

Quæ quidem omnia, & ſingula dicta, promiſſa, recognita, innovata, conceſſa, acta, ſeu geſta, ratificata, confirmata, ſive jurata per eundem Cancellarium, prout in eiſdem literis, & tenore pleniùs exprimitur, ejuſdem Domini Regis nomine, & pro ipſo diſtincte, liberè, & expreſsè recognoſco, ratifico, approbo, innovo, & nihilominùs ea omnia, & ſingula de novo dono, atque concedo Beato Petro Cœleſtis Regni Clavigero, ac vobis,

Pa-

Pater Sanctiſſime, ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ: & ad Domini mei Regis conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenariè ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, caſſo, annullo, irrito, & omnibus viribus vacuo quidquid contrà prędicta, vel aliqua prædictorum, per ipſum Dominum Regem, ſeù per alios ejus Nuntios, vel Officiales, ſuo mandato, vel nomine, ſeu quemcumque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; ac volo, & expreſsè conſentio, quod per hoc nullum jus ipſi Domino meo Regi accreſcat, vel in aliquo Eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem. . . . . .

Conſentio inſuper, & concedo, quòd vos, Sanctiſſime Pater, & eadem Romana Eccleſia per vos, & per alios, nunc, & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis abſque ulla ipſius Domini Regis, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi, omnium contentorum in prędictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad prędicta. Et promitto, quòd ipſe Dominus Rex per ſe, vel per alium, ſeu alios, non impediet vos, vel Nuntios veſtros in prędictis, & quolibet prędictorum; ſed potiùs in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quàm tenendis, & habendis, ſuo poſſe perpetuò adjuvabit. Et ut hęc omnia plenam omnimodæ perfectionis, & ſolidationis habeant firmitatem, tactis Sacroſanctis Evangeliis, juro in animam prędicti Domini mei Regis, habens ab eo ſuper hôc ſpeciale mandatum, eumdem Dominum Regem prædicta omnia, & ſingula perpetuò inviolabiliter ſervaturum: & promitto quòd idem Dominus Rex per ſe ipſum eà omnia, & ſingula faciet, promittet, ſtabiliet, plenè ſolidabit, firmabit, perficiet, atque jurabit, quandocunque per vos, & prędictam Eccleſiam literis, vel Nuntiis extiterit requiſitus. Prædictarum autem literarum ejuſdem Cancellarii, & mei procuratorii ſuper his habiti tenores de verbo ad verbum per omnia tales ſunt.

In Nomine Domini. Amen. Ego OTHO &c. *Et inſeritur inſtrumentum editum pag. 24. uſque ad totam pag. 28. quo abſoluto; ſequitur.*

RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Univerſis prę́ſentes literas inſpecturis gratiam ſuam, & omne bonum.

No-

Extat authenticum diploma hujus mandati in Arch. Molis Adrianæ, etiam ſeorſim ab hoc inſtrumento.

NOtum eſſe volumus per præſentes literas univerſis, quòd nos devotus Eccleſiæ Romanæ filius, recognoſcentes beneficia, quæ nobis ſunt ab ipſo Deo, & ejus vicario Papa Romano conceſſa, ratificamus, approbamus, innovamus, concedimus, & nihilominus de novo donamus Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Nicolao Papę III. & ipſi Romanę Eccleſię Matri noſtrę diſtinctè, liberè, plenariè, & expreſsè confirmationes, conceſſiones, privilegia, & cętera omnia, quæ nos hactenus fecimus, & noſtri prædeceſſores Reges Romani, ſeu Imperatores confirmaſſe, conceſſiſſe, & feciſſe noſcuntur, ſeu invenientur. Et ad majorem prędictorum omnium firmitatem conſtituimus religioſum virum Fratrem Conradum Miniſtrum Fratrum Minorum ſuperioris Alemanniæ, noſtrum Nuntium, & ſpecialem procuratorem, dantes ei expreſſum, & ſpeciale mandatum pro nobis, & noſtro nomine recognoſcendi, ratificandi, approbandi, innovandi, concedendi, & nihilominus de novo donandi omnia, & ſingula diſtinctè, liberè, & expreſsè, quæ facta, acta, promiſſa, dicta, confirmata, donata, ſive conceſſa, recognita, ſeu etiam jurata fuerunt hactenus per bonę mem: Ottonem Præpoſitum Sancti Guidonis Spirenſis regalis Aulæ noſtræ Cancellarium, ſeu per quoſcumque alios, & per nos ipſos poſtmodum, felicis recordationis Domino Gregorio Papæ X. ſive ipſi Domino Papæ, ſive alii, ſeu aliis, ejus nomine, & Romanæ Eccleſiæ recipienti, vel recipientibus; & nos ipſi nihilominus ea omnia, & ſingula recognoſcimus, ratificamus, approbamus, confirmamus, innovamus, concedimus, & de novo donamus. Et etiam ad noſtram conſcientiam ſerenandam revocamus, caſſamus, annullamus, irritamus, & omnibus viribus vacuamus quidquid contra prædicta, vel aliqua prędictorum per nos, ſeu per alios noſtros Nuntios, vel Officiales mandato noſtro, vel nomine, ſeu quemcumque alium, vel alios quocumque modo, quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; volentes, & conſentientes expreſsè, quòd per hoc nullum jus nobis accreſcat, vel in aliquo Eccleſię Romanæ depereat tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem.

Concedimus inſuper, & conſentimus, quòd Eccleſia Romana per ſe, & per alios accipiat, nanciſcatur, intret, & apprehendat abſque ulla noſtra, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi, omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus,

bus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, & juramentis, & omnium eorum, quę pertinent ad prædicta: & promittimus, quòd nos per nos, vel per alium, ſeu alios non impediemus ipſam Eccleſiam, vel Nuntios ejus in prædictis, & quolibet prædictorum; ſed eam in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quàm tenendis, & habendis noſtro poſſe perpetuò juvabimus. Damus etiam ipſi procuratori noſtro ſpecialem, generalem, & liberam poteſtatem plenariè ſtabiliendi, ſolidandi, firmandi, complendi, & perficiendi, ac jurandi omnia, & ſingula prædicta in animam noſtram; ita quòd plenam omnimodę perfectionis, & ſolidationis habeant firmitatem; & promittendi, quòd nos per nos ipſos eadem faciemus, promittemus, ſtabiliemus, plenè ſolidabimus, firmabimus, perficiemus, atque jurabimus quandocumque per ipſam Eccleſiam literis, vel Nuntiis fuerimus requiſiti; & faciendi omnia, quę in pręmiſſis, & circa præmiſſa fuerint ipſi Eccleſię Romanę utilia, neceſſaria, vel etiam opportuna, etiamſi mandatum exigant, vel exigerent ſpeciale; promittentes nos ratum habituros, & firmum, quidquid per ipſum procuratorem in omnibus, & ſingulis ſupradictis fuerit recognitum, ratificatum, approbatum, innovatum, conceſſum, donatum, firmatum, ſtabilitum, ſolidatum, completum, perfectum, atque juratum, actum ſive factum. In cujus rei teſtimonium, & prædictorum omnium firmitatem præſentes literas fieri fecimus, & noſtri ſigilli munimine roborari. Datum Viennæ anno Domini MCCLXXVIII. XIIII. Kal. Februarii Regni noſtri anno V.

Volo inſuper, & expreſsè conſentio, quòd iidem tenores inſerti præſentibus eaſdem per omnia vires habeant, & obtineant, quas habent, & obtinent ipſæ literæ principales. Ita quòd ſi forſan ipſas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dicti tenores perindè vim, & robur obtineant, & in omnibus, & per omnia in judicio, vel extra judicium fidem faciant, ſicut ipſæ principales literæ facerent in ſua prima figura, & integritate manentes, lege ſeu conſtitutione aliquâ non obſtante; & promitto quòd prædictus Rex idem per omnia ſuâ regali auctoritate ſtatuet, & decernet. Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum hæc omnia conſcribi, & in publicum inſtrumentum redigi per Magiſtrum Paulum de Reate Apoſtolica auctoritate Tabellionem ſubſcriptum feci, atque rogavi, & ſigillo commiſſæ mihi adminiſtrationis, quo utor ad præſens, munivi. Volo

tamen, & expreſsè conſentio, quòd ſi dictum ſigillum quovis modo, vel caſu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus inſtrumentum ipſum in ſuo vigore permaneat, ac ſi de ipſo ſigillo facta mentio non fuiſſet. Actum Romæ apud Sanctum Petrum in Conſiſtorio in prædicto Papali Palatio, præſentibus Venerabilibus Patribus Dominis Bonifacio Ravennate, & Joanne Barenſi Archiepiſcopis, Henrico Lunenſi, Orlando Narnienſi, Paparono Fulginatenſi, Orlando Maſſano, ac Raymundo Maſſilienſi Epiſcopis; & honorabilibus Viris Domino Angelo de Vezzoſis Domini Papæ Camerario, Domino Petro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario, Magiſtris Berardo de Neapoli, & Benedicto de Anagnia ejuſdem Domini Papæ Notariis, Magiſtro Paulo de Interamne Clerico, & Procuratore in audientia Curiæ Romanæ prædicti Domini Rudolphi Regis, ac Nobilibus viris Dominis Urſo Curiæ Domini Papæ Mareſchalco, Adinolfo Comitis, & Petro Comitis, ac Nicolao Comitis Militibus de Urbe, & quampluribus aliis Clericis, & Laicis in multitudine numeroſa, anno Domini MCCLXXVIII. quarto die menſis Maji Indictione VI. Pontificatus verò Domini Nicolai Papæ III. anno primo. Ego Paulus de Reate Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius iis omnibus interfui, & de mandato ejuſdem Sanctiſſimi Patris Domini Nicolai, ac de rogatu ipſius Fratris Conradi, ſcripſi, publicavi, & ſignum feci.

Loco ✠ ſigni.

Adeſt ſigillum pendens.

Supraſcriptum ſumptum ex ſuo autographo, antiquo charactere, & in pergamena pagina conſcripto, quod aſſervatur in Tabulario Apoſtolico Arcis S. Angeli, Sanctiſſimo Domino noſtro CLEMENTE XI. *jubente extractum, atque ad verbum diligenter collatum, eidem omnino reſpondet, nec in aliquo differt, de quo, ut fidem faciam, hoc ſumptum meo ſigillo, atque ſubſcriptione confirmo, hac die 6. Decembris 1708.*

Dominicus Rivera Archivii Apoſtolici Molis Adrianæ Præfectus.

NOTA. Quinque inſtrumenta de geſtis Conradi Minoritæ à Rodulpho Rege Romanorum conformari poſtulavit Nicolaus III. ut in ejus Epiſtola hic num. XV legitur. Quia verò quatuor tantùm inſtrumenta exhibent codex Vatic. & Regeſtum authenticum Nicolai III. nos quintum ſupplevimus ex authentica membrana, quæ in Archivio Molis Adrianæ aſſervatur.

II. In

II. In Nomine Domini Amen. Ego Frater Conradus Miniſter Fratrum Minorum ſuperioris Alamanniæ, glorioſiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis Domini mei Rudolphi Dei gratia Regis Romanorum ſemper Auguſti Procurator, & Nuntius, habens ab ipſo poteſtatem, & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, Beatiſſime Pater Domine Nicolae Divina providentia Papa III. in Conſiſtorio veſtro in Papali Palatio apud S. Petrum in Urbe Romana, aſſiſtentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus, Dominis Ordono Tuſculanenſi, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopis; Anchero Tituli S. Praxedis, Guillelmo Tit. Sancti Marci, & Gerardo Tit. Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum, Presbyteris, Jacobo S. Mariæ in Coſmidin, Gotrefrido Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo S. Mariæ in Porticu, Jordano Sancti Euſtachii, & Jacobo S. Mariæ in Via lata Diaconis Cardinalibus, recognoſco, & fateor, quòd idem Dominus meus Rex conſtitutus in præſentia piæ memoriæ Domini Gregorii Papæ X. in Conſiſtorio ſuo apud Lauſannam, aſſiſtentibus ſibi Reverendo Cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, piæ memoriæ Domino Innocentio V. tunc Petro Oſtienſi Epiſcopo, & Domino Adriano, tunc Ottobono Sancti Adriani Diacono Cardinali, Romanis Pontificibus, & bonæ memoriæ Domino Uberto S. Euſtachii Diacono Cardinali, & Reverendis Patribus Dominis Anchero tituli S. Praxedis, Guillelmo tit. S. Marci Preſbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgii ad Velum aureum, & Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu, Diaconis Cardinalibus. Recognovit, & confeſſus eſt, quondam Ottonem Præpoſitum Sancti Guidonis Spirenſis, Regiæ Aulæ Cancellarium habuiſſe ab ipſo Rege mandatum, ſigilli ſui munimine communitum, infraſcripti tenoris; cujus auctoritate idem Cancellarius nomine ipſius Regis proceſſit ad omnia infraſcripta, quæ in literis indè confectis, & ejuſdem Cancellarii ſigillo ſignatis, quarum tenor de verbo ad verbum infrà in tenore literarum ipſius Domini Regis ſubjicitur, serioſiùs continentur. Quæ quidem omnia, & ſingula dicta, ſive promiſſa, acta, ſeù geſta per eumdem Cancellarium, prout in ejuſdem literis, & tenore pleniùs exprimitur, idem Rex recognovit, & confeſſus eſt nomine ſuo, & de voluntate ſuâ, dicta, promiſſa, acta, & geſta, eaque nihilominus acceptavit, ratificavit, & firma voluit, & decrevit perpetuò remanere; ac inſuper, prout idem Cancellarius promi-

ANNO 1278. die 4. Maji.

ſit, ea omnia, & ſingula confirmavit, innovavit, & de novo conceſſit; & ipſi Domino Gregorio pro Romana Eccleſia, ſibi, ſuiſque Succeſſoribus recipienti, ea omnia, & ſingula promiſit ſtipulatione ſolemni, bona fide ſe in perpetuum, & inviolabiliter ſervaturum, & contra ea, vel eorum aliquod, per ſe, vel per alium nullo unquam tempore, vel modo venturum, & ipſa nihilominus, proprio præſtito corporaliter juramento, firmavit. Statuit prætereà Regali auctoritate, atque decrevit, ut tenor literarum ejuſdem Cancellarii, literis ipſius Regis inſertus, eaſdem per omnia vires habeat, & obtineat, quas habent, & obtinent ipſæ literæ principales; ità quòd ſi forſan ipſas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim, & robur obtineat, & in omnibus, & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ principales literæ facerent, in ſua prima figura, & integritate manentes, lege, ſeu conſtitutione aliqua non obſtante; & ad certitudinem eorum, quæ tunc agebantur, & memoriam futurorum, de ipſis omnibus ſuas literas fieri fecit, & proprii ſigilli munimine roborari; & ut ea omnia ipſi Domino Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus per ipſum Regem, & ſuos ſucceſſores Romanorum Reges, & Imperatores obſervarentur, firmaque ſemper, & inconvulſa permanerent, ſcriptum inde confectum juſſit idem Rex ſuo ſigillo cereo communiri. Promittens nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia ſimile, aureâ Bulla, typario ſuæ Majeſtatis impreſſa, munitum infrà tempus ſuæ coronationis ipſi Domino Gregorio, & Sedi Apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere, prout hæc omnia in literis ipſius Domini Regis ſuo ſigillo cereo communitis, quarum tenor de verbo ad verbum infrà ſubjicitur, ſerioſiùs continentur.

Quę quidem omnia, & ſingula dicta, promiſſa, recognita, innovata, conceſſa, acta, ſeu geſta, ratificata, confirmata, ſive jurata per eundem Dominum meum Regem, prout in eiſdem literis, & tenore pleniùs exprimitur, ejuſdem Domini Regis nomine, & pro ipſo diſtinctè, liberè, & expreſsè recognoſco, ratifico, approbo, innovo; & nihilominùs ea omnia, & ſingula de novo dono, atque concedo Beato Petro Cœleſtis Regni Clavigero, ac vobis, Pater Sanctiſſime, ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ: & ad Domini mei Regis conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenariè ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, caſſo, an-

nullo,

nullo, irrito, & omnibus viribus vacuo quidquid contrà prædicta, vel aliquod prædictorum, per ipſum Dominum Regem, ſeù per alios ejus Nuntios, vel Officiales, ſuo mandato, vel nomine, ſeu quemcumque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; ac volo, & expreſsè conſentio, quòd per hoc nullum jus ipſi Domino meo Regi accreſcat, vel in aliquo Eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem.

Conſentio inſuper, & concedo, quòd vos, Sanctiſſime Pater, & eadem Romana Eccleſia per vos, & per alios, nunc, & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis abſque ulla ipſius Domini Regis, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi, omnium contentorum in prędictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quę pertinent ad prędicta. Et promitto, quòd ipſe Dominus Rex per ſe, vel per alium, ſeu alios non impediet vos, vel Nuntios veſtros in prędictis, & quolibet prædictorum; ſed potiùs in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quàm tenendis, & habendis ſuo poſſe perpetuò adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis, & ſolidationis habeant firmitatem, tactis Sacroſanctis Evangeliis, juro in animam prędicti Domini mei Regis, habens ab eo ſuper hôc ſpeciale mandatum, eumdem Dominum Regem prædicta omnia, & ſingula perpetuò inviolabiliter obſervaturum: & promitto quòd idem Dominus Rex per ſe ipſum ea omnia, & ſingula faciet, promittet, ſtabiliet, plenè ſolidabit, firmabit, perficiet, atque jurabit; quandocunque per vos, & prædictam Eccleſiam literis, vel Nuntiis extiterit requiſitus. Prædicti autem literarum ejuſdem Domini Regis, & mei procuratorii ſuper his habiti, tenores de verbo ad verbum per omnia tales ſunt.

In Nomine Domini Amen. Nos RUDOLPHUS Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus &c. Conſtituti, *ut ſupra pag.* 29. *uſque ad finem ejuſdem inſtrumenti ſignati num.* I. *& ſequitur*.

RODULPHUS Dei gratia &c. Notum eſſe volumus &c. *ut ſupra pag.*60. *& abſoluto Rodulphi mandato, ſequitur*. Volo inſuper, & conſentio &c. *ut pag.* 61. *lin.* 26. *uſque ad finem, ſine ſigno tamen, & ſigillo pendenti*.

XX.

Inſtrumentum tertium, quartum, & quintum de geſtis in Conſiſtorio ab eodem Fr. CONRADO.

ANNO 1278. De eadem recognitione facta per eumdem Fratrem CONRADUM ſuper omnibus, quæ Rex Romanorum RODULPHUS in præſentia Domini GREGORII Papę X. recognovit, de qua etiam recognitione, & de multis aliis ejuſdem negotiis plenè traditur.

III. IN nomine Domini Amen. Ego Fr. CONRADUS Miniſter Fratrum Minorum ſuperioris Alamanniæ glorioſiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis Domini mei RUDOLPHI Dei gratia Regis Romanorum ſemper Auguſti Procurator, & Nuntius, habens ab ipſo poteſtatem, & mandatum in formâ ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, Beatiſſime Pater Domine Nicolae Divina Providentia Papa III. in Conſiſtorio veſtro in Papali Palatio apud Sanctum Petrum in Urbe Romana, aſſiſtentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus, Dominis Ordono Tuſculano, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopis; Anchero Tituli Sanctæ Praxedis, Guillelmo Tit. Sancti Marci, & Gerardo Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum Presbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu, Jordano S.Euſtachii, & Jacobo Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconis Cardinalibus, recognoſco, & fateor, quòd idem Dominus meus Rex conſtitutus in præſentia piæ memoriæ Domini Gregorii PP. X. omnia, & ſingula infraſcripta recognovit, confeſſus eſt, obtulit, & devovit, conceſſit, dimiſit, refutavit, reliquit, promiſit, & ſtatuit, expreſſit, renuntiavit, reſtituit, necnon ad omnem ſcrupulum removendum, ſicut meliùs valet, & efficaciùs intelligi poſſet, contulit, & donavit ipſi Domino Gregorio, ejuſque ſucceſſoribus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Matri ſuæ, prout in ipſius Domini Regis literis, ſuo ſigillo cereo communitis, expreſſiùs, ac ſerioſiùs continentur, quarum tenor de verbo ad verbum talis eſt.

In

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. RUDOLPHUS Divinâ favente gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus &c. Ab eo ſolo &c.*ut ſupra pag.32.& abſoluto toto inſtrumento, ſequitur.*

Quæ quidem omnia, & ſingula ſupradicta, necnon & alia literis eiſdem quocumque modo, quibuſcumque verbis inſerta, Ego prædictus Frater Conradus ejuſdem Domini Regis nomine, & pro ipſo habens ab eo expreſſum, & ſpeciale mandatum, diſtinctè, liberè, & expreſsè, recognoſco, ratifico, approbo &c. *ut ſupra pag.*58. §. Quæ quidem omnia. *lin.5.uſque ad pag.59.lin.33. in illis verbis* extiterit requiſitus; *& ſequitur*. Tenor vero mei procuratorii ſuper iis habiti, per omnia talis eſt. Rudolphus &c. *ut eadem pag.59. lin. 3. à fine, & ſequitur uſque ad finem inſtrumenti, ſine ſigno tamen, & ſine ſigillo.*

IV. In nomine Domini Amen. Ego Frater Conradus Miniſter Fratrum Minorum ſuperioris Alamanniæ glorioſiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis Domini mei Rudolphi Dei gratiâ Regis Romanorum ſemper Auguſti Procurator, & Nuntius, habens ab ipſo poteſtatem, & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in preſentia veſtra, Beatiſſime Pater, Domine Nicolae Divina providentia PP. III. in Conſiſtorio veſtro in Papali Palatio apud S. Petrum in Urbe Romanâ, aſſiſtentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus, Dominis Ordono Tuſculano, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopis; Anchero Tituli S.Praxedis, Guillelmo Tituli Sancti Marci, & Gerardo Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum, Presbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo S.Mariæ in Porticu, Jordano S. Euſtachii, & Jacobo Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconis Cardinalibus, recognoſco, & fateor, quòd idem Dominus meus Rex conſtitutus in præſentia pię memorię Domini Gregorii PP.X. in Eccleſia Lauſanenſi, aſſiſtentibus ſibi Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, felicis recordationis Domino Innocentio V. tunc Petro Oſtienſi Epiſcopo, & Domino Adriano V. tunc Ottobono Sancti Adriani Diacono Cardinali, Romanis Pontificibus, & Reverendis Patribus, Dominis Anchero Tituli Sancti Praxedis, & Guillelmo Tit. Sancti Marci Præsbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgii in Velum aureum, & Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu, Diaconis Cardinalibus,

libus, & præſentibus multis Prælatis, Principibus, & Nobilibus Imperii, ipſi Domino PP. ſuiſque ſucceſſoribus ſpopondit, pollicitus eſt, promiſit, atque juravit omnia, & ſingula infraſcripta, prout in ejuſdem Regis literis ſuo ſigillo cereo communitis, pleniùs, ac ſerioſiùs continentur, quarum tenor per omnia talis eſt.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis &c. *ut ſupra pag. 31. num. 2. uſque ad finem illius numeri, & ſequitur.*

Quæ omnia, & ſingula, ut præmittitur, per eundem Regem ſponſa, pollicita, promiſſa, atque jurata, necnon, & alia literis eiſdem quocumque modo, quibuſcumque verbis inſerta, Ego prædictus Frater Conradus ejuſdem Domini Regis nomine, & pro ipſo habens ab eo expreſſum, & ſpeciale mandatum, liberè, diſtinctè, & expreſsè, recognoſco, ratifico, approbo &c. *ut ſupra pag. 67. lin. 8. cum omnibus, quæ ſequuntur, ſine ſigno, tamen, & ſine ſigillo.*

V. In nomine Domini Amen. Ego Frater Conradus Miniſter Fratrum Minorum ſuperioris Alamanniæ glorioſiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis Domini mei Rudolphi Dei gratia Regis Romanorum ſemper Auguſti Procurator, & Nuntius, habens ab ipſo poteſtatem, & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, Beatiſſime Pater Domine Nicolae Divina Providentia PP. III. in Conſiſtorio veſtro in Papali Palatio apud S. Petrum in Urbe Romana, aſſiſtentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus Dominis Ordono Tuſculano, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopis, Anchero Tituli Sanctæ Praxedis, Guilielmo Tit. Sancti Marci, & Gerardo Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum, Presbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu, Jordano Sancti Euſtachii, & Jacobo Sanctæ Mariæ in in Via lata, Diaconis Cardinalibus, recognoſco, & fateor, quòd idem Dominus meus Rex patentes literas Principum Imperii non abolitas, non cancellatas, nec vitiatas in aliqua ſui parte, ſed in prima ſui figura, ſigillis eorumdem Principum tunc pendentibus, conſignatas, fecit inſpici diligenter, & de verbo ad verbum ad perpetuam rei memoriam ſuis literis annotari, decernens auctoritate Regia, ut tenor ipſarum literarum eorundem Principum, literis ipſius Regis inſertus, eaſdem per omnia vires habeat, &

obti-

obtineat, quas habent, & obtinent ipſæ literæ principales, ita quòd, ſi dictas principales literas quomodolibet contingeret deperire, dictus tenor perinde vim, & robur obtineat, & in omnibus, & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ principales literæ facerent, in prima ſua figura, & integritate manentes, lege ſeu conſtitutione aliqua non obſtante. Tenor autem literarum dicti Regis, continens præfatum tenorem literarum ipſorum Principum, per omnia talis eſt.

In nomine Domini Amen. Nos RUDOLPHUS &c. *ut ſupra pag.36. per totum n.4.& ſequitur*. Præmiſſa quidem per eundem Dominum Regem facta, annotata, & regiâ auctoritate decreta, nec non & alia literis eiſdem prædicti Domini Regis quocumque modo, quibuſcumque verbis inſerta, Ego prædictus Frater Conradus præfati Domini Regis nomine, & pro ipſo habens ab eo expreſſum, & ſpeciale mandatum, diſtinctè, liberè, ac expreſsè recognoſco, innovo, atque ratifico. Tenor verò mei Procuratorii ſuper iis habiti per omnia talis eſt.

RODULPHUS &c. *ut ſupra pag. 59. cum reliquis uſque ad finem Inſtrumenti, ſine ſigno tamen, & ſigillo pendente.*

XXI.

ANNO 1278.

Formula Inſtrumenti à NICOLAO III. ad RODULPHUM Romanorum Regem tranſmiſſa, ut juxtà eam geſta Fratris CONRADI rata haberet.

Ex eiſdem Codice Vat & Regeſto.

IN Nomine Domini, Amen. Nos RUDOLPHUS Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus, ad æternam rei geſtæ memoriam &c. *ut infra num. 33. ubi habetur hoc ipſum diploma à Rodulpho Rege ſubſcriptum, cum data, & teſtibus, quorum loco Nicolaus III. hæc adnotaverat.*

Ponantur teſtes maximè Principes, qui invenientur in exercitu, & alii Nobiles cum ſubſcriptionibus.

In eumdem modum fiat de quatuor aliis, verbis competenter mutatis, & cum diſcretione, & maturitate debita ordinatis.

For-

XXII.

Eodem ANNO & die.

Formulæ duorum diplomatum à NICOLAO III. ad RODULPHUM Romanorum Regem tranſmiſſæ, ut juxtà eas Summum Apoſtolicæ Sedis imperium in totam ditionem ſuam, præſertim in Exarchatum, atque Pentapolim, recognoſceret, atque confirmaret.

Ex eiſdem Codic. Vat. & Regeſto.

I. SAnctiſſimo in Chriſto Patri Domino NICOLAO Papæ III. RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus ad perpetuam rei memoriam.

Summa Reipublicæ tuitio &c. *ut infra num.* 34. *ubi habetur hoc ipſum diploma cum teſtibus, & data, quorum loco Nicolaus III. hic adnotaverat.*

Actum &c. & ponantur dies, & ſignum Regale, quod in privilegiis conſuevit apponi, & cætera omnia, quæ in talibus conſueverunt fieri.

II. In Nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis &c. RUDOLPHUS Divinâ favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

AB eo ſolo, per quem Reges regnant, & potentes ſcribunt juſtitiam, recognoſcentes ineſtimabilem noſtræ promotionis gratiam, qui, regali jam in nobis culmine conſummato, nos ad obtinendum Imperialis gloriæ ſolium ſuâ ſola pietate diſponens, ut non ſolùm cum Principibus ſedeamus, ſed ut illis præſideamus, erexit, Sanctæque Matris Eccleſiæ, ac veſtra, Pater Reverendiſſime Domine Nicolae Divina providentia Papa III. immenſa beneficia, quibus nos &c. *ut pag.* 32. *lin.* 4. *à fine, uſque ad pag.* 33. *in* §. Poſſeſſiones, *& ſequitur.*

Poſſeſſiones verò quas Romana Eccleſia recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeù quibuslibet aliis ante detentas, liberas, & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores; & quæcunque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate, ac mora ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicophano uſque ad Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Co-

ra Comitiſſæ Mathildis, Civitas Ravennæ, & Æmilia, Bobium, Cæſena, Forumpopuli, Forlivium, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, COMACLUM, Adrianis, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Monsfeltri, Territorium Balnenſe, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Maſſa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam Eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terra marique ad provincias, Civitates, territoria, & loca prædicta quoquomodo pertinentibus, ut ſupraſcriptas Provincias, Civitates, Loca, & Territoria, nec non & omnia ſupradicta habeat Romana Eccleſia in perpetuum, cum omni juriſdictione diſtrictu, & honore ſuo. Verumtamen, cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta, tàm propriis, ſeù ſpecialibus provinciarum, terrarum, civitatum, atque locorum expreſſa vocabulis, quàm etiam non expreſſa, & quæcumque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam, de voluntate, conſcientia, conſilio, & conſenſu Principum Imperii liberè illi dimittimus, renunciamus, & reſtituimus: nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout meliùs valet, & efficaciùs intelligi, de novo concedimus, conferimus, & donamus, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materia, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent. Adjutores erimus &c. *ut pag. 34. lin. 14. uſque ad pag. 35. lin. 26. in illis verbis*, aliquatenus non aſſiſtent, *& ſequitur*: Ut autem hæc omnia vobis memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Nicolao Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſque Succeſſoribus, per nos, & noſtros ſucceſſores Romanorum Reges, & Imperatores obſerventur, firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant, præſens privilegium conſcriptum juſſimus aureâ bulla, typario noſtræ Majeſtatis impreſſa, muniri, ac ipſum ad perpetuam ſoliditatem, & certitudinem vobis, & ipſi Romanæ Eccleſiæ exhiberi. Promittimus inſuper, quòd poſtquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & Imperiale diadema pervenerimus, ipſaque perceperimus, infra octo dies præmiſſa omnia, & ſingula innovabimus, & de novo integrè ac plenariè faciemus. Actum &c. & ponantur dies, & ſignum Regale, quod in privilegiis conſuevit apponi, & cætera omnia, quæ in talibus conſueverunt fieri.

GOT-

XXIII.

ANNO 1278. die ultima Junii.

GOTTIFRIDI Præpoſiti Solienſis Nuntii RODULPHI Regis Romanorum, revocatio juramentorum fidelitatis, quæ Exarchatus, & Pentapoleos Urbes eidem Rodulpho Regi præſtiterunt.

Hoc Inſtrumentum non habetur in Regeſto authentico Archivii ſecreti, deſumptum tamen eſt ex authentico exemplari, quod in Archivio Molis Adrianæ ſervatur. In eodem autem Regeſto, & in cod. Vat. ſign. nu. 3980. poſt antecedens inſtrumentum ſequuntur illa, quæ extant n. 25. & ſeqq.

IN nomine Domini Amen. Nos GOTTIFRIDUS Præpoſitus Eccleſiæ Solienſis, Salzeburgenſis Diœceſeos magnifici Principis Domini RUDOLPHI Regis Romanorum illuſtris, familiaris Clericus, & Protonotarius ad futuram rei memoriam, Notum eſſe volumus univerſis, quod Excellentiſſimus Princeps Dominus Rudolphus Rex Romanorum illuſtris, Sacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem, & dominam recognoſcens, ac intendens ejus jura non præripere, ſed ea potiùs illęſa ſervare, nos ad Sanctiſſimum Patrem, & univerſalem Dominum, Dominum Nicolaum Divina providentia Summum Pontificem cum ſpecialibus literis deſtinavit, quarum tenor talis eſt.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino, Domino Nicolao Divina providentia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus cum filialis obeditionis reverentiâ, devotiſſima pedum oſcula beatorum.

Ad magnificentiam munerum, & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quæ Imperatores Romani, & prædeceſſores noſtri Reges Romanorum de Romanæ Matris Eccleſiæ uberibus ſuſceperunt, ipſi, velut devoti filii, faciem gratitudinis convertentes; nec minus attendentes, quòd eadem Eccleſia ipſos in dulcedinis benedictione pręveniens, transferendo de Græcis Imperium in Germanos, eiſdem dederat id, quod erant, ut grati prædicarentur filii laudabilis recognitionis effectu; inter cætera, quæ ipſi Eccleſiæ confirmarunt, dimiſerunt, ſeu etiam conceſſerunt, totam terram, quæ eſt à Radicophano uſque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitiſſæ Mathildis, Comitatum Brittenorii, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Maſſam Trabariam, cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras, & poſſeſſiones, & jura ad dictam Eccleſiam pertinentia, in multis privilegiis Imperatorum à tempore Ludovici expreſ-

expreſſa, ſive contenta, ipſi Beato Petro Cœleſtis regni Clavigero, ejuſque ſucceſſoribus, & eidem Eccleſiæ dimiſerunt, renuntiaverunt, reſtituerunt, & confirmarunt, & ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valeret, & efficaciùs poſſet intelligi, contulerunt, conceſſerunt, & etiam donaverunt, ſicut in eorum privilegiis, ſeu literis continetur; noſque poſtmodum, prout Domino placuit, ad regalis excellentiæ culmen aſſumpti, prædicta omnia in pręſentia recolendæ memorię Domini Gregorii Papę X. recognovimus, ac ea omnia, & ſingula ipſi pro prædicta Eccleſia, ſe, ſuiſque ſucceſſoribus recipienti, confirmavimus, innovavimus, & de novo conceſſimus, atque donavimus, ipſa nihilominus pręſtito corporaliter juramento firmantes.

Verùm quia poſtmodum abſque noſtro conſenſu, conſcientia, vel mandato Rodulphus Cancellarius noſter à civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, nec non & aliis aliorum Civitatum atque locorum illarum partium juramentum fidelitatis noſtro nomine dicitur recepiſſe; nos dilectum familiarem Clericum noſtrum Magiſtrum Gottifridum Prępoſitum Solienſem, Regalis Aulæ Protonotarium, tranſmittimus ad veſtræ præſentiam Sanctitatis, cui damus præſentibus noſtris patentibus literis in mandatis, ut quidquid per eumdem Cancellarium, ſeu quemcumque in prædictis Civitatibus, locis, & terris, ſeu per homines ipſorum civitatum, terrarum, atque locorum, actum, geſtum, recognitum extitit, & prædicta juramenta ſpecialiter revocet, caſſet, annullet, irritet, caſſa, nulla, & irrita nuntiet, ac omnibus viribus vacuet; volentes, & conſentientes expreſsè, quòd per hoc nullum jus nobis accreſcat, vel Eccleſiæ Romanæ depereat tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem, in Civitatibus, terris, & locis præfatis, ac hominibus, juribus, & juriſdictionibus eorumdem, & univerſis, & ſingulis Civitatibus, Communitatibus, locis, & hominibus ſupradictis ex parte noſtrâ omnia, & ſingula prædicta denuntiet, denuntiando ſollicitet, & inducat eoſdem, quòd veſtrum, & Eccleſiæ prædictæ dominium recognoſcentes, vobis, & Eccleſiæ memoratæ, tamquam eorum vero domino in omnibus, & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant, promittentes nos ratum habituros, & firmum, quidquid idem Magiſter Gottifridus ordinandum, ſeu faciendum duxerit in præmiſſis. Datum Viennæ IV. Kal. Junii Indictione VI.

anno Domini MCCLXXVIII. Regni verò noſtri anno quinto.

Nos itaque traditi nobis ab eodem Domino Rege auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Rodulphus Cancellarius ejuſdem Domini Regis à civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, Cervienſibus, & Forlivienſibus, ac hominibus caſtrorum Montisfeltri, & Brittenorii, ac aliis Communitatibus, Univerſitatibus, & incolis Civitatum, & locorum partium earumdem, ſeu eorum aliquibus, pro ipſo Domino Rege dicitur recepiſſe; ac quidquid per eumdem Cancellarium, ſeu quemcumque alium, in eiſdem Civitatibus, terris, & locis, ſive per Cives, aut alios ſupradictos actum, geſtum, & recognitum extitit; remittentes, revocantes, caſſantes, annullantes, irritantes, caſſa, nulla, & irrita nuntiantes, ac omnibus viribus vacuantes, eiſdem Civibus, incolis, & aliis univerſis, & ſingulis ex parte ipſius Domini Regis omnia, & ſingula prædicta, in eiſdem contenta literis, denuntiamus, & denuntiando eoſdem cives, homines, communitates, univerſitates, & incolas ſollicitamus, & inducimus, quod eorumdem Domini Papæ, & Eccleſiæ recognoſcentes dominium, dictis Domino Papæ, & Eccleſiæ, tamquam vero Domino in omnibus, & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant.

Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum hæc omnia conſcribi, & in publicum inſtrumentum redigi per Magiſtrum Paulum de Reate Apoſtolica auctoritate Tabellionem ſubſcriptum, fecimus, atque rogavimus, & proprio ſigillo munivimus. Volumus tamen, & conſentimus, quòd ſi dictum ſigillum quovis modo, vel caſu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus Inſtrumentum ipſum in ſuo vigore permaneat, ac ſi de ipſo ſigillo facta mentio non fuiſſet. Actum Viterbii in Epiſcopali palatio, in magno Conſiſtorio in præſentia Sanctiſſimi Patris Summi Pontificis prędicti Dom. Nicolai Papæ III. & Venerabilium Patrum Sacri cœtus Dominorum Cardinalium coram his teſtibus, ſcilicet, Domino B. Archiepiſcopo Ravennate, Domino G. Archiepiſcopo Corinthienſi, Domino H. Epiſcopo Lunenſi, Domino P. Epiſcopo Firmano, Domino ... Epiſcopo Viterbienſi, Domino R. Epiſcopo Maſſilienſi, Domino ... Epiſcopo Burgenſi, Domino ... Epiſcopo Gallicenſi, Domino ... Epiſcopo Aprutino, Domino ... Epiſcopo Balneoregenſi, Domino ...

Epiſco-

Epiſcopo Eugubino, Domino V. Epiſcopo Egitanienſi, Domino... Epiſcopo Taurinenſi, Domino... Epiſcopo Famaguſtano, & Domino... Epiſcopo Auraſicenſi, ac multis aliis Clericis, & Laicis in multitudine numeroſa, anno Domini MCCLXXVIII. II. Kal. Julii Indictione VI. Pontificatus Domini Nicolai Papæ III. anno primo.

Ego Paulus de Reate Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius, prædictis interfui, & ut ſupra legitur, rogatus, ſcripſi, publicavi, & ſignum feci.

XXIV.

ANNO 1278. die ultima Junii.

Ejuſdem GOTTIFRIDI Epiſtola ad Exarchatus, & Pentapoleos Urbes de præſtando fidelitatis juramento Eccleſiæ Romanæ.

Hoc etiam Inſtrumētum non habetur in Regeſto authentico Nicol. III. Archivii ſecreti; deſumptū tamen eſt ex authentico exemplari, quod in Archiv. Molis Adrianæ ſervatur.

Providis Viris, Poteſtatibus, Capitaneis, Conſiliis, & Communibus, Bononienſi, Imolenſi, Faventino, Foropopulienſi, Ceſenati, Ravennati, Ariminenſi, Urbinati, Cervienſi, & Forlivienſi, Montisfeltri, & Brittenorii, ac aliis Communitatibus, Univerſitatibus, & incolis aliorum, Civitatum, Caſtrorum, Terrarum, & locorum partium earumdem, GOTTIFRIDUS Præpoſitus Eccleſiæ Solienſis Salzeburgenſis Diœceſeos Magnifici Principis Domini Rudolphi Regis Romanorum Illuſtris, familiaris Clericus, & Protonotarius, ſalutem in Domino.

EXcellentiſſimus Princeps Dominus Rudolphus Rex Romanorum Illuſtris, Sacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem, & dominam recognoſcens, ac intendens ejus jura non præripere, ſed ea potiùs illæſa ſervare; nos ad Sanctiſſimum Patrem, & univerſalem Dominum, Dominum Nicolaum Divina Providentia Summum Pontificem cum ſpecialibus literis deſtinavit, quorum tenor talis eſt.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri &c. *ut pag. 72. uſque ad finem mandati, & ſequitur.*

Nos itaque traditi nobis ab eodem Domino Rege auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Rodulphus Cancellarius ejuſdem Domini Regis à vobis, ſeu aliquibus veſtrûm

pro ipſo Domino Rege dicitur recepiſſe, ac quicquid per eumdem Cancellarium, ſeu quemcumque alium in veſtris Civitatibus, terris, & locis, ſeu per vos, aut alios homines ipſorum, Civitatum, Terrarum, atque locorum, actum, geſtum, & recognitum extitit, remittentes, revocantes, caſſantes, annullantes, irritantes, caſſa, nulla, & irrita nuntiantes, ac omnibus viribus vacuantes, vobis univerſis, & ſingulis, ex parte ipſius Domini Regis, omnia, & ſingula prædicta, in eiſdem contenta literis, denuntiamus, & denuntiando vos ſollicitamus, & inducimus, quòd eorumdem Domini Papæ, & Eccleſiæ recognoſcentes dominium dictis Domino Papæ, & Eccleſiæ, tanquam vero Domino in omnibus, & & per omnia, ſicut debetis, obediatis, pareatis, & etiam intendatis. Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, hæc omnia conſcribi, & in publicum inſtrumentum redigi per Magiſtrum Jacobum Sorbulenſem de Parma ejuſdem Domini Papæ Cameræ Clericum Imperiali auctoritate Notarium publicum infraſcriptum, fecimus, atque rogavimus, & proprio ſigillo munivimus. Volumus tamen, & conſentimus, quòd ſi dictum ſigillum quovis modo, vel caſu, deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus inſtrumentum ipſum in ſuo vigore permaneat, ac ſi de ipſo ſigillo facta mentio non fuiſſet.

Actum Viterbii in Epiſcopali palatio in magno Conſiſtorio in præſentia Sanctiſſimi Patris Summi Pontificis prædicti Domini Nicolai Papæ III. & Venerabilium Patrum Sacri cœtus Dominorum Cardinalium, coram his teſtibus, ſcilicet, Dom. B. Archiepiſcopo Ravennate, Dom. G. Archiepiſcopo Corinthienſi, Domino H. Epiſcopo Lunenſi, Domino P. Epiſcopo Firmano, Domino .... Epiſcopo Viterbienſi, Domino ... Epiſcopo Gallicenſi, Domino ... Aprutino, Domino ... Epiſcopo Balneoregenſi, Domino B. Epiſcopo Eugubino, Domino V. Epiſcopo Egitanienſi, Domino ... Epiſcopo Taurinenſi, Domino P. Epiſcopo Famaguſtano, & Domino ... Epiſcopo Auraſicenſi, ac multis aliis Clericis, & Laicis in multitudine numeroſa. Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo II. Kal. Julii Indictione VI. Pontificatus prædicti Domini Nicolai Papæ III. anno primo.

Et Ego Jacobus Sorbulenſis de Parma Sanctiſſimi Patris Domini Papæ prædicti Cameræ Clericus Imperiali auctoritate Notarius prædictis interfui; prout ſuperiùs legitur, rogatus, ſcripſi, & in publicam formam redegi.

For-

XXV.

Formulæ quatuor Inſtrumentorum à NICOLAO III. ad RODULPHUM Romanorum Regem tranſmiſſæ, ut juxtà eam geſta GOTTIFRIDI Præpoſiti Solienſi rata haberet.

ANNO 1278.

Ex Cod. Vat. nu. 3980. & Regeſto authētico Nicol. III. in Archiv. ſecr.

I. IN nomine Domini, Amen. Nos RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad perpetuam rei geſtæ memoriam recognoſcimus, & fatemur nos diſcretum virum Magiſtrum GOTTIFRIDUM Prępoſitum Eccleſię Solienſis Salzeburgenſis Diœceſeos familiarem Clericum, & Protonotarium noſtrum ad vos Sanctiſſimum Patrem, & univerſalem Dominum, Dominum NICOLAUM Divina providentia Summum Pontificem cum ſpecialibus noſtris literis deſtinaſſe, infraſcripti tenoris: qui Magiſter Gottifridus, traditi ſibi à nobis auctoritate mandati, noſtro nomine proceſſit coram vobis, & Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, ac Prælatorum, & aliorum Clericorum, & Laicorum multitudine copioſa, ad omnia infraſcripta, quæ in literis inde confectis, quarum tenores infrà ſubjiciuntur, ſerioſiùs, continetur. Quæ quidem omnia, & ſingula per eumdem Magiſtrum Gottifridum remiſſa, revocata, annullata, caſſata, irritata, caſſa, nulla, & irrita nuntiata, ac omnibus viribus vacuata, dicta, acta, ſeu geſta, prout in eiſdem literis, & tenoribus pleniùs exprimuntur, recognoſcimus, & fatemur noſtro nomine, voluntate, atque mandato remiſſa, revocata, caſſata, annullata, irritata, caſſa, nulla, & irrita nuntiata, ac omnibus viribus vacuata, acta, ſeu geſta; eaque omnia, & ſingula nihilominus per nos ipſos ex certa ſcientia remittimus, relaxamus, revocamus, caſſamus, annullamus, irritamus, caſſa, nulla, & irrita nuntiamus, ac omnibus viribus vacuamus; volentes, & conſentientes expreſsè, quòd per hoc, quod contra hoc factum eſſet, nullum jus nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris Regibus, aut Imperatoribus Romanis accreſcat, vel in aliquo Eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem. Conſentimus inſuper &c. ut ſupra in alio procuratorio facto Fratri Conrado uſque in finem. Tenores autem prędicti de verbo ad verbùm per omnia tales ſunt. *In nomine Domini, Amen. In præſentia veſtra conſtitutus &c.* Item *In nomine*

Hæc tria Inſtrumenta proximè ſequuntur

mine Domini, Amen. Nos Gottifridus &c. Item, *Providis viris &c.* Prædictæ tres literæ ſubjiciuntur ſtatim infra. Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, & ut hæc omnia vobis Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Nicolao Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus, per nos, & noſtros ſucceſſores Romanorum Reges, & Imperatores perpetuò obſerventur, firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant, præſens ſcriptum aurea Bulla, typario noſtræ Majeſtatis impreſſa, munitum, fieri fecimus, & vobis ad perpetui roboris memoriam exhiberi.

Ponantur teſtes maximè Principes, qui invenientur in comitiva ipſius Regis, & alii nobiles, cum ſubſcriptionibus eorumdem, & alia, quæ in talibus conſueverunt apponi, & fieri.

II. In Nomine Domini, Amen. In præſentia veſtra conſtitutus, Sanctiſſime Pater, & Domine, Domine NICOLAE Divina Providentia Papa III. Ego GOTTIFRIDUS Præpoſitus Eccleſiæ Solienſis Salzeburgēſis Diœceſeos, Magnifici Principis Domini Rudolphi Regis Romanorum illuſtris, familiaris Clericus, & Protonotarius, cum omni reverentia, & devotione Sanctitati veſtræ notifico, quòd Excellentiſſimus Princeps Dominus Rudolphus Rex Romanorum illuſtris, Sacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem, & Dominam recognoſcens, ac intendens ejus jura non præripere, ſed ea potiùs illæſa ſervare, me ad præſentiam veſtram cum ſpecialibus literis deſtinavit, quarū tenor talis eſt. Sanctiſſimo in Chriſto Patri &c. ut ſupra proximè pręcedenti folio, *hoc eſt pag. 72. uſque ad finem mandati.* Ego itaque traditi mihi ab eodem Domino Rege auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Rudolphus Cancellarius ejuſdem Domini Regis à Civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, & Urbinatibus, Cervienſibus, Forlivienſibus, ac hominibus Caſtrorum Montisfeltri, & Brittenorii, ac aliis Communitatibus, Univerſitatibus, & incolis Civitatum, & locorum partium earumdem, ſeu eorum aliquibus, pro ipſo Domino Rege dicitur recepiſſe, ac quidquid per eumdem Cancellarium, ſeu quemcumque alium in eiſdem Civitatibus, Terris, & locis, ſive per Cives, aut alios ſupradictos actum geſtum, & recognitum extitit, remitto, revoco, caſſo, annullo, irrito, caſſa, nulla, & irrita nuntio, ac omnibus viribus

vacuo,

vacuo, & ex parte ipſius Domini Regis volo, & expreſsè conſentio, quòd iidem Cives, Homines, Civitates, Univerſitates, & incolæ, veſtrum, & ipſius Eccleſiæ recognoſcentes Dominium, vobis, & eidem Eccleſiæ, tanquam vero Domino in omnibus, & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant. Porrò ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, hæc omnia conſcribi, & in publicum inſtrumentum redigi per Magiſtrum Paulum de Reate Apoſtolica auctoritate Tabellionem ſubſcriptum, feci, atque rogavi, & proprio ſigillo munivi. Volo tamen, & conſentio, quòd ſi dictum ſigillum quovis modo, vel caſu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus inſtrumentum ipſum in ſuo vigore permaneat, ac ſi de ipſo ſigillo facta mentio non fuiſſet. Actum Viterbii& c. Ego &c.

III. In nomine Domini, Amen. Nos GOTTIFRIDUS Præpoſitus Eccleſiæ Solienſis Salzeburgen. Diœceſeos, Magnifici Principis Domini RUDOLPHI Regis Romanorum illuſtris, familiaris Clericus, & Protonotarius, ad futuram rei memoriam.

Notum eſſe volumus univerſis, quòd Excellentiſſimus Princeps Dominus Rudolphus Rex Romanorum illuſtris Sacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem, & Dominam recognoſcens, ac intendens ejus jura non præripere, ſed ea potiùs illæſa ſervare, nos ad Sanctiſſimum Patrem, & univerſalem Dominum, Dominum Nicolaum Divina providentia Summum Pontificem, cum ſpecialibus literis deſtinavit, quarum tenor talis eſt. Sanctiſſimo in Chriſto Patri &c. ut ſupra uſque in finem. Nos itaque traditi nobis ab eodem Domino &c. ut ſupra proximè, uſque recognitum extitit; remittentes, revocantes, caſſantes, annullantes, irritantes, caſſa, nulla, & irrita nuntiantes, ac omnibus viribus vacuantes, eiſdem Civibus, & incolis, & aliis univerſis, & ſingulis, ex parte ipſius Domini Regis, omnia & ſingula prædicta, in eiſdem contenta literis, denuntiamus, & denuntiando eoſdem Cives, Homines, Civitates, Univerſitates, & incolas ſollicitamus, & inducimus, quòd eorumdem Domini Papæ, & Eccleſiæ recognoſcentes dominium, dictis Domino Papæ, & Eccleſiæ, tanquam vero Domino, in omnibus, & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant. Porrò ad certitudinem &c. ut ſupra uſque in finem.

Vide pag. 72.

Nempe pag. 78 lin. 26.

IV. Pro-

IV. Providis Viris, Poteſtatibus &c. *ut ſupra pag.* 75. *uſque ad pag.* 76. *lin.* 9. *in illis verbis*, pareatis, & etiam intendatis, *& ſequitur.* Porrò ad certitudinem &c. ut ſupra. Actum &c. Et ego &c.

Providis Viris, Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Bononienſibus. GOTTIFRIDUS &c. uſque, ſeu quemcumque alium in veſtra Civitate, ſeu per vos, aut Concives veſtros, actum geſtum &c. ut ſupra uſque in finem *pag. ſcilicet* 76. *lin.* 1.

In eundem modum aliis ſingularibus Civitatibus, Locis, & Terris ſuperiùs nominatis.

XXVI.

Ejuſdem NICOLAI III. mandatum GOTTIFRIDO Præpoſito Solienſi Nuntio RODULPHI Regis Romanorum.

Voluntatis, & propoſiti Domini Papæ exiſtit, quòd juramenta fidelitatis exhibita à Bononienſibus, Imolenſibus, & aliis de Romaniola, Nuntiis Domini RODULPHI Regis Romanorum, remittantur, & relaxentur per Magiſtrum Gottifridum, vel alium, qui ſuper hoc ab ipſo Rege mandatum habeat ſpeciale, cum ipſa loca Romanæ Eccleſiæ pleni juris, & proprietatis exiſtant.

ANNO 1278. die 1. Julii.

NICOLAUS Epiſcopus &c. Dilecto filio Magiſtro GOTTIFRIDO Præpoſito &c.

Ex eodem Cod. Vat. & Regeſt.

SIcut communis tenet opinio, Rudolphus Cancellarius chariſſimi in Chriſto filii noſtri Rudolphi Regis Romanorum illuſtris, à Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, & Forlivienbus, ac Hominibus Montisferetri, Brittenorii, Ariminenſibus, & Urbinatibus, Communitatibus, Univerſitatibus, Civibus, & incolis aliorum, Civitatum, Terrarum, ſeu locorum partium earumdem, certa juramenta fidelitatis, vel alia ejuſdem Regis nomine, & pro ipſo ſibi fecerat exhiberi. Unde, cum Civitates, Terræ, ac Loca prædicta Romanæ Eccleſię pleni juris, & proprietatis exiſtant, & earum dominium ad eamdem Eccleſiam pertinere noſcatur, idemque Rex, ut aſſeris, tibi commiſerit, ut juramenta ipſa, & quid-

quidquid per eumdem Cancellarium, ſeu quemcumque alium in prædictis Civitatibus, Terris, & locis, ſeu per homines ipſorum Civitatum, Terrarum, atque locorum actum, geſtum, & recognitum extitit, ad dictum noſtrum remitteres, vacuares, caſſares, annullares, irritares, caſſa, nulla, & irrita, nuntiares, ac omnibus viribus vacuares, noſtri beneplaciti, ac voluntatis exiſtit, ut eadem juramenta, & quidquid ſecutum eſt ex eis, per te, juxta quòd idem Rex tibi commiſit, vel per quemcumque alium, habentem ad hoc ab eodem Rege mandatum, remittantur, & penitus revocentur. Datum Viterbii Kalend. Julii Pontificatus noſtri anno primo.

XXVII.

NICOLAI III. Epiſtolæ de recipiendis Apoſtolicæ Sedis nomine juramentis fidelitatis Urbium, & Communitatum Romandiolæ.

ANNO 1278. die 22. Junii.

NICOLAUS &c. Fratri Joanni de Viterbio Ordinis Prædicatorum Nuntio noſtro.

Ex Regeſto majori authentico Nicolai III. an 1. ep. 37. de Curia in Arch. ſecreto.

I. AD partes Romaniolæ, quas interna mente conſpicimus, affectus noſtros dirigere nos perurget anxietas, ut illas, & ejus incolas ab olim diſſenſionum anfractibus fluctuantes, in Matris Eccleſiæ gremio conſtringamus, inibi maternâ dulcedine potituros; tunc enim titubantia corda ſubditorum exultant, cum fugatis nubibus claritatem aſpiciunt, & proprium Dominum recognoſcunt, ac ducatu ducis pacifici diriguntur. Intendentes igitur, ut iidem incolæ, abjectis, quibuslibet hæſitationibus, infra brachia ejuſdem Eccleſiæ ſub ejus vero dominio, quod ad eamdem Eccleſiam pertinet, proſperentur. Volumus, quòd illi ex eiſdem incolis, quos requirendos in hac parte cognoveris, tibi ſuper recognitione ipſius dominii pro nobis, & Eccleſia prædicta, & aliis, quæ circa præmiſſa eiſdem ex parte noſtra retuleris, acquieſcant, ut nos in hoc dignè lætati de ſtatu ipſorum in poſterum, ſicut ad nos principaliter pertinet, ſalubriùs, dante Domino, diſponamus; Tu verò ad partes eaſdem te perſonaliter conferens, ſic eoſdem incolas ad recognitionem dicti dominii clara monitione reducas, & ad præmiſſa circumſpectione providâ diligenter intendas, quòd

poſſis

poſſis exinde meritò commendari; quæ de iis inveneris, nobis in tuo reditu fideliter relaturus. Datum Viterbii x. Kal. Julii anno primo.

In eumdem modum Giffrido de Anagnia Decano Eccleſiæ S.Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellano, & Nuntio noſtro.

Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Forolivienſi.

ANNO eodem, die 22. Junii. *Ibidem ep.* 38.

II. Levantes in circuitu oculos noſtros ad ſingula, quæ noſtris incumbunt humeris, ex debito commiſſi nobis officii tenemur, in quantum patitur humana conditio, aciem noſtræ mentis extendere; ſcilicet circa conſervationem jurium Romanæ Matris Eccleſiæ, cui licet immeriti præſidemus, intendere, ac ad filios nobis prærogativa ſpecialitatis adjunctos præcordia noſtra convertere, nos pertingit cura ſollicita, incitat affectus, & urget inſtantiùs debitum Apoſtolicæ ſervitutis, ut eadem jura refloreant, devotorum mentes quietis ubertate ſuccreſcant, devotione fœcundent, & in eis eadem Eccleſia delectetur. Profecto Civitatem veſtram, & nonnulla alia, terras, & loca partium Romaniolæ, quæ ſub propriis, & ſpecialibus ad præſens non duximus exprimenda nominibus, cum generali vocabulo Romaniola hoc tempore nuncupentur, ac eorum incolas ipſi Eccleſiæ immediatè ſubeſſe, ipſorumque dominium ad eamdem Eccleſiam pertinere, longa Romanorum Imperatorum declaravit antiquitas, continuavit ipſorum providentia Principum, & Chariſſimus in Chriſto filius noſter Rodulphus Rex Romanorum Illuſtris, prædictorum Imperatorum ſuper jis acta recognoſcens, & recognoſcendo confirmans, ea omnia ipſi Romanæ Eccleſiæ de novo conceſſit, atque donavit, prout in nonnullis eorumdem Principum, & Regis ſcripturis authenticis inde confectis pleniùs continetur. Et licet, ſicut accepimus, Rodulphus Cancellarius Regis ejuſdem, ſeu quivis alius, à vobis, & prędictorum terrarum, ac locorum incolis certa juramenta, ſine dicti Regis, prout à nonnullis aſſeritur, conſcientia, vel mandato, ſibi ejuſdem Regis nomine, vel ipſi Regi fecerit exhiberi; dictus tamen Rex quidquid contra prædictas declarationes, recognitiones, conceſſiones, atque donationes, ſeu aliqua prædictorum per ipſum Regem, ſeu ejus Nuntios, vel Officiales ſuo mandato, vel nomine, ſeu quemcumque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum, revo-

revocavit, caſſavit, annullavit, irritavit, & omnibus viribus vacuavit, volens, & expreſsè conſentiens, quòd tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem per hoc nullum ſibi jus in prædictis accreſceret, vel in aliquo prædictorum ipſi Eccleſiæ deperiret. Conceſſit inſuper, atque conſenſit, quod eadem Eccleſia per ſe, ac alios accipiat, nanciſcatur, intret, & apprehendat, abſque ulla ipſius Regis requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi, omnium prædictorum, & eorum, quæ pertinent ad prædicta; promittens quòd ipſe per ſe, vel per alium, ſeu alios non impediet præfatam Eccleſiam in prædictis, ſed eam in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quàm tenendis, & habendis, ſuo poſſe perpetuò adjuvabit, ac nihilominus per Procuratorem ſuum, plenum ad hoc exhibentem mandatum, prædicta omnia, & ſingula in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia, & aliorum multitudine copioſa, publicè, ac ſolemniter innovavit, ſicut apparet publicis, & authenticis documentis. Dignè igitur ad vos, & alios partium earumdem, noſtros, & ipſius Eccleſiæ filios ſpeciales, noſtra ſtudia convertentes, vos, & ipſius Eccleſiæ jura favoribus conſervare proponimus, fovere præſidiis, & à diſpendiis præſervare, ut vobis, & aliis incolis prædictis in gremio recumbentibus Eccleſiæ memoratæ, dicta lætetur Eccleſia, jura ipſa fructificent, devotio veſtra concreſcat, & excluſis animorum hæſitationibus, quibus languiſſe percipimus vos, & incolas ſupradictos, vobis, & illis optatæ tranqullitates adveniant, ac fugatis omnibus, quæ nubilo præmiſſa contexerant, eadem jura, & devotio perfectâ reluceant claritate. Cupientes quòque, quòd in hac parte noſtris deſideriis Divinâ cooperante Clementia, ſatisfiat, dilectum filium Fratrem Joannem de Viterbio ordinis Fratrum Prædicatorum latorem præſentium, de cujus fidelitate ac circumſpectione confidimus, ad vos duximus deſtinandum, devotionem veſtram paternis monitis excitantes, ac vobis nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus informationibus dicti Fratris veſtros animos in plena quiete ſpirituum applicantes, ſic actus, & ſenſus veſtros, ac aliorum earumdem partium, quantùm in vobis extiterit, ad recognoſcendum ejuſdem Eccleſiæ dominium promptis ſpiritibus accingatis, quod ipſa veſtræ promptitudinis exhibitio, grata nobis auſpicia de veſtra devotione miniſtret, voſque in pectore noſtro filios devotionis adſcribat, paternis benedictionibus confovendos,

dos,

dos, nec patiamini diſſenſibili varietate convinci; nam ſi, quòd abſit, contrarium ſentiremus, compelleremur, & meritò per alias vias, quibus expedire viderimus, manum Apoſtolicæ proviſionis extendere ad proſecutionem, & conſervationem jurium eorumdem, cum ad id ex incumbenti nobis officio teneamur. Datum Viterbii x. Kal. Julii anno primo.

In eumdem modum Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Foropopulienſi. Datum xii. Kal. Julii.

In eumdem modũ Poteſtati, Conſilio, & Communi Cæſenati.

In eumdem modũ Poteſtati, Conſilio, & Communi Faventiæ.

In eumdem modum Poteſtati, Conſilio, & Communi Caſtri Brittenorii, Levantes &c. uſque, profectò Caſtrum veſtrum, & non nulla alia, terras, & loca &c. verbis commodè mutatis.

In eumdem modum Poteſtati, Conſilio, & Communi Ariminenſi.

In eumdẽ modum Poteſtati, Conſilio, & Communi Cervienſi.

In eumdem modum Bononienſibus extrinſecis, verbis commodè mutatis. Datum Viterbii x. Kal. Julii.

Iſtæ ſunt literæ, quas portavit Fr. Joannes de Viterbio.

Iſtas literas inferiùs poſitas portavit Giffridus Decanus S. Audomari Morinenſis Diœceſeos.

In eumdem modum Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Bononienſi. Levantes &c. uſque, Divina cooperante clementia ſatisfiat, dilectum filium Giffridum de Anagnia Decanum Eccleſiæ S. Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellanum, & Nuntium noſtrum, latorem præſentium, de cujus fidelitate &c. ut in alia uſque in finem. Datum xii. Kal. Julii.

In eumdem modũ Poteſtati, Conſilio, & Communi Ravennæ.

In eumdem modum Faventinis, Forolivienſibus, & Cæſanatibus extrinſecis.

In eumdem modum Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Bagnacavalli.

GIFFRIDO de Anagnia Decano Eccleſiæ S. Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellano, & Nuntio noſtro.

Ibid. Epiſt 39. III. Levantes &c. uſque profectò Civitatem Bononienſem, & non nulla alia &c. uſque ſeu quivis alius à Civitatis, terrarum, & locorum prædictorum incolis certa juramenta &c. uſque, digne

igitur

igitur ad incolas partium earumdem noſtros &c. verbis commode mutatis, uſque confidimus, ad partes eaſdem duximus deſtinandum; per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus traditas tibi virtutes à Domino prudenter exercens, eoſdem incolas ad recognoſcendum Eccleſiæ memoratæ dominium ſollicitis ſtudiis dirigas, & inſtruas efficaciter, ac informes, ita quòd nos ipſos taliter informatos, & plena inſtructione ad beneplacita noſtra ſuccinctós, poſſimus intra Sedis Apoſtolicæ brachia dilectos adſcribere, ac benedictionibus paternis confovere, tuque poſſis exindè meritò commendari; nobis, quòd de præmiſſis inveneris, in tuo reditu fideliter relaturus. Datum Viterbii x. Kal. Julii anno primo.

In eumdem modum Fratri Joanni de Viterbio Ordinis Prædicatorum Nuntio noſtro.

GIFFRIDO de Anagnia Decano Eccleſię S. Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellano noſtro, & Fratri Joanni de Viterbio Ordinis Fratrum Prædicatorum.

IV. Expedit veſtram non latere notitiam, quòd Omnipotens Dominus Eccleſiam ſuam oculo benigno reſpiciens, & filiis ſuis intellectum exhibens veritatis, nuper dilectus filius Poteſtas, Capitaneus, Conſilium, & Commune Bononienſe noſtri, & Eccleſiæ Romanæ fideles, ſpeciales Syndicos ad noſtram præſentiam deſtinarunt, qui coram nobis, & Fratribus noſtris præſentialiter conſtituti, vicè, ac nomine Poteſtatis, Capitanei, Conſilii, & Communis eorumdem, pro ipſa Civitate, territorio, ac diſtrictu ipſius, & pro univerſis, & ſingulis prædictorum Civitatis, territorii, ac diſtrictus, noſtrum, & ejuſdem Eccleſiæ recognoverunt dominium, & nobis juramentum fidelitatis debitæ præſtiterunt; promittentes expreſſiùs, quòd iidem Poteſtas, Capitaneus, Conſilium, & Commune, ac univerſi, & ſinguli ſupradicti perpetuis temporibus nos, ac ſucceſſores noſtros, & prædictam Eccleſiam veros dominos recognoſcent: & confeſſi ſunt nihilominus Civitatem Bononienſem, & totale territorium, ac diſtrictum eadem, ad Beatum Petrum Cœleſtis Regni Clavigerum, & ad nos, & Succeſſores, & Eccleſiam eoſdem pleno jure, ac integrè in temporalibus in ſolidum pertinere, ac noſtri, ſucceſſorum, & Eccleſiæ prędictorum pleni dominii, ditionis, juris, *Ibid. Epiſt. 46.*

juriſdictionis, poteſtatis, ac Principatus exiſtere, præmiſſa omnia in perpetuum ſervaturi. Quo circa monemus quatenus vos, vel alter veſtrûm, ſollicitis ſtudiis procuretis, quòd iidem Poteſtas Capitaneus, Conſilium, & Commune, ac univerſi, & ſinguli ſupradicti, prædicta omnia facta per Syndicos memoratos, juxtà formam, quam per dilectum filium Magiſtrum Guillelmum Duranti Cappellanum noſtrum, & Fratrem Laurentium de Tuderto Ordinis Fratrum Prædicatorum uobis tranſmittimus, in eadem Civitate, in concione publica, ad ſonum campanæ, vel vocem præconis, more ſolito congregatâ, per Syndicum tunc præſentem ibidem, legitimè ac publicè propter hoc ſpecialiter ordinatum, & ſingularitèr omnes in eadem Civitate, ac aliis locis territorii, & diſtrictus eorumdem (cum hoc ſpecialiter inter nos, & Syndicos eoſdem actum extiterit) publicè ratificent, & acceptent; ea nihilominus tam per Syndicum, quàm per ſingulos innovando, & impenſis propriis de novo, ſimplicitèr, & abſolutè per omnia faciendo, eaque ſe plenariè impleturos, & inviolabilitèr ſervaturos vobis, vel alteri veſtrûm, noſtro, & Eccleſiæ præfatę nomine, ſolemni ſtipulatione promittant; ita quòd devotionem ipſorum erga nos, & eamdem Eccleſiam ſuccreſcere cognoſcamus, voſque poſſitis exindè meritò commendari. Quidquid autem ſuper iis duxeritis faciendum, unâ cum tenore præſentium redigi faciatis in publica documenta, eadem ad noſtram delaturi præſentiam, vel nobis per fidelem Nuntium tranſmiſſuri. Datum &c.

Eiſdem.

V. Expedit &c. uſque veritatis, nuper Poteſtates, Capitanei, Conſiliarii, Communitates, & Univerſitates Civitatum, Caſtrorum, & Locorum partium Romaniolæ noſtri, & Eccleſiæ Romanæ fideles, ſpeciales Syndicos ad noſtram præſentiam deſtinarunt, qui coram nobis, & Fratribus noſtris præſentialiter conſtituti, vice ac nomine Poteſtatum, Capitaneorum, Conſiliariorum, Communitatum, & Univerſitatum eorumdem, pro ipſis Civitatibus, Caſtris, & Locis, territoriis, & diſtrictibus ipſorum, & pro univerſis, & ſingulis prædictorum Civitatum, Caſtrorum, Locorum, territorii, & diſtrictuum, ejuſdem Eccleſiæ recognoverunt dominium, & nobis juramentum fidelitatis &c. verbis commodè mutatis uſque in finem. *Epiſt. 47.*

Dilecto

Dilecto filio GIFFRIDO de Anagnia Decano Eccleſiæ S. Audomari Morinenſis Diœceſeos, & GUILLELMO Duranti Cappellanis noſtris, ac Fratribus JOANNI de Viterbio, & LAURENTIO de Tuderto Ordinis Fratrum Prædicatorum.

VI. Expedit &c. ſicut in prima, uſque mandamus, quatenus vos, vel tres, aut duo, ſeu unus veſtrûm &c. uſque juxtà formam, quam vobis, filii Guillelme, & Laurenti, dedimus, in eadem Civitate &c. *Epiſt. 48.*

Eiſdem.

VII. Expedit &c. ſicut in ſecunda, uſque mandamus, quatenus vos, vel tres, ſeu unus veſtrûm &c. uſque in finem.

Dilectis filiis Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Bononienſi, ac Univerſis per territorium, & diſtrictum Bononienſem conſtitutis, noſtris, & Eccleſiæ Romanæ fidelibus.

VIII. Omnipotens Dominus Eccleſiam ſuam oculo benigno reſpiciens, & vobis intellectum exhibens veritatis, vos dirigit per ſuorum ſemitam mandatorum, ut in ipſius Eccleſiæ gremio, prædilecti Filii, recumbatis, ſicut ex eo nuper apertè collegimus, quòd ſpeciales Syndicos ad noſtram præſentiam deſtinaſtis, qui coram nobis, & Fratribus noſtris præſentialiter conſtituti, vice ac nomine veſtro, & pro vobis, ejuſdem Ecceleſiæ recognoverunt dominium, & nobis juramentum &c. ſicut in prima, verbis commodè mutatis, uſque ſervaturi. Nos autem ad vos, & alios illarum partium ſpecialis affectionis animum convertentes, ac cupientes ſtatum veſtrum in proſperitate quietis, & pacis, juxtà noſtra deſideria ſolidari, Venerabilem Fratrem noſtrum Latinum Oſtienſem, & Velletrenſem Epiſcopũ Apoſtolicæ Sedis Legatum ipſius Eccleſiæ nobile membrum, illuc providimus propter præmiſſa ſpecialiter, de Fratrum noſtrorum conſilio deſtinandum; dilectum filium Giffridum de Anagnia Decanum Eccleſiæ S. Audomari Morinenſis Dœceſeos, & Guillelmum Duranti Cappellanos noſtros, ac Fratres Joannem de Viterbio, & Laurentium de Tuderto Ordinis Fratrum Prædicatorum, veluti ejuſdem Cardinalis præcurſores induſtrios, ut prædicta omnia majori claritate *Epiſt. 49.*

procedant, nihilominus præmittendo; quibus per alias literas noſtras injungimus, ut ipſi, vel tres, ſeu duo, aut unus eorum ſollicitè procurent, et faciant, quòd vos præfata omnia per Syndicos memoratos &c. uſque promittatis. Quo circa Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus in devotione ipſius Eccleſiæ animos veſtros, ſicut devoti filii, promptis ſpiritibus confirmantes, monitis, & mandatis eorumdem Cappellanorum, & Fratrum, immò potiùs noſtris, circa ratificationem, acceptationem, ac innovationem, & alia ſupradicta, per Syndicum, & ſingulos ſupradictos impenſis propriis, de novo, ſimpliciter, & abſolutè per omnia faciendo, ſic efficaciter pareatis, quòd devotione veſtrâ de bono in melius ſuccreſcente, noſtram, & ejuſdem Eccleſiæ gratiam vobis, tamquam benedictionis filii, meritò vindicetis. Dat.

In eumdem modum dilectis filiis, Poteſtatibus, Capitaneis, Conſiliariis, Communitatibus, & Univerſitatibus, Ciuitatum, Caſtrorum, & Locorum, ac Comitibus, Baronibus, & Nobilibus per Romaniolam conſtitutis, noſtris, & Eccleſiæ fidelibus, verbis commodè mutatis.

Dilecto filio GIFFRIDO de Anagnia Decano Eccleſiæ S. Audomari Morinenſis Diœceſeos, & GUILLELMO Duranti Cappellanis noſtris, ac Fratribus JOANNI de Viterbio, & LAURENTIO de Tuderto Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Epiſt 53. IX. Cum vos ad Civitatem Bononienſem, & alias partes Romaniolæ, pro ratificatione, innovatione, ac acceptatione eorum, quæ circa recognitionem dominii, & exhibitionem juramenti fidelitatis debitæ per Syndicos Civitatis, & partium earumdem, facta ſunt coram nobis; & pro aliis per Poteſtates, Capitaneos, Conſiliarios, Communitates, Univerſitates, & alios partium prædictarum generaliter, & ſingulariter circa recognitionem, juramenti exhibitionem, innovationem, ratificationem, & acceptationem prædictas faciendis, ſpecialiter deſtinemus, intendentes, quòd quidquid fieri contigerit in præmiſſis, abſque involutione qualibet, in omni ſoliditate procedat; mandamus, quatenus inſtrumenta, & alias ſcripturas pro prædictis omnibus, & ſingulis facienda,

per

per certos, & notos Tabelliones publicos, per vòs ad hoc ſpecialiter deputandos, conſcribi fideliter faciatis; diſtrictiùs inhibentes, ne aliquis alter inſtrumenta ipſa, vel aliquod ipſorum, conficere, vel ſcripturas conſcribere quoquo modo præſumat; in contrarium præſumentes, excommunicationis, ſuſpenſionis à Tabellionatus officio, ac privationis ſententias, vos, vel tres, ſeu duo, aut unus veſtrûm, auctoritate Apoſtolica promulgando, aut nuntiando, inſtrumenta, & ſcripturas hujuſmodi, ſi ea quomodolibet contra inhibitionem ipſam apparere contigerit, non tenere. Dat. Viterbii.

XXVIII.

Ejuſdem NICOLAI III. Epiſtola ad RODULPHUM Regem.

ANNO 1278. die 17. Novembris.

Scribit Dominus PAPA, Domino RODULPHO Regi Romanorum Illuſtri, & ipſius Serenitatis amœnitatem exponens, ac repetens proceſſus inter Romanam Eccleſiam,& ipſum habitos, rogat ipſum, & hortatur attentiùs, quòd privilegia repræſentanda ſibi per GIFFRIDUM Decanum Sancti Audomari Nuntium Eccleſię Romanæ ſuppleat, & perfici faciat, & procuret, quòd ad id Principum Alamanniæ conſenſus accedat.

NICOLAUS Epiſcopus &c. Regi Romanorum illuſtri &c.

Ex Cod. Vat. n. 3980. & Regeſt autbentico Arch ſecreti epiſt. 48.

CLaret in gentibus tuæ Serenitatis amœnitas, refulgent in ea radii claritatum, & ſua claritate proſperè ſuccreſcente, reſplendent, ſicque infra Matris Eccleſiæ mœnia regale ſolium roboras, honoribus amplias, & adauges, feliciter magnificas incrementis. Talis quidem ſplendor mentem noſtram clarificat, ſerenat, intrinſecat, & excitat affectus Patris ad filium, infra clauſtrum pectoris recumbentem, ut claris ſuccreſcas auſpiciis, ſecurè proficias, & in ipſa Matre, ſicut præclarus filius, ſolideris. Ad hoc enim cogitatus noſtros extendimus, & plenis vigiliis roboramus, ut in quibuslibet tuis proceſſibus omnis maturitas obſervetur, ut ipſi conſultè, ac providè dirigentur; ad hoc intendimus, & ipſa laborat Eccleſia, quòd omnibus deliberatione ple-

nariâ limitatis, & diſcuſſis, attentiùs nos, & eadem Eccleſia, gratâ jurium noſtrorum perceptione lætemur, & illis clara diſtinctione fruamur, tuque tali præponderatione in omni puritate procedens, quietè fulciaris acceptâ, & à futuris anfractibus præſerveris. Ad hoc quoque tua cum noſtris debent vota concurrere, cum ex jis quies ſuccedat ſalubriùs utriuſque, tua potiſſimè, qua ipſi Eccleſiæ charus aſtringeris, & affabiliter præſentaris. Sane dudum, ſicut noſti, fili chariſſime, dilectus filius Frater Conradus Miniſter Ordinis Fratrum Minorum ſuperioris Alamanniæ pro te ad Sedem Apoſtolicam deſtinatus, devotionem ſynceram, & intentionem puram, quam ad Romanam geris Eccleſiam, nobis, & Fratribus noſtris prudenter expoſuit, & omnia, & ſingula per quondam Ottonem Præpoſitum Eccleſię Sancti Guidonis Spirenſis Regiæ Aulæ Cancellarium dicta, ſive promiſſa, acta, ſeu geſta, & demum per te ipſum in præſentia fel: recor: Gregorii Papæ X. prædeceſſoris noſtri recognita, confirmata, innovata, & de novo conceſſa, promiſſa, dicta, acta, ſeu geſta, ſtatuta, ſive jurata, dictus Frater in noſtrâ, & eorumdem Fratrum præſentiâ tuo nomine, & pro te debitis, & plenis ſolemnitatibus recognovit, ratificavit, & etiam approbavit; & poſtmodum dilectus filius Gottifridus Præpoſitus Eccleſię Solienſis, Salzeburgenſis Diœceſeos familiaris Clericus, & Protonotarius tuus, ex parte tua, cum ſpecialibus mandato, & literis, ad Sedem tranſmiſſus eamdem, traditi ſibi à te auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Rodulphus Cancellarius tuus à Civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Forolivienſibus, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, necnon & aliis aliarum Civitatum, & Terrarum illarum partium, atque Locorum, quæ ipſius Eccleſiæ juris exiſtunt, pro te dicitur recepiſſe, & quicquid per eumdem Cancellarium, ſeu quemcumque alium in eiſdem Civitatibus, Terris, & Locis, ſeu per Poteſtates, Capitaneos, Conſiliarios, & Communia, ſeu alios homines ipſorum Civitatum, Terrarum, atque Locorum, actum, geſtum, & recognitum extitit, remittens, revocans, caſſans, annullans, irritans, caſſa, nulla, & irrita, nuntians, ac omnibus viribus vacuans, eiſdem Poteſtatibus, Capitaneis, Conſiliis, & Communibus, ac aliis univerſis, & ſingulis, ex parte tuâ, omnia, & ſingula prædicta, & alia in Regiis contenta literis nuntiavit, & denuntiando ſollicitavit, & induxit eoſdem, quòd noſtrum, & ejuſdem Eccle-

ſiæ recognoſcentes dominium, nobis & eidem Eccleſiæ, tamquam vero Domino, in omnibus, & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant; prout hæc omnia, & alia in inſtrumentis publicis inde confectis, tenores quorum per eumdem Fratrem tibi tranſmiſimus, & in aliis noſtris tibi directis literis, ſerioſiùs continentur. Nos autem, ut tuæ Serenitatis integritas reluceret, petivimus, quòd tu præmiſſa omnia, & ſingula per ſpecialia privilegia, regali aureâ Bullâ munita, diſtinctè recognoſceres, ratificares, confirmares, innovares, & de novo concederes, omnia corporali præſtito juramento firmando, & ipſa privilegia ſuper jis, & aliis, in eiſdem noſtris contentis literis, de tua conſcientia, & expreſſo mandato conſcripta, faceres aurea Bulla, typario tuæ Majeſtatis impreſsâ, muniri, ipſamque ad perpetuam ſoliditatem, & certitudinem pleniorem, nobis, & ipſi Eccleſiæ ſub formis, quas per eumdem Fratrem tibi tranſmiſimus, exhiberi. Tu verò benedictionis alumnus, Apoſtolicis beneplacitis te conformans, aliqua ex eiſdem privilegiis, nobis per eoſdem Fratrem, & Protonotarium deſtinaſti, ſuper quo tuæ promptitudinis ſtudium multipliciter in Domino cõmendamus. Verùm quia nonnulla, quę per nos ordinata fuerant, & maximè præſtationem juramenti petitam, & aſſenſum Principum, omiſſa comperimus, dilectum filium Giffridum de Anagnia Decanum Eccleſiæ S. Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellanum noſtrum ad te duximus deſtinandum, ut ſuppleantur omiſſa, & omnia ſoliditate debitâ compleantur, & pro celeriori præmiſſorum expeditione prædicto Gottifrido ad te ad præſens cum eodem Decano remiſſo, prædictum Fratrem Conradum in Romana Curia retinemus, ut ipſe tractatum inter te, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Siciliæ Illuſtrem, prout negotii qualitas exegerit, proſèquatur, proſperâ, dante Domino, proſecutione complendum. Ut igitur affectus tuæ devotionis, quem ſic gratanter inhærere ſenſibus noſtris inſpicimus, in effectum perfectæ ſoliditatis appareat, & reſidere in omni puritate probetur, & ut proſperitas tuorum ſucceſſuum, videlicet, de hoſtium tuorum depreſſione victoria, quos diebus iſtis in manibus tuis Divini Judicii virga concluſit, in manſuetudinis gratiâ, quæ poſt triumphum regales actus adornat, te nobis gratum, & aliis repræſentet acceptum, ac de Regia gratitudine poſt felicitatem majorem, nobis, & eidem Eccleſiæ manſueta præſagia repromittat, & ſucceſſivè nos reddat de tua ſynceritate, majori

per-

perfectione ſecuros,Serenitatem regiam rogamus,& hortamur attentè,quatenus eadem privilegia,juxta intentionem noſtram,quam dictus Decanus tibi ex parte noſtrâ explicabit, apertiùs ſuppleas, & perfici facias, & procures, quòd Principum Alamanniæ, quibus ſuper hoc ſcribimus, ad id accedat aſſenſus; ita quòd eiſdem privilegiis in omni claritate, ac ſoliditate perfectis, ipſorum nova data ſuppletiones, & perfectiones hujuſmodi comprehendat; & nos, ac eadem Eccleſia fructus, quos repromittis in floribus, perfectione ſyncerâ juxta noſtra deſideria colligamus, & exinde nobis, & tibi quietis arrideant incrementa. Super præmiſſis autem per prædictum Decanum, de cujus fidelitate, ac circumſpectione confidimus, pleniùs informari, & ejus inſtructionibus percipere poteris, quid præſens negotium ex eminenti ſua qualitate requirit. Datum Romæ xv. Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno primo.

XXIX.

ANNO 1278. die 21. Decembris.

Ejuſdem NICOLAI III. Epiſtola ad Imperii Electores.

Rogat, & hortatur Dominus Papa, JOANNEM Marchionem Brandeburgenſem, quòd ſuper jis, quæ Dominus RODULPHUS Romanorum Rex Illuſtris, per ſe, vel per alium recognoſcet, & ratificabit, ſuum præſtet aſſenſum.

NICOLAUS Epiſcopus &c. Dilecto Filio Nobili viro JOANNI Marchioni Brandeburgenſi &c.

Ex eiſdē Cod. Vat & Regeſt.

STatuit in terris Altiſſimus Romanum Imperium, & ejus culmina dirigi voluit providi ſtabilitate cònſilii, & maturitate providâ gubernari, ut ſecurè procederet, & in negotiis non erraret, cujus Præſidi per te, ac alios Alamanniæ Principes datur in electione principium; vos ipſos illi columnas adjungitis, & aſſiſtitis in ejus gubernatione cuſtodes. Certè multa te, ac alios prędictos potentia dignitatis amplificat, quam arctat in providis circumſpectio veritatis: nam quantò eminentiùs conſilium veſtrum extollitur, tantò maturiùs vos oportet attendere, quod in agendis expediat, ut ex quibuslibet veſtris actibus Pater collaudetur æternus,

nus, decor ſervetur Eccleſię, amplietur cultus juſtitię, ac in omnibus debitum obſervetur, cum ex jis Regnorum, & Principum quietes adveniant, & eorum ſolia roborentur, incrementa vigoris, & gratiæ perceptura. Cum igitur ex tenoribus privilegiorum, & declarationibus Romanorum Imperatorum, quę in Archiviis ſuis Romana ſervat Eccleſia, evidenter appareat, totam terram, quę eſt à Radicophano uſque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitiſſæ Mathildis, Civitates Ravennæ, Æmiliæ, Bobii, Cæſenæ, Forumpopuli, Forlivii, Faventiæ, Imolæ, Bononiæ, & Ferrariæ, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferetri, Territorium Balnenſe, Comitatum Brittenorii, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, & Maſſam Trabariam, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam Eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus territoriis, atque inſulis in terra, marique ad Civitates, & loca prædicta quoquomodo pertinentibus, necnon Civitatem Romanam, Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipſum pertinentibus, tam citrà Fratrum, quàm ultrà, Corſicam quoque, atque Sardiniam, cum cæteris terris, & juribus ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus, ad nos, & eamdem Eccleſiam pleno jure pertinere, ac noſtri, & ipſius Eccleſiæ juris, ditionis, & Principatus exiſtere, & chariſſimus in Chriſto filius noſter Rodulphus Rex Romanorum illuſtris hæc omnia prædicta, & plura alia, quæ per eoſdem Imperatores, & alios prædeceſſores ſuos facta, promiſſa, & geſta fuerant, recognoverit, ratificaverit, declaraverit, ac de novo conceſſerit per ſe, ac ſuos Nuntios ſpeciales. Nos cupientes, ut hæc omnia in ſua ſoliditate permaneant in futurum, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attentè, quatenus prę̆miſſis omnibus, & aliis, quæ per eumdem Regem, vel alios de mandato ſuo, facta, geſta, promiſſa, recognita, & ratificata ſunt, vel fieri, promitti, recognoſci, & ratificari contigerit, tuum præbens aſſenſum, ſic ea ſtudeas promptis ſtudiis approbare, juxta formam, quam tibi per dilectum filium Giffridum de Anagnia Decanum Eccleſiæ Sancti Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellanum noſtrum tranſmittimus, quòd devotio tua, promptitudine vigente, reluceat, obvietur futuris anfractibus, & nos, ac eadem Ecccleſia, dictus Rex, & tu etiam ſucceſſivè, plenæ quietis ubertate fruamur, & in prædicti Regis, & veſtris ſucceſſibus proſperis non immeritò delectemur. Ut autem de præmiſſis plenius infor-

informeris, prædictum Cappellanum, de cujus fidelitate, ac circumſpectione confidimus, ad partes illas duximus deſtinandum, cujus inſtructionibus percipere poteris, quid præſens negotium ex eminenti ſua qualitate requirit. Datum Romæ XII. Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno primo.

In eumdem modum dilecto filio Nobili viro Joanni Duci Saxoniæ.

In e. m. dil. fil. Nobili viro Ludovico Comiti Palatini Rheni Duci Bavariæ.

In e. m. dil. fil. Nobili viro Alberto Duci Saxoniæ.

In e. m. Archiepiſcopo Treverenſi.
In e. m. Archiepiſcopo Colonienſi.
In e. m. Archiepiſcopo Maguntino.

(Hoc excepto, quòd iſtis tribus dicitur ibi,ro & hor. atæ. per Apoſt. tibi ſcripta mandantes, quatenus &c.

Ex eiſdē Cod. Vat & Regeſt.

FORMA, ſecundùm quam Principes Alamanniæ debent ratificare, & approbare privilegia Eccl. Rom. conceſſa, qualiterque ſuper conceſſionibus factis eidem Eccl. ſuum præſtare debent aſſenſum.

NOS PRINCIPES IMPERII &c. *ut infra num.* 34. *Sed in Vaticano Codice, & in Regeſto Archivii ſecreti deeſt data; nam formulam Diplomatis à Principibus Imperii ſubſcribendā exhibent.*

ANNO 1278. die 18. Decembris.

XXX.

Ejuſdem NICOLAI III. inſtructio tradita GIFFRIDO Nuntio Sedis Apoſtolicæ.

Inſtruit Dominus Papa, GIFFRIDUM Decanum Eccleſiæ Sancti Audomari, quem mittit ad Regem Romanorum in Alamannia, qualiter in omnibus debeat ſe habere.

NICOLAUS Epiſcopus &c. Dilecto Filio, GIFFRIDO de Anagnia Decano Eccleſiæ Sancti Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellano noſtro &c.

Ex eiſdē Cod. & Regeſto.

DE tuæ circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinentes, te ad Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Rodulphum Regem Romanorum illuſtrem duximus deſtinandum, & ut eò ſecuriùs, quæ tibi commiſimus, proſequaris, quò clariùs à nobis extiteris informatus, ſic in hujuſmodi proſecutione

ne procedas. In primis Regem ipſum ex parte noſtra cum Apoſtolicæ benedictionis gratia ſalutabis,& prǫſentabis ſibi literas noſtras, quæ incipiunt,*Claret in gentibus &c.*Deinde facias ratificari, innovari, recognoſci, & de novo concedi, ac nihilominus in tua præſentia,corporali præſtito juramento, ſirmari per ipſum Regem omnia,& ſingula, quę per dilectum filium Fratrem Conradum Miniſtrum Fratrum Minorum ſuperioris Alamannię facta fuerunt ipſius Regis nomine coram nobis, prout continentur in quinque inſtrumentis,confectis per manus Magiſtri Pauli de Reate Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ noſtræ Notarii, ejuſdem Miniſtri ſigillo ſignatis, quorum tenores de verbo ad verbum tibi fecimus exhiberi. Ita quòd de prædictis quinque inſtrumentis ratificandis fiant quinque alia ſub aurea BullaRegis,& aliis opportunis ſolemnitatibus,videlicet, de quolibet unum,ſecundùm notam,quam tibi tradi fecimus,quę incipit. *In nomine Domini Amen.Nos Rodulphus Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus, Ad æternam rei geſtæ memor. Recognoſcimus, & fatemur &c.* Diligenter attendens, quòd inter teſtes alios, qui in ratificationibus hujuſmodi apponentur, ponantur Principes, & alii Nobiles cum ſubſcriptionibus eorumdem. Item narrando prædicto Regi Civitates, Terras,& loca, quæ ad nos, & Romanam Eccleſiam clarè, ac diſtinctè pertinent, inducas eumdem Regem, ut omnia,& ſingula, quæ tam in declarando, quam in recognoſcendo, & de novo etiam concedendo, atque donando, & alia faciendo, prout in notis, quas tibi tradi fecimus, quarum una ſic incipit. *Summa Reipublicæ tuitio &c.* & reliqua. *In nomine Domini Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Rodulphus Divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus &c. Ab eo ſolo &c.* pleniùs continentur,promptè,ac liberaliter nobis faciat ſuper iis ſuas literas, ſecundùm formam ipſarum notarum, ſub bulla aurea, ad hæc aſſenſu Principum procurato. Et nihilominùs omnia, & ſingula, quæ fecit in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia Magiſter Gottifridus Præpoſitus Eccleſiæ Solienſis Salzeburgenſis Diœceſeos ipſius Regis Protonotarius, de mandato Regis ejuſdem, facias confirmari ſecundùm formam notæ, quam ſuper hoc tibi fecimus exhiberi. Item præſentabis alias literas noſtras cum ſalutationibus, & benedictionibus decentibus,ſingulis Principibus Alamanniæ,quæ ſic incipiunt. *Statuit in terris &c.* Et poſtmodum procurabis, quòd iidem Principes omnes ſimul, vel diviſim, aut ſingulariter, ſicut meliùs,

Supra num.28. *Supra num.28.* *Supra num.21.* *Supra num.22.* *Supra num.25.* *Supra num.29.*

liùs, & cautiùs fieri poterit, quidquid factum eſt per eumdem Regem, & prædeceſſores ſuos, inter nos, & prædeceſſores noſtros, & Eccleſiam ipſam, ac Regem prædictum fieri contigerit, juxtà formam per nos tibi traditam, dictis Principibus deferendam, quæ ſic incipit. *Nos Principes &c.* ratificent, approbent, & confirment. Quibus omnibus cum ea perfectione, qua convenit, expeditis, & inſtrumentis, vel literis Principum eorumdem confectis, & ſigillis authenticis ſigillatis, ac illis, & prædictis privilegiis Regiis nomine noſtro receptis, privilegia, inſtrumenta, vel literas præfata, nobis cũ diligenti cuſtodia deferes, & ad noſtram præſentiam reverteris. Cæterum prædicta, quæ in memoriali hujuſmodi continentur, & eorum quodlibet ſic attentè percurras, diligenti ſollicitudine inveſtiges, ac ſollicita diligentia proſequaris, quòd nihil per incuriam negotio tanto depereat, nihilque ſuper iis tuæ negligentiæ valeat imputari, quin potius diligentiam tuam poſſimus exindè merito commendare. Dat. Romæ apud S. Petrum xv. Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno primo.

Supra num. 29.

XXXI.

ANNO 1279. die 14. Februarii.

RODULPHI Regis Romanorum.

Ratificatio geſtorum CONRADI Miniſtri Ordinis Minorum coram NICOLAO III. pro confirmandis ejuſdem RODULPHI Regis actis apud Lauſannam tempore GREGORII X.

Ex Autographo authẽtico, quod ſervatur in Archiv. Molis Adrianæ.

IN nomine Domini, Amen. Nos RUDOLPHUS Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus ad æternam rei geſtæ memoriam recognoſcimus, & fatemur Religioſum virum Fratrem CONRADUM Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum ſuperioris Alamanniæ habuiſſe à nobis mandatum, ſigilli noſtri munimine communitum, infraſcripti tenoris, cujus mandati auctoritate noſtro nomine proceſſit coram * vobis Sanctiſſimo Patre Domino NICOLAO Papæ III. & Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, ac Prælatorum, & aliorum Clericorum, & Laicorum multitudine copioſâ, ad omnia infraſcripta, quæ in literis inde confectis, quarum tenor infra ſubjicitur, ſerioſiùs continetur. Quæ quidem omnia, & ſingula per eumdem Fratrem Conradum recognita,

* *In exemplari à Nicolao III. trãſmiſſo deeſt,* vobis.

gnita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata, atque conceſſa, dicta, promiſſa, acta, ſeu geſta, confirmata, ſive jurata, prout in eiſdem literis, & tenore pleniùs exprimitur, recognoſcimus, & fatemur nomine noſtro, & de voluntate noſtrâ recognita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata, atque conceſſa, dicta, promiſſa, acta, ſeu geſta, confirmata, atque jurata, eaque * nihilominus acceptamus, ratificamus, rata, & firma volumus, & decernimus permanere, ac inſuper ea omnia, & ſingula confirmamus, innovamus, & nihilominus ipſa de novo concedimus, atque donamus; & ad noſtram conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenariè ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revocamus, caſſamus, annullamus, irritamus, & omnibus viribus vacuamus quidquid contra prædicta, vel aliquod prædictorum per nos, ſeu per alios noſtros Nuntios, vel Officiales, noſtro nomine, vel mandato, ſeu quemcumque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; volentes, & conſentientes expreſsè, quòd per hoc, quod contra hoc factum eſſet, nullum jus nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris Regibus, aut Imperatoribus Romanis accreſcat, vel in aliquo Eccleſiæ Romanæ depereat tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem. Conſentimus inſuper, atque concedimus, quòd vos, Sanctiſſime Pater, Domine Nicolae PP. III. & eadem Romana Eccleſia per vos, & per alios nunc, & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis abſque ulla noſtra, ſucceſſorum noſtrorum, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi, omnium contentorum in noſtris, & prædeceſſorum noſtrorum privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu juramentis, & omnium eorum, quæ quoquo modo pertinent ad prædicta, & promittimus, quòd nos per nos, vel per alium, ſeu alios, non impediemus vos, vel Nuntios veſtros in prædictis, & quolibet prædictorum; ſed potius in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quàm tenendis, & habendis, noſtro poſſe perpetuò adjuvabimus, & ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis, & ſolidationis habeant firmitatem, tactis Sacroſanctis Evangeliis, juramus in animam noſtram, prædicta omnia, & ſingula nos perpetuò inviolabiliter ſervaturos. Statuimus præterea regali auctoritate, atque decernimus, ut idem tenor inſertus præſentibus,

* *In exemplari träſmiſſo à Nicolao III. legitur*, eaque omnia, & ſingula.

eaſdem per omnia vires habeat, & obtineat, quas habent, & obtinent ipſæ literæ principales, ita quòd ſi forſan ipſas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim, & robur obtineat in judicio, & extrà judicium, & in omnibus, & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ literæ principales facerent, in ſua prima figura, & integritate manentes; lege ſeu conſtitutione aliquâ non obſtante. Promittimus inſuper, quòd poſtquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & imperiale diadema pervenerimus, ipſaque perceperimus, infra octo dies præmiſſa omnia, & ſingula innovabimus, & de novo integrè, ac plenariè faciemus. Tenor autem prædictus de verbo ad verbum per omnia talis eſt.

In nomine Domini, Amen. Ego Frater Conradus Miniſter Fratrum Minorum ſuperioris Alamanniæ, glorioſiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis Domini mei Rudolphi Dei gratia Regis Romanorum ſemper Auguſti Procurator, & Nuntius habens ab ipſo poteſtatem, & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, Beatiſſime Pater, Domine Nicolae Divina Providentia PP. III. in Conſiſtorio veſtro in Papali palatio apud Sanctum Petrum in Urbe Romana, aſſiſtentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus Dominis Ordono Tuſculano, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopis; Anchero Tituli Sanctæ Praxedis, Guillelmo Tituli Sancti Marci, & Gerardo *Baſilicæ Duodecim* Apſtolorum Presbyteris; Jacobo S. Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu, Jordano Sancti Euſtachii, & Jacobo Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconis Cardinalibus, recognoſco, & fateor, quòd idem Dominus meus Rex conſtitutus in pręſentia pię memoriæ Domini Gregorii Papæ X. in Eccleſia Lauſanenſi, aſſiſtentibus ſibi Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, fel.rec. Domino Innocentio V. tunc Petro Oſtienſi Epiſcopo, & Domino Adriano V. tunc Ottobono Sancti Adriani Diacono Cardinali, Romanis Pontificibus, & Reverendis Patribus, Dominis Anchero Tituli Sanctæ Praxedis, & Guillelmo Tituli Sancti Marci Presbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Coſmidin, Gottifrido Sancti Georgii ad Velum aureum, & Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconis Cardinalibus, & præſentibus multis Prælatis, Principibus, & Nobilibus Imperii, ipſi Domino Papæ, ſuiſque ſucceſ-

ſori-

ſoribus ſpopondit, pollicitus eſt, promiſit, atque juravit omnia, & ſingula infraſcripta, prout in ejuſdem Regis literis, ſuo ſigillo cereo communitis, pleniùs, ac ſerioſiùs continetur. Quarum tenor per omnia talis eſt.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Ego RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Vobis Domino meo &c. *ut ſupra pag.* 31. *num* 2. *per totum*, *& ſequitur*.

Quæ omnia, & ſingula, ut præmittitur, per eumdem Regem ſponſa, pollicita, promiſſa, atque jurata, necnon, & alia in literis eiſdem, quocumque modo, quibuſcumque verbis inſerta, Ego prædictus Frater Conradus ejuſdem Domini Regis nomine, & pro ipſo habens ab eo expreſſum,& ſpeciale mandatum,liberè, diſtinctè,& expreſsè recognoſco,ratifico, approbo,innovo, & nihilominus ea omnia, & ſingula de novo dono, atque concedo Beato Petro Cœleſtis Regni Clavigero, ac vobis, Patri Sanctiſſimo ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ. Et ad Domini mei Regis conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenariè ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, caſſo, annullo, irrito, & omnibus viribus vacuo quidquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum, per ipſum Dominum Regem, ſeu alios ejus Nuntios, vel Officiales ſuo mandato, vel nomine, ſeu quemcumque alium, vel alios,quocumque modo,quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; ac volo, & expreſsè conſentio, quòd per hoc nullum jus ipſi Domino meo Regi accreſcat, vel in aliquo Eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem. Conſentio inſuper, & concedo, quòd vos, Sanctiſſime Pater, & eadem Romana Eccleſia per vos, & per alios, nunc,& ſemper accipiatis, nanciſcamini,intretis,& apprehendatis abſque ulla ipſius Domini Regis, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato, obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem,& quaſi, omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta, & promitto, quòd ipſe Dominus Rex per ſe, vel per alium, ſeu alios, non impediet vos, vel Nuntios veſtros in prædictis, & quolibet prædictorum; ſed potiùs in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quàm tenendis, & habendis, ſuo poſſe perpetuò adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis, & ſolida-

lidationis habeant firmitatem, tactis Sacroſanctis Evangeliis, juro in animam prædicti Domini mei Regis, habens ab eo ſuper hòc ſpeciale mandatum, eumdem Dominum Regem prædicta omnia & ſingula perpetuò inviolabiliter ſervaturum. Et promitto, quòd idem Dominus Rex per ſe ipſum ea omnia, & ſingula faciet, promittet, ſtabiliet, plenè ſolidabit, firmabit, perſiciet, atque jurabit, quandocumque per vos, & prædictam Eccleſiam, literis, vel Nuntiis extiterit requiſitus. Tenor verò mei Procuratorii ſuper his habiti, per omnia talis eſt.

RUDOLPHUS Dei gratia Romanorom Rex ſemper Auguſtus univerſis præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam, & omne bonum. Notum eſſe volumus &c. *ut ſupra pag. 60. uſque ad finem inſtrumenti, ſine ſigno tamen, & ſine ſigillo pendente, & ſequitur.*

Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, & ut hæc omnia vobis memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Nicolao Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus per nos, & noſtros ſucceſſores Romanorum Reges, & Imperatores perpetuò obſerventur, firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant, præſens ſcriptum aurea Bulla, typario noſtræ majeſtatis impreſſa, munitum, fieri fecimus, & vobis ad perpetui roboris memoriam exhiberi. Teſtes, quibus præſentibus hæc ſunt acta, ſunt hi, Venerabiles Fridericus Archiepiſcopus Salzburgenſis, Joannes Kymen, & Wernhardus Secovienſis Epiſcopi, Rudolphus Curiæ noſtræ Cancellarius, Magiſter Gottifridus Præpoſitus Solienſis Protonotarius noſter, Abbas Admontenſis, Archidiaconus Tudertinus, Illuſtres Albertus, & Hartmannus Fratres de Habſpurch, & de Kyburch Comites, Lantgravii Alſatiæ, filii noſtri, ac ſpectabiles viri Fridericus Burgravius de Nurenberch, Marchio de Hahperch, Burchardus de Hohenberch, & Henricus de Furſtenberch Comites, Henricus Sluzzellenſis Cappellanus noſter, Magiſter Conradus de Herwelingen, Magiſter Angelus, H. de Loubenberch, Joannes de Hedingen Milites Hoſtiarii noſtri. Datum Viennæ per manum Magiſtri Gottifridi Protonotarii noſtri prædicti. Acta ſunt hæc decimoſexto Kalendas Martii Indictione ſeptima anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, Regni verò noſtri anno ſexto.

Ego Fridericus Salzburgenſis Eccleſię Archiepiſcopus interfui,

fui, & per manum Joannis Chymenſis Epiſcopi ſubſcripſi.

Ego Joannes Chymenſis Epiſcopus interfui, & ſubſcripſi.

Ego Wnhardus Secovienſis Epiſcopus interfui, & ſubſcripſi.

Ego Rudolphus Imperialis Aulæ Cancellarius interfui, recognovi, & ſubſcripſi.

Ego Magiſter G. Præpoſitus Solienſis Regalis Curiæ Protonotarius interfui, & ſubſcripſi.

Ego Abbas Henricus Admontenſis interfui, & ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Achidiaconus Tudertinus interfui, & ſubſcripſi.

Ego Albertus Domini Rodulphi Romanorum Regis Primogenitus interfui, & ſubſcripſi.

Ego Hartmannus Domini Rudolphi Romanorum Regis filius interfui, & ſubſcripſi.

Ego Fridericus Burgravius de Nurenberch interfui, & per manum R. Notarii mei ſubſcripſi.

Ego Heinricus Marchio de Hahperch interfui,& per manum Alberti Notarii Comitis Henrici de Furſtenbergh ſubſcripſi.

Ego Burchardus Comes de Hohenberch interfui, & per manum Petri Notarii mei ſubſcripſi.

Ego Henricus Comes de Furſtenberch interfui, & per manum Alberti Notarii mei ſubſcripſi.

Ego Henricus Sluzzellenſis Romanorum Regis Cappellanus interfui, & ſubſcripſi.

Ego Conradus de Hervellingen Notarius Regis Romanorum interfui, & ſubſcripſi.

Ego Angelus Canonicus Eccleſiæ S. Valentini de Ferentino interfui, & ſubſcripſi.

Ego H.de Loubenberch interfui, & per manum Decani Belrenſis ſubſcripſi.

Ego Joannes de Hedingen interfui, & ſubſcripſi.

Adeſt Bulla aurea pendens.

Supraſcriptum ſumptum ex ſuo autographo, antiquo charactere, & in pergamena pagina conſcripto, quod aſſervatur in Tabulario Apoſtolico Arcis S. Angeli, Sanctiſſimo Domino noſtro CLEMENTE XI. *jubente extractum, atque ad verbum diligenter collatum, eidem omnino reſpondet, nec in aliquo differt, de quo, ut fidem faciam, hoc ſumptum meo ſigillo, atque ſubſcriptione confirmo, hac die 6. Decembris* 1708.

Dominicus Rivera Archivii Apoſtolici Molis Adrianæ Præfectus.

XXXII.

ANNO 1279. die 14. Februarii.

RODULPHI Romanorum Regis diploma de confirmatione privilegiorum ab anteceſſoribus ſuis Romanæ Eccleſiæ conceſſorum, cum revocatione juramentorum, quæ Rodulphus ejuſdem Cancellarius à diverſis Exarchatus Urbibus exegerat.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino NICOLAO Papæ III. RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad perpetuam rei memoriam.

Ex autographo authëtico, quod ſervatur in Archivio Molis Adrianæ.

SUmma Reipublicæ tuitio, de ſtirpe duarum rerum Sacerdotii, & Imperii Divina inſtitutione proveniens, vimque ſuam exindè muniens, humanum genus ſalubriter gubernavit in poſterum, & reget, Deo propitio, in æternum. Hec ſunt duo dona Dei, maxima quidem in omnibus à ſuperna collata Clementia, videlicet, auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis excellentia poteſtatis. Hæc duo Salvator noſter, mediator Dei, & hominum Jeſus Chriſtus ſic per ſeipſum actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis exercuit, ut utraque ab ipſo, tanquam ex uno eodemque principio manifeſtè procedere omnibus indicaret.

Ab eo igitur ſolo, vivo, & vero Deo, recognoſcentes omnia, à quo Reges, & Regna ſumpſere principia, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ beneficia erga nos innumera recolentes, plenis excitamur affectibus, ea quæ poſſumus, illi retribuendo rependere, à qua nobis, & noſtris prædeceſſoribus Reg bus Romanorum tam grandia, tam excellentia dona conſpicimus eſſe tributa.

Præfati itaque prædeceſſores ad magnificentiam munerum, & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quam de ipſius Matris Eccleſiæ uberibus ſuſceperunt, faciem gratitudinis convertentes; nec minus attendentes, quòd eadem Mater Eccleſia ipſos in dulcedinis benedictione præveniens, transferendo de Græcis Imperium in Germanos, eiſdem dederat id, quod erant; ut grati prædicarentur filij laudabili recognitionis effectu, inter cætera, quæ ipſi Romanæ Eccleſiæ confirmarunt, dimiſerunt, ſeu etiam conceſſerunt, totam terram, quæ eſt à Radicofano uſque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram

ram

ram Comitiſſæ Mathildis, Comitatum Brictenorii, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Maſſam Trabariam cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras, poſſeſſiones, & jura ad Romanam Eccleſiam pertinentia, in multis privilegijs Imperatorum à tempore Ludovici expreſſa, ſive contenta, ipſi Beato Petro cœleſtis Regni Clavigero, ejuſque Succeſſoribus, & Romanæ Eccleſiæ dimiſerunt, renunciaverunt, reſtituerunt, & confirmarunt; & ad omnem ſcrupulum removendum, prout meliùs valeret, & efficaciùs poſſet intelligi, contulerunt, conceſſerunt, & etiam donarunt, ſicut in eorum privilegijs, ſeu literis continetur: Noſque poſtmodum, prout Domino placuit, ad Regalis Excellentiæ culmen aſſumpti, ut de ſuſceptis donis innumeris, quæ de manibus dictæ Matris accepimus, non minoris recognitionis debitum ſolveremus, prædicta omnia in præſentia recolendæ memoriæ Domini Gregorii Papæ X. recognovimus, ac ea omnia, & ſingula ipſi, pro Romana Eccleſia, ſe, ſuiſque Succeſſoribus recipienti, confirmavimus, innovavimus, & de novo conceſſimus, atque donavimus, ipſa nihilominus proprio præſtito corporaliter juramento firmantes...

Verùm quia poſtmodum, abſque noſtro conſenſu, conſcientia, vel mandato, Rudolphus Cancellarius noſter à Civibus Ravennatibus, Bobienſibus, Cæſenatibus, Foropopulienſibus, Forlivienſibus, Faventinis, Imolenſibus, Bononienſibus, Urbinatibus, ac hominibus Montisferetri, Bertenorii, necnon, & aliis aliarum Civitatum, atque illarum partium, & locorum, quæ ipſius Eccleſiæ Romanæ juris exiſtunt, juramentum fidelitatis nomine noſtro dicitur recepiſſe; nos conſpicientes id in præjudicium juris dictæ Matris Eccleſiæ ſubſecutum, quidquid per eundem Cancellarium, ſeu quemcumque aliũ in prędictis Civitatibus, Locis, & Terris, ſeu per homines ipſorum Civitatum, Terrarum, atque Locorum, actum, geſtum, recognitum extitit, ſive juratum, & ſpecialiter prædicta juramenta, remittimus, relaxamus, & eis expreſsè renuntiamus, ac prædicta omnia revocamus, caſſamus, annullamus, irritamus, caſſa, & irrita nuntiamus, ac omnibus viribus vacuamus, volentes, ſtatuentes, & conſentientes expreſsè, quòd per id nullum jus nobis, & Imperio accreſcat, vel ipſi Eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quàm circa proprietatem in Civitatibus, Terris, & Locis præfatis, ac hominibus, juribus, & juriſdictionibus eorundem.

Et

Et quia decet Regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obſcuritatem, quam frequenter generalitas conſuevit inducere, noſtra tollat regalis expreſſio, ac jura ipſius matris Eccleſiæ per noſtram declarationem, quam decernimus eſſe perpetuam, plenariè ſolidentur; recognoſcimus, fatemur, & oraculo præſentis edicti ad æternam memoriam declaramus, Civitatem Ravennatem, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferetrum, territorium Balnenſe, ſupraſcriptas Provincias, Civitates, Loca, & Territoria, necnon, & omnia ſupradicta cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terra, marique ad provincias, civitates, territoria, & loca ſupradicta quoquo modo pertinentibus, ad Beatum Petrum cœleſtis Regni Clavigerum, & ad vos Patrem beatiſſimum Dominum Nicolaum Papam tertium, & ad Succeſſores veſtros Romanos Pontifices, & ad ipſam Eccleſiam Romanam pleno jure, ac integrè, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, in ſolidum pertinere, ac veſtri ipſius Romanæ Eccleſiæ pleni juris, ditionis, ac principatus exiſtere.

Et ad omnem dubitationis ſcrupulum in poſterum abolendum, & ut noſtra devotio erga ipſam Matrem Eccleſiam clariùs eniteſcat; prædicta omnia, & ſingula tam propriis, ſeu ſpecialibus, provinciarum, terrarum, civitatum, atque locorum expreſſa vocabulis, quàm etiam non expreſſa, prout melius valet, & efficacius intelligi, ipſi Beatiſſimo Petro, & vobis, Sanctiſſime Pater Domine Nicolae Papa III. & per vos Succeſſoribus veſtris Romanis Pontificibus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ de novo liberè, & plenariè concedimus, conferimus, & donamus, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materia, firma pax, & plena concordia inter Eccleſiam, & Imperium perſeverent.

Ut autem hæc omnia vobis memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Nicolao Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſq; ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ per nos, & noſtros ſucceſſores Romanorum Reges, & Imperatores in perpetuum obſerventur, firmaque ſemper, & inconcuſſa permaneant; præſens noſtræ recognitionis, declarationis, conceſſionis, & donationis privilegium de conſcientia noſtra, & expreſſo mandato conſcriptum, juſſimus aurea Bulla, typario noſtræ Majeſtatis impreſſa

preſſa muniri, ac ipſum ad perpetuam ſoliditatem, & certitudinem vobis, & ipſi Romanæ Eccleſiæ exhiberi. Promittimus inſuper, quòd poſtquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & Imperiale diadema pervenerimus, ipſaque perceperimus, infra octo dies præmiſſa omnia, & ſingula innovabimus, & de novo integrè, ac plenariè faciemus.

Teſtes autem hi ſunt, Venerabiles Fridericus Archiepiſcopus Salzburgenſis, Joannes Kymenſis, & Wernhardus Secovienſis Eccleſiarum Epiſcopi, Giffridus Decanus Eccleſiæ Sancti Audomari Morinenſis Diœceſeos Domini Papæ Cappellanus, Henricus Abbas Admontenſis Nicolaus Archidiaconus Tudertinus, Illuſtres Albertus, & Hartmannus Fratres de Habſpurch, & de Kyburch Comites, Lantgravii Alſatiæ, filii noſtri, ac ſpectabiles Viri Fridericus Burgravius de Nurenberch, Hainricus Marchio de Hahperch, Burcardus de Hohenberch, & Henricus de Furſtenberch Comites, Henricus Sluzzellinus Cappellanus noſter, Magiſter Chunradus de Herwelingen, Magiſter Angelus Canonicus Sancti Valentini de Ferentino, Henricus de Loubenberch, & Joannes de Hedingen Milites Hoſtiarii noſtri, & quamplures alii. Signum Domini Rudolphi Romanorum Regis invictiſſimi. Ego Rudolphus Imperialis Aulæ Cancellarius vice Domini Wernheri Archiepiſcopi Maguntini, ac per Germaniam Sacri Imperii Archicancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Domini MCCLXXIX. Indictione VII. Regnante Domino Rudolpho Romanorum Rege glorioſo anno Regni ejus ſexto. Datum Viennæ per manus Magiſtri Gottifridi Præpoſiti Solienſis Protonotarii noſtri XVI. Kalen. Martii.

Locus Monogrammatis.

Sequitur Bulla pendens.

Supraſcriptum ſumptum ex ſuo autographo, antiquo charactere, & in pergamena pagina conſcripto, quod aſſervatur in Tabulario Apoſtolico Arcis S. Angeli, Sanctiſſimo Domino noſtro CLEMENTE XI. *jubente extractum, atque ad verbum diligenter collatum, eidem omnino reſpondet, nec in aliquo differt, de quo, ut fidem faciam, hoc ſumptum meo ſigillo, atque ſubſcriptione confirmo, hac die 6. Decembris* 1708.

Dominicus Rivera Archivii Apoſtolici Molis Adrianæ Præfectus.

NI-

XXXIII.

ANNO 1279. die 29. Auguſti.

NICOLAI III. Epiſtola ad Archiepiſcopum Maguntinum, ut formulæ privilegii, pro Eccleſia Romana tranſmiſſæ, promptè ſubſcribat.

NICOLAUS &c. Archiepiſcopo Maguntino &c.

Ex eiſdem Cod. Vat. & Regeſto liter. ſecretarii an. 2. epiſt. 47.

CEdere tuis ſenſibus in ſuavitatis,& delectationis debet augumentum, Apoſtolica mandata ſemper devotè ſuſcipere, ac illa proſequi reverenter, cum ad hoc ex debito tenearis, nec deceret, immò inconveniens haberetur, ſi ſecus interdum contingeret inveniri, maximè cum de noſtris, & Eccleſiæ Romanæ negotiis ageretur. Miramur igitur, nec indignè animi concitatione movemur, quòd cum dilectus filius Giffridus de Anagnia Decanus Eccleſiæ Sancti Audomari Morinenſis Diœceſeos Cappellanus noſter tibi ex parte noſtra ſuper hujuſmodi negotiis ſub certa forma literas Apoſtolicas præſentaſſet, te certis hæſitationibus dubitante, quas nuper per dilectum filium Conradum Cantorem Eccleſiæ Aſchaſnburgenſis Maguntinæ Diœceſos tuum Nuntium intimaſti, optatus effectus ex eiſdem Apoſtolicis literis non advenit; quòd eò graviùs in te, nec mirum, attendimus, quò Pontificali præditus dignitate, majori teneris affectione præcurrere, ac tui exemplo alios excitare ad noſtrorum obſervantiam mandatorum. Quare Fraternitatem tuam monemus, & hortamur attentè, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus noſtris, & ipſiùs Eccleſiæ beneplacitis te conformans, tenorem literarum ipſarum,tibi per Cappellanum præſentatarum, eundem ſic promptè, ac providè adimpleas, & obſerves, quòd nullum in te locum reprehenſionis morſus inveniat, ſed providam promptitudinem, quam ad nos, & eamdem geris Eccleſiam, in hoc ſpecialiter repræſentes, nec occaſione tui diſpoſitio Sedis Apoſtolicæ quomodolibet differatur. Datum Suriani IV. Kal. Septembris Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ejuſ-

Ejuſdem NICOLAI III. Epiſtola ad Archiepiſcopum Treverenſem de eadem ſubſcriptione.

NICOLAUS &c. Archiepiſcopo Treverenſi &c.

CEdere tuis ſenſibus &c. ut ſupra proximè, uſque per dilectum filium Magiſtrum Volucrem Canonicum Eccleſiæ Sancti Paulini Treverenſis tuum Nuntium intimaſti &c. uſque mandatorum, maximè cum te nobis etiam, in minori officio conſtitutis, ſpecialis affectus adjunxerit, qui ſucceſſivè digniùs excreſcere meruit Apoſtolicæ præeminentia dignitatis, ut quòd repræſentaſti nobis in floribus, dulciùs in fructibus legeremus. Quare fraternitatem tuam &c. ſicut in præcedenti uſque in finem.

Ejuſdem NICOLAI III. Epiſtola ad GIFFRIDUM Anagninum de memorato privilegio à Maguntino, & Treverenſi Archiepiſcopis ſubſcribendo.

NICOLAUS &c. Dilecto filio GIFFRIDO de Anagnia Decano Eccleſiæ de Sancto Audomaro Morinenſis Diœceſeos Cappellano noſtro, ſalutem &c.

REceptarum nuper ex parte tua literarum prælectione collegimus, quòd à Venerabilibus Fratribus noſtris Maguntino, & Treverenſi Archiepiſcopis, non completis iis, pro quibus ad eos juxta beneplacitum noſtrum acceſſeras, quaſi non rediturus ulterius, receſſiſti. Ad quod ſcire te volumus, quòd diebus iſtis præteritis ad nos duos eorum Clericos iidem Archiepiſcopi deſtinarunt, nobis certas cauſas, quare id contingerat nuntiantes, quos quidem Clericos è veſtigio cum literis noſtris ad Archiepiſcopos ipſos remiſimus, per quas, ſicut dicti Clerici coram nobis certitudinaliter aſſerebant, præmiſſorum conſummationem provenire ſperamus. Studeas itaque per te ipſum, vel per Nuntios, aut alios, ſicut expediet, ſollicitè procurare, quòd ea, quæ de mandato noſtro proſequeris, effectu proſpero per eoſdem Archiepiſcopos compleantur. Datum Viterbii.

Diplo-

XXXIV.

ANNO 1279. circa menſe Octobris

Diploma IMPERII ELECTORUM, quo ratam habent præcedentem RODULPHI Romanorum Regis confirmationem.

NOS PRINCIPES IMPERII univerſis præſentem paginam inſpecturis.

Ex autographo authētico, quod ſervatur in Archiv. Molis Adrianæ.

COmplectens ab olim ſibi Romana Mater Eccleſia quaſi quadam germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantùm præſidentium ſuper terram, plantans in ea Principes tanquam arbores prælectas, & rigans ipſas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipſius Eccleſiæ auctoritate ſuffulti, velut germen electum per ipſorum electionem, illum qui fræna Romani teneret Imperii, germinarent. Hic eſt illud luminare minus in firmamento militantis Eccleſiæ per luminare majus Chriſti Vicarium illuſtratum. Hic eſt, qui materialem gladium ad ipſius nutum excutit, & convertit, ut ejus præſidio Paſtorum Paſtor adjutus, oves ſibi creditas ſpirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet, & corrigat ad vindictam maleficorum, laudem verò credentium, & bonorum.

Ut igitur omnis materia diſſenſionis, & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam Eccleſiam, & Imperium auferantur; & ii duo gladii in domo Domini conſtituti, debito fœdere copulati, ſeipſos exerceant in utilem reformationem regiminis univerſî; & nos in actu voluntatis, & operis inveniamur filii devotionis, & pacis, qui tam Eccleſiam, quàm Imperium confovere tenemur; quicquid per Dominum noſtrum Rudolphum Dei gratia Romanorum Regem ſemper Auguſtum Sanctiſſimo Patri, & Domino noſtro Domino Nicolao Papæ III. ejuſque ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, & de novo donatum, declaratum, ſive conceſſum, juratum, & actum, ſeu factum eſt per privilegia, vel quæcumque alia ſcripta quorumcumque tenorum ſuper recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, conceſſionibus, & factis, ſeu geſtis

ſtis tam aliorum Imperatorum, & Regum Romanorum,prędeceſſorum Regis ejuſdem, quàm ipſius Regis; & ſpecialiter ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia, & reverentia per Romanos Imperatores, & Reges, Romanis Pontificibus,& ipſi Eccleſiæ impendendis; ac poſſeſſionibus, honoribus, & juribus ejuſdem Eccleſiæ; & nominatim ſuper tota terra, quæ eſt à Radicofano uſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitiſſæ Mathildis, Civitate Ravennæ, & Æmilia, Bobio, Cæſena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, COMACLO, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, Territorio Balnenſi, Comitatu Brittenorii, Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Maſſa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam Eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra, marique ad Provincias, Civitates, territoria, & loca prædicta quoquò modo ſpectantibus; nec non ſuper Civitate Romana, & Regno Siciliæ, cum omnibus ad ipſam ſpectantibus,tam citra Farum,quàm ultrà; Corſicâ quoque, atque Sardiniâ, & cæteris terris, ac juribus ad ipſam Eccleſiam pertinentibus; nos noſtrî nomine Principatus in omnibus, ac per omnia approbamus, & ratificamus; ac eiſdem omnibus, & ſingulis, & quibuſcumque aliis ſuper eiſdem per eumdem Regem quoquo modo factis, & in poſterum faciendis, voluntatem noſtram, aſſenſum, atque conſenſum unanimiter, & concorditer exhibemus; & promittimus, quòd contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, nullo unquam tempore veniemus, ſed ea omnia, & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus inviolabiliter obſervari. Et ut hæc noſtra voluntas, approbatio, ratificatio, aſſenſus, conſenſus, atque promiſſio à nobis eiſdem Romanis Pontificibus, & Eccleſiæ in perpetuum obſerventur, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtrorum ſigillorum munimine roboratum. Actum, & Datum anno Domini MCCLXXIX. indictione VII. regnante Domino noſtro, prædicto Domino Rudolpho Romanorum Rege glorioſo, Regni ejus anno ſexto.

Adſunt novem ſigilla pendentia, ſcilicet, Henrici Archiepiſcopi Treverenſis, Siffridi Archiepiſcopi Colonienſis, Varneri Archiepiſcopi Maguntini, Ludovici Ducis Bavariæ, Joannis Ducis Saxoniæ, Alberti Ducis Saxoniæ, Friderici Marchionis Brandeburgenſis, Ottonis Marchionis Brandeburgenſis .... Marchionis

Brandeburgenſis. Eorum nomina ſuper ſigillis ſcripta, & appoſita ſunt.

Supraſcriptum ſumptum ex ſuo autographo, antiquo charactere, & in pergamena pagina conſcripto, quod aſſervatur in Tabulario Apoſtolico Arcis S. Angeli, Sanctiſſimo Domino noſtro CLEMENTE XI. *jubente, extractum, atque ad verbum diligenter collatum, eidem omnino reſpondet, nec in aliquo differt, de quo ut fidem faciam, hoc ſumptum meo ſigillo, atque ſubſcriptione confirmo, hac die 6. Decembris 1708.*

Dominicus Rivera Archivi Apoſtolici Molis Adrianæ Præfectus.

XXXV.

Diplomata OTTONIS Marchionis Brandeburgenſis, & LUDOVICI Comitis Palatini Rheni Ducis Bavariæ, quibus ratam habent eandem RODULPHI Romanorum Regis recognitionem.

OTTO Dei gratia Marchio Brandeburgenſis univerſis præſentem paginam inſpecturis.

ANNO 1279. die 12. Septembr.

I. COmplectens ab olim ſibi Romana Mater Eccleſia quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantùm præſidentium ſuper terram, plantans in ea Principes tanquam arbores præelectas, & rigans ipſas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentię, ut ipſius Eccleſię auctoritate ſuffulti, velut germen electum, per ipſorum electionem, illum, qui fræna Romani teneret Imperii, germinarent. Hic eſt illud luminare minus in firmamento militantis Eccleſiæ per luminare majus Chriſti Vicarium illuſtratum. Hic eſt, qui materialem gladium ad ipſius nutum excutit, & convertit, ut ejus præſidio Paſtorum Paſtor adjutus, oves ſibi creditas ſpirituali gladio protegendo communiat, temporali refræner, & corrigat ad vindictam malorum, laudem verò credentium, & bonorum.

Ut igitur omnis materia diſſenſionis, & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam Eccleſiam, & Imperium auferantur; & ii duo gladii in domo Domini conſtituti, debito fœdere copulati, ſeipſos exerceant in utilem reformationem regiminis univerſî;

ſî; & nos in actu voluntatis, & operis inveniamur filius devotionis, & pacis, qui tam Eccleſiam, quàm Imperium confovere tenemur; quicquid per Dominum noſtrum Rudolphum Dei gratia Romanorum Regem ſemper Auguſtum Sanctiſſimo Patri, & Domino noſtro Domino Nicolao Papæ III. ejuſque ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo datum, declaratum, ſive conceſſum, juratum, & actum, ſeu factum eſt per privilegia, vel quæcùmque alia ſcripta quorumcùmque tenorum ſuper recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, conceſſionibus, & factis, ſeu geſtis tam aliorum Imperatorum, & Regum Romanorum, prædeceſſorum Regis ejuſdem, quàm ipſius Regis; & ſpecialiter ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia, & reverentia per Romanos Imperatores, & Reges, Romanis Pontificibus, & ipſi Eccleſiæ impendendis; ac poſſeſſionibus, honoribus, & juribus ejuſdem Eccleſiæ; & nominatim ſuper tota terra, quæ eſt à Radicofano uſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitiſſæ Mathildis, Civitate Ravennæ, & Æmilia, Bobio, Cæſena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, COMACLO, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, Territorio Balnenſi, Comitatu Brittenorii, Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Maſſa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam Eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra, marique ad Provincias, Civitates, territoria, & loca prædicta quoquo modo ſpectantibus; necnon ſuper Civitate Romana, & Regno Siciliæ, cum omnibus ad ipſam ſpectantibus, tam citra Farum, quàm ultrà, Corſica quoque, atque Sardinia, & cæteris terris, ac juribus ad ipſam Eccleſiam pertinentibus; nos noſtrî nomine Principatus in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus; ac eiſdem omnibus, & ſingulis, & quibuſcumque aliis ſuper eiſdem per eundem Regem quoquo modo factis, & in poſterum faciendis, voluntatem noſtram, aſſenſum, atque conſenſum irrevocabiliter exhibemus: & promittimus, quòd contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, nullo unquam tempore veniemus, ſed ea omnia, & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus inviolabiliter obſervari. Et ut hæc noſtra voluntas, approbatio, ratificatio, aſſenſus, conſenſus, atque promiſſio à

k 2 nobis

nobis eiſdem Romanis Pontificibus, & Eccleſiæ in perpetuum obſerventur, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtri ſigilli munimine roboratum. Datum, & Actum anno Domino MCCLXXIX. II. Idus Septembris regnante prædicto Domino noſtro Domino Rudolpho Romanorum Rege glorioſo, Regni ejus anno ſexto.

Adeſt ſigillum pendens.

LUDOVICUS Dei gratia Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ univerſis præſentem paginam inſpecturis ſalutem in Auctore ſalutis.

ANNO 1279. die 19. Martii.

II. COmplectens ab olim &c. ut in præcedenti, *niſi quòd pag.* 110. *lin.* 5. *à fine* pro malorum, *habet* malefactorum, *&* *pag.* 111. *lin.* 7. *pro* innovatum, de novo datum declaratum, ſive conceſſum, *habet* innovatum de novo donatum, declaratum, conceſſum; *& lin.* 6. *à fine pro* conſenſum irrevocabiliter exhibemus, *habet* conſenſum ſpontè, ac irrevocabiliter exhibemus. *Differt etiam in data, hoc pacto.* Actum & Datum anno Domini MCCLXXIX. XIV. Kal. Aprilis Indictione VII. Regnante Domino noſtro prædicto Domino Rudolpho Romanorum Rege glorioſo Regni ejus anno VI.

Adeſt ſigillum pendens.

Supraſcriptum ſumptum ex ſuo autographo, antiquo charactere, & in pergamena pagina conſcripto, quod aſſervatur in Tabulario Apoſtolico Arcis S. Angeli, Sanctiſſimo Domino noſtro CLEMENTE XI. *jubente extractum, atque ad verbum diligenter collatum, eidem omnino reſpondet, nec in aliquo differt, de quo, ut fidem faciam, hoc ſumptum meo ſigillo, atque ſubſcriptione confirmo, hac die* 6. *Decembris* 1708.

Dominicus Rivera Archivii Apoſtolici Molis Adrianæ Præfectus.

DOMI-

DOMINICUS RIVERA Archivii Apoſtolici Molis Adrianæ Præfectus teſtor, quòd in eodem ſanctiori Sanctæ Sedis Tabulario extant ſequentia monumenta in publica, & authentica forma videlicet.

DIverſorum Archiepiſcoporum Epiſcoporum, ac quorundam Germaniæ Principum diploma, de recognitione Privilegiorum ab OTTONE IV. & FEDERICO II. Romanæ Eccleſiæ conceſſorum, facta ab OTTONE Præpoſito Spirenſi Nuntio RODULPHI Regis Romanorum Concilii Lugdunenſis tempore ſub GREGORIO X. quæ incipit, *In Nomine Domini, Amen. Nos Henricus &c.* & deſinit, *noſtrorum ſigillorum munimine roborari.* *Habetur in hac Appendice num. 5.*

Eorundem Archiepiſcoporum &c. recognitio diplomatis Principum Imperii, quo rata habent, quæ à FEDERICO II. confirmata fuerunt Eccleſiæ Romanæ, quæ incipit, & deſinit uti præcedens. *Extat Ibid. num. 6.*

GOTTIFRIDI Prępoſiti Solienſis Nuntii RODULPHI Regis Romanorum revocatio juramentorum fidelitatis, quæ Exarchatus, & Pentapoleos urbes eidem Rodulpho Regi præſtiterunt, quæ incipit, *Nos Gottifridus &c.* deſinit, *rogatus ſcripſi publicavi, & ſignum feci.* *Habet Ibid. num. 23.*

Ejuſdem epiſtola ad Exarchatus, & Pentapoleos urbes de præſtando fidelitatis juramento Eccleſiæ Romanæ, quæ incipit, *Excellentiſſimus Princeps &c.* & deſinit *Rogatus ſcripſi, & in publicam formam redegi.* *Extat Ibid. num. 24.*

RODULPHI I. Regis Romanorum diploma, quo confirmat privilegia Eccleſiæ Romanæ, quod incipit. *In Nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Amen. RUDOLPHUS &c. Ab eo ſolo &c.* & deſinit *Regalis Aulæ Protonotarii* XII *Kal. Novembris.* *Habetur in hac Appendice fol. 32.*

Ejuſdem Regis mandatum procuræ, quo facultatem dat Fr. CONRADO Minoritæ, ratificandi cuncta, quæ ejus nomine geſſerat OTTO Præpoſitus Spirenſis favore Eccleſię Romanę temporibus GREGORII X. quod incipit, *RUDOLPHUS Dei gratia &c. Notum eſſe volumus &c.* & deſinit, *Datum Viennæ anno Domini* MCCLXXVIII. XIII. *Kal. Febr. Regni noſtri anno* V. Quod quidem mandatum extat etiam ſeorſum ab inſtrumento in quo inſeritur; uti & aliud mandatum procuræ, datum Ottoni Præpoſito Spirenſi, quod extat etiam ſeorſim ab inſtrumento, in quo inſeritur. Incipit autem, *Sanctiſſimo in Chriſto Patri &c. Sanctitati veſtræ innoteſcat &c.* & deſinit. *Quaſi modo geniti; Regni noſtri anno* I. *Habetur Ibid. pag. 60.* *Extat Ibid. pag. 21.*

In quorum fidem hanc paginam ſubſcripſi, meoque ſigillo obſignavi hac die XV. Aprilis MDCCIX.

Locus ✠ Sigilli.

Dominicus Rivera Archivii Apoſtolici Molis Adrianæ Præfectus.

Nos

Nos infraſcripti Archivi ſecreti Vaticani Cuſtodes teſtamur,quod in Regeſto authentico literarum ſecretarum NICOLAI III. quod in eodem Archivo aſſervatur, extant ſequentia monumenta, videlicet.

Extant in hac Appendice nu. 15. 16. & 17. NICOLAI III. epiſtolæ tres ad RODULPHUM Regem Romanorũ de irritandis juramentis, quæ Rodulphus ejuſdem Cancellarius ab Exarchatus, & Pentapoleos urbibus exegerat, & de clarius agnoſcenda ſumma Romanæ Eccleſiæ poteſtate in univerſam ditionem ſuam, quarum prima incipit, *Intima mentis noſtræ &c.* deſinit autem, *videris expedire. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Julii Pontif. noſtri an.* 1. Secunda incipit, *Ad tuæ devotionis augumentum &c.* deſinit autem, *Civitates pertinentibus. Datum ut ſupra*, Tertia vero incipit, *In aliis, quæ tibi diriguntur &c.* deſinit autem, *populi compleantur. Datum Romæ apud S. Petrum* VII. *Kal. Junii Pont. noſtri anno* 1.

Ibid. num 18. Item NICOLAI III. inſtructio data Fr. CONRADO Miniſtro Fr. Minorum Legato Rodulphi Regis, cujus initium, *Cum te ad Chariſſimum &c.* finis vero, *exinde meritò commendare. Datum Romæ apud S. Petrum Non. Junii Pontif. noſtri anno* 1.

Ibid. pag. 63. toto num. 20. Item inſtrumenta quatuor de recognitionibus, & approbationibus geſtorum OTTONIS Præpoſiti Spirenſis Nuntii Rodulphi Regis Romanorum, & geſtorum ipſius Regis Ropulphi, ab eodem Fr. CONRADO Romæ factis,quæ quidem inſtrumenta incipiunt,*In nomine Domini, Amen, Ego Fr. Conradus &c.* deſinunt verò, *de rogatu ipſius Fr. Conradi ſcripſi, publicavi, & ſignum feci.*

Ibid. num. 21. Item formulæ inſtrumentorũ, & diplomatum à RODULPHO Rege,ad NICOLAI III. petitionem, edendorum, quarum prima incipit, *In nomine Domini Amen. Nos Rudolphus Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus ad æternam rei memoriam*, deſinit autem, *maturitate debita ordinatis.*

Ibid. num. 22. Secundum incipit, *Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino NICOLAO Papæ III. Rudolphus Dei gratia &c. Summa Reipublicæ tuitio &c.* Deſinit autem, *quæ in talibus conſueverunt fieri*. Tertium incipit, *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis &c. Rudolphus divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Ab eo ſolo &c.* deſinit autem, *quæ in talibus conſueverunt fieri.*

Ibid. num. 25. Item formulæ quatuor inſtrumentorum, à NICOLAO III. ad Rodulphum Regem tranſmiſſæ,pro confirmandis Gottifridi Præpoſiti Solienſis geſtis in Curia Romana, ejuſdem Regis nomine, quarum prima incipit, *In nomine Domini Amen. Nos Rudolphus &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoſcimus, & fatemur &c.* Deſinit autem, *conſueverunt apponi & fieri*. Secunda incipit, *In nomine Domini Amen. In præſentia veſtra conſtitutus &c.* deſinit autem, *ac ſi de ipſo ſigillo facta mentio non fuiſſet Actum Viterbii &c. Ego &c.* Tertia incipit, *In nomine Domini Amen, Nos Gottifridus Præpoſitus &c. Ad futuram rei memoriam. Notum eſſe volumus &c.* deſinit autem, *Porro ad certitudinem &c. ut ſupra uſque in finem*. Quarta incipit, *Providis Viris Poteſtatibus &c.* deſinit verò, *In eundem mo-*

modum aliis ſingulis Civitatibus, locis & terris ſuperiùs nominatis.

Item NICOLAI III. mandatum Gottifrido Præpoſito Solienſi, quod incipit. *Sicut communis tenet opinio*. Deſinit autem, *penitus revocentur*, *Datum Viterbii Kal. Julii Pontificatus noſtri anno* 1. *Ibid. num.* 26.

Item NICOLAI III. epiſtola ad RODULPHUM Regem miſſa per Giffridum Decanum S. Audomari, cujus initium. *Claret in gentibus &c.* Finis verò, *ex eminenti ſua qualitate requirit*, *Datum Romæ* xv. *Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno* 1. *Ibid. num.* 28.

Ejuſdem alia ad IMPERII ELECTORES, cujus initium, *Statuit in terris Altiſſimus*. Finis verò, *ſua qualitate requirit, Datum Romæ* XII. *Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno* 1. & ſequitur. *In eundem modum dilecto Filio nobili viro Joanni Duci Saxoniæ &c.* & deſinit. *In eundem modum Archiepiſcopo Maguntino*. *Ibid. num.* 29.

Item forma, ſecundùm quã PRINCIPES ALAMANNIÆ debent ratificare, & approbare privilegia Eccleſię Romanę, cujus initium *Nos Principes Imperii &c. Complectens ab olim*. Finis verò, *munimine roboratum*. *Ibid. pag.* 94.

Item Nicolai III. inſtructio tradita eidem Giffrido, quæ incipit, *De tuæ circumſpectionis &c.* Deſinit verò, *Exindè meritò commendare*, *Datum Romæ apud Sanctum Petrum* xv. *Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno* 1. *Ibid. num.* 30.

Item NICOLAI III. epiſtolæ duæ ad Archiepiſcopos Maguntinum, & Trevirenſem de eodem negotio, quæ incipiunt, *Cedere tuis Senſibus &c.* Deſinunt autem. *Quomodolibet differatur*, *Datum Suriani* IV. *Kal. Sept. Pontificatus noſtri anno ſecundo*. *Ibid. uum.* 33.

Item NICOLAI III. epiſtola ad memoratum Giffridum de eodem negotio, cujus initium, *Receptarum nuper &c.* Finis verò, *Archiepiſcopos compleantur*, *Datum Viterbii*. *Ibid.*

Teſtamur etiam in altero regeſto authentico Literarum communium, & de Curia ejuſdem NICOLAI III. extare ſequentes epiſtolas, ſcriptas ab eodem Pontifice pro revocandis juramentis indebitè præſtitis Rodulpho Regalis Aulæ Cancellario ab Exarchatus, & Pentapoleos urbibus, nempè.

NICOLAI III. epiſtola ad Fr. Joannem de Viterbio Ordinis Prædicatorum, cujus initium, *Ad partes Romaniolæ &c.* Finis verò, *fideliter relaturus*, *Datum Viterbii* x. *Kal. Julii anno* 1. *In eundem modum Giffrido de Anagnia Decano Eccleſię S. Audomari Morinen. Diœceſeos Capellano, & Nuntio noſtro*. *Ibid. num.* 27.

Item alia Capitaneo, Conſilio, & Communi Forolivienſi, Incipit, *Levantes in circuitu &c.* definit verò, *nobis officio teneamur*, *Datum Viterbii* x. *Kal. Julii anno* 1. & ſequitur. *In eundem modum Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Foropopulienſi &c.* finis verò. *In eundem modum, Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Bagnacavalli*.

Item alia Giffrido de Anagnia &c. quæ incipit, *Levantes &c.* Definit verò, *Fideliter relaturus*, *Datum Viterbii* x. *Kal. Julii anno* 1. *In eundem modum Fr. Joanni de Viterbio Ord. Pręd. Nuntio noſtro*.

Item alia ad eoſdem Giffridum, & Fr. Joannem, quæ incipit. *Expedit*

veſtram

veſtram non latere notitiam. Deſinit autem, *Nuntium tranſmiſſeri*, *Datum &c.*

Extat in Appendice eodem num. 27.

Item alia ad eoſdem incipiens, *Expedit &c.* deſinens verò, *juramentum fidelitatis &c. verbis commodè mutatis uſque in finem*.

Item aliæ duæ ſimiles ad eoſdem, & ad Gullielmum Duranti, & Fr. Laurentium de Tuderto Ord. Præd. nonnullis tantùm verbis mutatis.

Item alia ad eoſdem incipiens, *Cum vos ad Civitatem Bononienſem &c.* deſinens verò, *contigerit*, *non tenere*, *Datum Viterbii*.

Ibidem pag. 187.

Denique alia Poteſtati &c. Bononienſi, & univerſis per territorium, & diſtrictum Bononienſem conſtitutis. Incipit autem, *Omnipotens Dominus &c.* deſinit autem, *meritò vindicetis, Datum*. Et ſequitur. *In eundem modum dilectis filiis Poteſtatibus &c.* & deſinit, *verbis commodè mutatis*.

In quorum fidem hanc paginam ſubſcripſimus, noſtroque ſigillo obſignavimus, hac die prima Aprilis MDCCIX.

Locus ✠ Sigilli.

Thomas de Juliis Archivi Secreti Vaticani Cuſtos, & Protonot. Apoſtolicus.

Donatus Antonius de Juliis Nepos, ejuſdem Archivi Secreti Vaticani Cuſtos ſubrogatus, & Protonotarius Apoſtolicus.

ADDENDA, ET CORRIGENDA IN DISSERTATIONE.

Pag. 21. *lin.* 10. qui anno MXIV.
34. *lin.* 16. omni litore
ibid. *lin.* 18. anathema protulit
84. *lin.* 25. nullatenus iniquo ori
87. *lin.* 20. deque ea

Pag. 88. *lin.* 10. ne cogitaſſe quidem.
108. *lin.* 13. qui de negligentia
110. *lin* 21. exprobrarunt Græci
115. *lin.* 8. dominium exceptum eſſe
120. *lin.* 6. nil ipſi conceſſum

IN APPENDICE.

Pag. 1. *lin.* 10. *à fine* B Petro ablata ſunt
2. *lin.* 11. *in margine in quibuſdam exemplaribus*, Lege juribus, vel hominibus.
27. *lin.* 2. qui eidem Eccleſiæ
lin. 13. verbis tamen competenter
lin. 28. Reges Romanorum
28. *lin. ult.* munimine roborari
29. *lin.* 3. *à fine*, præſtito corporaliter juramento
31. *lin.* 20. ad recipiendam
32. *lin.* 5. *à fine*, Divina Providentia Papa X. immenſa beneficia
33. *lin.* 2. digna ſaltem
lin. 12. veſtris anteceſſoribus
lin. 13. volentes diminui
37. *lin.* 18. *à fine*, *adde in margine* Lege, vobiſcum.

44. *ad lin.* 12 *à fine, adde in margine*, Lege præſentiam deſtinavit
Pag. 46. *lin.* 11. *à fine*, vacuavit quidquid
65. *lin. penultima*, ſine ſigno
72. *lin. penultima*, bona, poſſeſſiones
73. *ad lin.* 23. *addendum in margine*, Lege *quemcumque alium*, ut in ſequenti diplomate habetur.
lin. 10. *à fine*, ac omnibus juribus
76. *lin.* 8. denuntiamus, & denuntiando
77. *lin.* 3. juxta eas
lin. 11. *à fine*, Epiſcopo Aprutino
84. *lin.* 11. *à fine*, XII. Kal. Julii.
94. *lin.* 14. ibi ro. & hor. atten. per Apoſtolica
101. *lin.* 3. Ego Wernhardus
lin. 22. Henricus Sluzzelli
lin. 28. H. de Lovenberch.

VA 1
1532416

Digitized by Google

166.
C.
33.